ANTI-AGREDISTAE PARISIENSES EXPUGNATI, SIVE, APOLOGETICAE DISSERTATIONES...

José Nicolas Cavero

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
31 K
16

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CAVERO
APOLOGETICÆ DISSERTATIONES
ADVERSUS
ANTI-AGREDISTAS
PARISIENSES.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTI-AGREDISTÆ PARISIENSES EXPVGNATI,

SIVE,

APOLOGETICÆ DISSERTATIONES

ADVERSVS QVOSDAM PARISIENSES, CENSVRIS infectatos complures Propoſitiones, à Venerabili Matre

MARIA A IESV, VVLGO DE AGREDA,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sua Prima Parte Myſticæ Civitatis Dei aſſertas.

AVTHORE

R. P. M. Fr. IOSEPHO NICOLAO CAVERO, OSCENSI,

REGALIS ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ de Mercede Redemptionis Captivorum, Sacræ Theologiæ Profeſſore, eiuſdem Facultatis in Cæſar-Auguſtanâ Academiâ Doctore, &. Subtiliſsimi Scoti Cathedræ Anteceſſore, Archiepiſcopatûs Synodali Examinatore, & Collegij S.Petri Nolaſci Rectore,& Studiorum Regente.

SVPERIORVM PERMISSV.

CÆSAR-AVGVSTÆ: In Officinâ DOMINICI GASCON, Regij Noſocomij de Gratia Typographi, DIDACVS DE LARVMBE, Typographus, excudebat, Anno M. DC. XCVIIJ.

Digitized by Google

Verendum, ne ſi vel breviter nonreſpondetur ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, putans forte ſapientiam, ſecuriùs ſpargat ſeminarium vecordiæ in auribus inſipientium, & ita iam inſipientiæ eius non ſit numerus. Veritatis proinde teſtimonijs paucis & manifeſtis mendacium confutetur. S. Bernardus Epiſt. 77.

Fabulis aures ne accomoda: ſi enim facilè accuſantibus credas, non deſinent falsò accuſare, ac fingere. Sed, ſi placet, aures præbe ſinceras, & defendetur egregiè, quæ *calumnijs* oppreſſa *eſt, verteſque in illos dolorem, quem innocenti ſtruxerant.* S. Iſid. Peluſio. Epiſt. 90. Lib. 5.

Digitized by Google

EXCEL.MO PRINCIPI
AC DOMINO,
D. EMMANVELI IOACHIMO GARCI-ALVAREZ DE TOLEDO,
COMITI DE OROPESA, SEMEL & iterum Magno Caſtellæ Præſidi, &c.

FRATER JOSEPHVS NICOLAVS CAVERO, Sacri Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, S. P.

NON vna tãtummodo, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, quin plures me impulere cauſę, ipſæque minimè vulgares, ut hoccine quale quale opuſculum egregio tuo nomini, ac patrocinio, nuncuparem; cùm ſive in illius argumentum, ſive in memetipſum animi oculos revocaverim, vtrobique eæ ſuppetant rationes, quæ ſi tecum, tuis atque præclariſsimis dotibus, comparentur, tibi referendum manifeſtò, avidèque expetant, prædicent, evincant.

At-

Digitized by Google

Atque ut (quod primas tenet) à Celsitvdine Tva initium ducam, propiùs laudum initia repeto, quàm ut totam tuorum gentem in medium proferã, pugnas dicam, deſcribam prælia, *Illuſtrem (a) Familiam, altique ſanguinis decus, & ſtemmata, per Proconſules & Præfectos prætorio decurrentia, exponam*, & te per tot, tantæque nobilitatis gradus veniſſe iactem; imò, quod æqui bonique arbitri pluris faciunt, generoſa pietatis documenta bene multa, quæ domi profectò habes, reticebo; non eo tantum conſilio, quòd epiſtolaris nuncupationis non ſit recenſere; verùm quia, etſi per ſe magna, & immortali memoria digna cuncta hæc meritò reputentur, præſtantiſsima in te vno emicant ornamenta, vnde ſatis, ſuperque eximius vndique Princeps exhibearis: & vel inde ſummopere prædicandus exiſtis, quòd Maioribus tuis quid laudis, quid commendationis, adijceres, largiſsimè tuis meritis cumulaveris; hac via illorum vnà ſplendorem ita exprimens, confirmans, ſuperans: vt ſiquando, in te maximè verum illud: *Præconia veterum præſens docuit vena virtutum.*

(a) *D. Hieronym. In Epitaph. Marcellæ, Epiſt. 15.*

Verùm enim verò quis tot tui virtutes enumerando depromat, aut multa præterire cupiens, quid prætereundum ſit, facilè reperire queat? Vt enim quidque animum ſubit, ita præſtantius ijs, quæ præceſſerunt, eſſe videtur: magiſque ipſe, quid mihi

omit-

Digitized by Google

omittendum ſit, quàm alij Laudatores, quid dicere debeant addubito. Ita fit, ut mihi copia quodammodo in detrimentum cedat, menſque ipſa exploretur, dui tui laudes explorare aggreditur, nec ſuperiorem inter pares invenire poteſt. *Nam* (*b*) *quod in tranquillis undis evenire cernimus, ut cum iniectus lapillus centrum effecerit, alius ſuper alium circulus excitetur, continenterque in ſuperficiem agitatus, externum circulum ſemper diſſolvat, id mihi plane hîc quoque accidit. Aliud enim in mentem venit, aliud ſupervenit, aliud ſeſe ſubduxit: atque in delectu laboro, dum id, quod prius arripui, ei, quod poſtea, in animum influit, loco cedit.*

(*b*) S. Gregorius Nazianzen. Orat. 19.

Sed nullatenus me fugere patiar (quod è re mea maximè eſt) te, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, in Caſtellæ præfecturam ſemel ſuffectum, ſummis claruiſſe nominibus, infinita negotiorum mole non obrutum, immenſa rerum gravitate non præpeditum, & ea herculè dexteritate omnia moderatum, ac ſi ad publicas curas tàm non fuiſſes adſcriptus, quàm natus. Quid multa? Tanti imperij honore non intumuit animus, & humana conditione ſuperior factus, humanitatem exuit nunquam, faſtum abhorruit ſemper: iuſtitiam, cuius ſtat fœdere Mundus, adeò excoluiſti, ut ab æquiſsimis hominibus, ab illis nempe, qui rectè & incorruptè de rebus iudicant, ſæpe ſæpius audieris, ARISTIDE IVSTIOR:

quod,

quod, quanta ſit tuæ in illam obſervantiæ commendatio, vel Homericis liquet oculis. Prudentiæ & fortitudinis ductu, atque auſpicijs, cuncta adminiſtrabas, altera, quæ facienda erant, ſedulò excogitans, altera, quæ excogitata erant, viriliter exequēs: *Huc*, (c) *quod maximum eſt* (quanquam in te EXCELLENTISSIME MODERATOR, nulla non maxima virtus) *accedit manus puritas, & integritas, qua omnia regebantur*. Quo factum cenſeo, nec mea me fallit opinio, ut beneficium dans potiùs, quàm accipiens, priorem Præfecturæ honorem, iteratò & ſecundus exceperis: vbi tute tibi perpetuo conſtans, eas retines partes, ut plures, vel maiores pro inclyto Princeps, proque optimo Præſide, aut optare, aut comminiſci, nemo poſsit.

(c) *S. Gregorius Nazianzen. Epiſt. 78. ad Olympium.*

Hæc cùm ita ſint, quî fieri poterat, ut potentiſſimam tutelam tuam non appellaverit libellus, cuius totus quantus ſcopus is: Primam Myſticæ Civitatis partem à Venerab. Matre Maria à Ieſu, vulgò de Agreda, divino afflante numine expreſſam, à monſtroſis vindicare impoſturis, aculeos Cenſurarum retundere, propudioſas calumnias repellere, atque falsò impacta probra detegere, quibus incerti nominis Pariſienſes quidam Theologi illam conati ſunt obſcurare, & in perpetuas tenebras amandare: quē porro opportuniùs ac te, RELIGIOSISSIME PRINCEPS, advocaret huiuſmodi Apologia? Quoniā

ne-

Digitized by Google

negotium licèt ſit Hiſpanis cunctis commune, animum excitare, vires exerere, calamos ſtringere adverſus iudicium adeò tetricum, aut meliùs, abſque iudicio lutulentam Sententiam, qua ſimul glorioſum pijſsimæ Scriptoris nomen deteritur, & (quod inde neceſſariò venit) à tam præclara ſobole in Gentem Hiſpanam derivata gloria oppugnatur; veruntamen omnium maximè Illuſtriſsimam ſpectat Caſtellam: ea ſiquidem, Patrium utpotè ſolum Venerabilis Antiſtitæ de Agreda, potiſsimis adſtringitur nominibus, ut in paterna ſeſe erga illam effundat officia, ac quam genuiſſe, educaſſe, ſemperque incolam habuiſſe, cœleſtis dedit Jupiter, totis protegat viribus. Aſt Caſtellanos inter tibi, Excellentissime Castellæ Præses, iure concreditæ curæ, & moderationis, præſertim incũbit, mirabilis Abbatiſſæ, illuminatæ Scriptoris, defenſandis decoribus invigilare; eaque de cauſa ſuopte nutu ad te cõvolat Apologia, in Te Præside præſidium quærit Myſtica Dei Civitas iniquè appetita: ergo conatus exere, dextram porrige, ne comiſſæ Ditionis magna ex parte decoloretur gloria; nec dubites, vnà multis magnam, quam potes, ferre opem; hoc pacto rem hercle facturus, ex munere debitam, tuo nomine digniſsimam, & poſteris ſæculis æternò decantandam.

Quidquòd hac in cauſa nedum piæ Antiſtitæ de

Agreda, ſed Sanctiſsimæ Virginis Mariæ res quoque agitur; cùm Cenſurarum fulminibus plerunque Pariſienſes in proſcripto à ſe Opere ſignanter exagitent probabiles, conſonaſque pietati Chriſtianæ propoſitiones, dotes & inſignia Sacræ Deiparæ promoventes: adeò (*d*)

(d) Ovidius 2. Metamorph.

Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſſa veneno.

Quæ ponderoſa certè conſideratio te, Excellentissime Domine, fauſtè conſtringit, ut quas imploro, ſuppetias afferas; nec quidquam tibi fortunatius accidere potuiſſe putes, quàm Deiparæ Sacratiſsimæ decoribus ſubſidio eſſe; hac ratione Mariano patrocinio, cui temetipſum, tuaque vel ab ineunte ætate enixè credidiſti, à quo & etiam non ſemel mercedem excepiſti, gratus vicem rependens.

Tua iam, Fœlicissime Princeps, in noſtram Beatiſsimæ Virginis de Mercede Familiam ſtudia me vocant, digna profectò politiori & fuſsiori calamo, ſed nullo vnquam dignè promenda: *Quæ* (*e*) *enim tanta poteſt exiſtere vbertas ingenij, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis, quo quiſquam poſsit veſtra in nos vniverſa promerita non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando?* Noſtra non modò benevolus aſpicis, ſed impensè adamas, tueris, nec aliter quàm ſi idem nobiſcum eſſes, ſedulò curas: officiis officia quotidie accreſcunt, quibus tuam erga nos volun-

(e) Cicero Orat. poſt red. in Sen.

(f) Hermolaus Barbar. lib. 12 Epiſt. Ang. To. 11.

tatem

tatem & auges, & foves; adeò ut nullus ex noſtris ſit, quem fugerit, ingentiſsima à te in Ordinem noſtrum proveniſſe, provenireque iugiter beneficia; quamobrèm omnes in te vno, & Fratris nomen, quod tuæ humanitatis eſt, & Patris, quod tuæ eſt curæ & largitatis, & habuiſſe & habere gloriamur, atque Excellentiæ Tuæ *nomen (f) apud Nos tam celebre ſemper fuit, ut ad diligendum, amandumque Te propenſos, etiam ad colendum & obſervandum impulerit.* Quæ omnia nedum ſinguli grato profitemur ore, ſed Ordinis Conventus Generalis piè, quoad potuit, expreſsit, tibi, tanquā Parenti, Paternoque Protectori Chriſtiana (g) pollicitus vota.

(g) *Cap. General. ann. 1692 Oſcæ celebrati decreta, n. 13* Magni habēdo ampliſsimos honores & dignitates, ad quas Frat. noſtros promovēdo ſua authoritate & ope Excellentiſſ. Dominus Comes de Oropeſa, erga noſtram Religionem exuberanter ſe geſſit beneficum, S. Definitorium decrevit, quod poſt eius obitū in omnib⁹ Religionis Monaſterijs pro eodem celebrentur exequiæ.

Tantis ergo & eouſque ſuperioribus obſtrictus nominibus, pudor eſſet, ſi non tibi haſce qualeſcumque Apologeticas elucubrationes conſecraverim: eas veluti Patronus excipias amabò, ut ex tuo aſſequantur nomine, quod ab ignoto non poſſunt Authore: nec meam ſolius exiſtimes, Princeps Nobilissime, hanc gratam memoriam, ſed Maiorum meorum, ſed omnium tandem noſtrum, exiguo licèt munuſculo inſinuatam. Vale, Excellentissime Domine, Te Deus incolumen ſervet, nec dubito quin *ex (h) probi imperij & præfecturæ Thronis Cæleſtes ordines accipiant, quibus Te charum reddidiſti, dùm & piorum commodis conſulis, & omnia æquo ac recto poſteriora ducis.*

(h) *Iſidor. Peluſ. lib. 1. Epiſt. 165.*

Digitized by Google

IVDICIVM

RR. P. MAGISTRI Fr. FRANCISCI SOLIS Regij Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Catholici Hiſpaniarum Regis à Concionibus, in Regali, Sacroque Immaculatæ Conceptionis Conſeſſu eiuſdem Maieſtatis Theologi, in Salmanticenſi Academia Artium Magiſtri, Theologiæ Doctoris, ac in eadem, Theologiæ Moralis Cathedræ Anteceſſoris.

Iuſſu Illuſtriſsimi & Reverendiſsimi D.D. Laurentij Armengual del Pino, Epiſcopi Auxiliaris Electi, Vicarij Generalis, & Viſitatoris Archiepiſcopatus Cæſar-Auguſtani, &c.

OPVS apologeticum, quod pro vindicijs ab imposturis & criminationibus, quibus, plauſibili nomine inſignis Academiæ Pariſienſis toto terrarum Orbe ſpectatiſſimæ, Myſticam Civitatem Hieruſalem, è Cœlo lapſam, à Deo paratam, & à Venerabili Matre Maria à Ieſu, divino afflante numine, expreſſam, aſſerti DD. Deputati, ovina pelle, ſed lupina rabie, morſibus dilacerare, dilapidare, ac, ut quondam fabuloſi G gantes, Cœlum ipſum ſuis ſedibus exturbare, hancque flagrantiſſimam Eccleſiæ facem invidioſis conatibus extinguere tentarunt, Præclariſſimus Theologus R. P. Fr. Ioſephus Nicolaus Cavero, Sacræ Theologiæ Doctor, & Cathedræ Subtilis Scoti olim Moderator, &c. reli-

Digitized by Google

religioſo zelo; politiſſimo calamo, eruditione ſumma, nec minori ſoliditate, ac ſubtilitate compoſuit; quoniam nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, iterum atque iterum magna animi voluptate,& aviditate perlegi:nihilque in eo inveniens, quod vel cenſoriam virgam, aut levem animadverſionem mereatur; imò omnia adeò eleganter exculta, eruditè exornata, facilè expedita, ſapienter enucleata, adamuſſim diſcuſſa,ac Theologica trutina penſitata, ut in hoc argumento, nec nimis ſevero, nihil ampliùs deſiderandum ſuperſit; non tantum luce publica donandum, maximoque honorè & æſtimatione ſapientum dignum cenſeo; verùm aſſerere auſim, firmiſſimæ iſtius Operis ſtructuræ, eiuſque Authoris, veluti Athlantis, infatigabilibus humeris, Myſticam hanc, Cœleſtemque Civitatem innixam, ea ſecuritate, & immobilitate conſiſtere, ve iam quaſcunque adverſariorum machinas, & oppugnationes contemnat. Sic ex tabella pronunciabam in Arce Sancti Ioannis Baptiſtæ, die 4. Septembris anno Domini 1698.

Magiſter Fr.Franciſcus Solîs.

CEN-

CENSVRA
RR. P. M. MICHAELIS MONREAL, Societatis IESV; in Academia Cæſar-Auguſtana Doctoris Theologi, & in eiuſdem Societatis, & Vrbis Collegio Theologiæ Profeſſoris.

Iuſſu Reverendiſsimi & Illuſtriſsimi D.D. Laurentij Armengual del Pino, Cæſar-Auguſtani Archiepiſcopatus Vicarij Generalis, Viſitatoris, & Epiſcopi Auxiliaris Electi, &c.

LIBER, cuius inſcriptio, Anti-Agrediſtæ Pariſienſes Expugnati, cuius Author R. P. Magiſter Fr. Ioſephus Nicolaus Cavero, Sacri Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Sacræ Theologiæ Doctor, &c. Liber mehercle eſt omnibus omnino numeris abſolutiſſimus; ut nec incantatrix Orphei, aut Amphionis animata chelys, etiam cum ad armonicos redigeretur numeros, vivaciùs, aut dulciùs inſonaret, an eloqueretur.

Vix inter ſe ita conſonant in barbito fides; ut in hoc Libro maieſtas Theologiæ, ac Eloquentiæ pompa concinunt; ut venuſtas Rationum, & Theſium firmitas fœderantur; ut devotionis ſuavitas, & robur ingenii conſeruntur; ut Apologiæ ſal, & mel Doctrinæ temperantur. Necdum aures ita ſponte trahuntur à dulciſona lyra; vti lingua mentem, aut mens linguam, quoquoverſum ferat controverſia, ſecum trahat. Id ipſum ſuſpicit Nazianzenus in ſuo Baſilio, in Orat. de eius Laudibus: *Quis ſermonem habuit animi ſenſa meliùs exponentem;*

Digitized by Google

tem; ita ut neutra parte, ut plerique, claudicaret; nempe vel mente ſermone deſtituta, vel ſermone mentem haud æquo gradu ſequenti? Æquum eſt, ut hæc verba dirigantur in illum, qui græcè *Baſilios*, ſeu latinè *Regalis* eſt ab Ordine ſuo; & potiùs ſuopte ab Ingenio.

In hoc Authore, tum voce, tum ſcripto, inter denſas difficilium Quæſtionum tenebras, miratus ſum vſquè, & vſque perſpicuitatem, & claritatem, ut ita dixerim, ſolarem. *Lucem loqueris*: ut cum Ennodio clariùs loquar 1. lib. Epiſt. 19. Ecquodnam eſt difficilius Verbum, & humano captui magis impervium, quàm Divinum? At enim appellatur *Candor lucis æternæ*, Sap. 7. & *Splendor Patris*, ad Hebr. 1. & *In ſplendoribus* genitum, Pſalm. 109. Quam neſcio Divinitatem ſapiunt verba in difficilibus pellucida, in abſconditis patentiora, & vulgaria ferme in myſteriis. Correctum eſt, vel exceptum in hoc Authore oraculum Senecæ Epiſt. 59. *Nulla eſt ſine difficultate ſubtilitas*: quia ſuam in penetrando ſubtilitatem, ſua in explicando facilitate, complanat.

Iure ſuo delectus eſt in hanc nobilem Spartam; ut videlicet Myſticam Dei Civitatem ab omni cenſurarũ iactu, ſimul & ictu, qui recentem adverſus eiuſdem mœnia impreſſionem facere tentat, toto ingenii niſu tueretur. At vndenam hoc tantum, tamque proprium ius? Quoniam ſacramento ſuo adſcriptus eſt, vel adſtrictus caſtris Marianæ Religionis. Dixerim de noſtro Nicolao, quod de Ioanne ediſſerit Guarricus Serm. 4. de Aſſumpt. *Quia fidelis probatus eſt Ioannes in obſequio incorruptæ Matris, myſteria quoque Divinitatis, & arcana Verbi incorruptibilis ſibi credi promeruit.* Rimabar ego inſuper peculiarem forte cauſam, quâ bonus quis neſcio Genius, auſpex dubio procul felicis in Opere tuo partûs, aurem vulſit, ac vehementer impulit; ut locupletiſſimum te interpretem exhiberes ſacrorum Voluminum

minum

minum Myſticæ Civitatis Dei, quæ, afflante Numine, ut piè creditur, conſcripta ſunt. Rimanti animo ſtatim obverſatus eſt Philo in lib. *Quis Verb. Div. Hæres. Malum virum non eſt fas eſſe interpretem Numinis.* Ergo frugi hominem expetit Philo interpretẽ ſacri eloquii. Sapienter Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtrom. *Qui ſolùm quidem guſtavere Scripturas, ſunt fideles: qui autem ulteriùs etiam proceſſerunt in iis, quæ ad vitam pertinent, ſunt perfecti gnomones veritatis.*

Senſim videor illapſus in panegyrim virtutis, ac morum tuorum: ſed cauſabor officium Cenſoris, qui nequeat vllatenus miſſum facere, quidquid pro approbatione operæ pretium ſit. Non mè latet, Chriſtum Dominum neutiquam depingi excandeſcentem adversùs illos, qui blandiente quodam lenocinio *Magiſtrum veracem* vocitant, ut habes Matth. 22. attamen ſubiratum fuiſſe, atque invectum, vti Græcum Originale exprimit, & noſtra vulgata innuit, adversùs non malum Iuvenem, qui *Magiſtrum bonum* ſalutaret, vti habetur Matth. 19. Modeſtus ſanè rubor offundi magis, aut offendi videbitur virtutis laudatione, quàm ſcientiæ. Eapropter manum ab incepto retraho; nec retracto dictum. Sit ſatis, meam, & communem inſinuaſſe opinionem.

Gradior ad Venerabilem Authorẽ, Mariam à IESV, ut vulgo aiunt, de Agreda; cuius in defenſione militat totus quantus hic Liber. Scio, ad incudem Cenſuræ vocatam ſæpius, & revocatam fuiſſe Hiſtoriam V. Authoris; ſed cum immota, tanquam ſilex, perſiſteret; etiam, tanquam ſilex, ab ictu lucem concepit. Deipara forſitan, quæ potior, ac verior fuit Lucina edendorum in lucem iſtiuſmodi Voluminum, optatiorem ipſis fortunam auſpicata fuit, dum in pelagus perſequutionum effuderit, quàm ſi pacatiſſimo in portu peperiſſet. *Ecce præſtant adverſa, quod ſecunda non præſtant*: ait Ennodius

lib.

Digitized by Google

lib. 3. ep. 4. Quot inſurrexerunt Cenſores, totidem aſſurrexerunt Approbatores; quinimò pro vna Cenſura mille Approbationes ſufficiuntur, cùm vix vnica ſufficeret. Ex calumnia meſſuit laudem; ex detractione fecit incrementum; ex repercuſſione adauxit ſibi ſplendorem.

Cur, inquis, fides, tametſi humana, obliganda ſit Fœminæ, quam ex ſuo, ſive ex Iovis, vt aiunt, cerebro, revelationes ſuas effinxiſſe neſcias. Fœmineum certè caput valdè prognatum eſt, vel alienis è Diabolo machinationibus, vel ſuis è cerebro illuſionibus. Quid indè? Neque id cogit, vt reprobes; ſed monet, vt probes, quidquid à Fœmina, vel etiam à Viro, cœleſtis inſtar oraculi proditum eſt. Huius conſilij author Paulus 1. ad Teſal. 5. vbi poſtquam dixit: *Prophetias nolite ſpernere*: eveſtigio ſubiunxit: *Omnia autem probate*. Plenam ergo probationem ſuggerit ſanctitas, quæ tum in Doctrina, tum in Perſona intermicet. Idem Apoſtolus in 2. ad Timot. 4. ad evulgandam Evangelij prædicationem, ita Diſcipulum accuratiùs erudit: *Tu verò vigila in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple*: ſive, vt Franciſcus Vatablus poſtremam clauſulam tranſtulit: *Miniſterium tuum ad plenum probatum reddito*. Quaſi non iam ſemiplena, ſed omninò plena probatio veritatis in Evangeliſta, ſit vigilantia irrequies, & indeſes labor in omnibus actuoſæ vitæ virtutibus. Ita planè. Aſt Venerabilis Author, dum cœlitus ſelecta eſt in Evangeliſtam Deiparæ, ijs Virtutum cariſmatis inſignita eſt, quæ ad plenum probent, manum quidem ſcribentem, manum eſſe hominis; vocem autem afflantem, vocem eſſe Numinis.

Non eſt Suada eloquentia, quàm miraculum: ſed illam exuperat, vel exæquat ſanctitas. Virtus miraculi, & miraculum virtutis paria ſunt, vt nomine tenus diſſidere tantùm videantur. Chryſoſtomus Hom. 28. in

Ioan. exſcribit in rem præſentem appoſitiſſimè: *Erat autem Ioannes baptizans, & multò efficaciùs, hoc faciebat, quàm Diſcipuli Chriſti; quia inſuſpicabile erat eius teſtimonium, & maiorem gloriam apud homines habebat.* Comparat Ioannem baptizantem, cum Apoſtolis, ante Chriſti mortem, iamiam baptizantibus. At quomodò Ioannes maiorem hominum frequentiam, plauſum, celebritatem; quàm Apoſtoli tunc temporis ſuo Baptiſmo conciliarent? Apoſtoli Baptiſmum ſuum miraculis obſignabant: & nullum in Ioanne miraculum ſuſpicimus. Aſt fuit par, vel maius tunc in Ioanne teſtimonium; admiranda morum ſuorum ſanctitudo; & quæ Angelum potiùs, quàm hominem præſeferret. Proindè ſibi authoritatem, Baptiſmo frequentiam, doctrinæ celebritatem peperit ampliorem. Admirabilis omnem vltra admirationem eluxit Sanctimonia in Venerab. Authore; & quæ in dubium vocari, non niſi per ſummum nefas poſſit; tot enim oculatis teſtibus fuit obnoxia, tot heroicorum operum ſigillis communita, tot nuſquam nunquam luſtris intermiſſa, ſed vſque, & vſque indefeſſa, indeſes, & vigens, vt, quoad humana patitur fides, Indigetem veneremur. Suis ergo moribus, totidem veluti miraculis, doctrinam ſuam penitùs credibilem atteſtatur.

Verùm enim verò cũ quæq; peregrina dogmata ſuis in viſceribus inditam, & quaſi ingenitam, vel falſitatem, vel veritatem ſuam, identidem recondant, euiſcerare lubet Hiſtoriam ipſam; vt ſuis in caracteribus interlucentem ſuperni Numinis manum conſpiciamus. Claritas, Magiſterium, Methodus, pluſquàm hominem ſpirant, & quid neſcio divinum redolent.

Claritas ea eſt, vt abditiora Theologiæ ſacramenta ob oculos ponat, & ſub dio exponat ad communem captum; & quæ vix niſi multos poſt oculorum ictus in Schola Diſcipulus capit, ab ore Magiſtri pendens, iam

de-

deinceps in calamo huius Venerab. Authoris, velut hamo, capiat è plebe quiſpiam. Ecce tibi vna è Chriſti Domini laudibus: *Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis .... in hoc credimus, quia à Deo exiſti.* Ioan. 16: Ecce tibi vna ex Venerab. Authoris probationibus. Cùm Deus in Monte Sina legem traderet Hebrææ Genti, dicitur Exodi 20. *Cunctus autem populus videbat voces.* Reponit D. Ambroſius in Procemio ad Lucam: *Neque enim videtur vox, ſed auditur; vox enim quid eſt, niſi ſonus, qui non oculis cernitur, ſed aure percipitur?* Animadverte, obſecro, id, quod ipſe ſubdit: *Verùm altiſſimo ingenio volens declarare Moyſes, quia vox videtur Dei, &c.* Itaque hæc nota ſit, & quaſi dialectus eloquii divini, & linguæ à Deo datæ, vt ſit ſplendens, & nitida, prorſum clara, & perſpicua, quæ inſtar lucis videatur potiùs, quàm audiatur inſtar ſoni. V. Author non ita calamum, quàm penicillum in ſcribendo regit; nec tam ſcribit, quàm pingit; & quæ humanis alioquin mentibus ſunt impervia, noſtris iam obtutibus pervia reddit.

Magiſterium pariter ita eximium eſt; vt non conſcendat Cathedram, ſed tranſcendat. Quæ non niſi terminis implexis Theologia tractat, illa, vel inoffenſa vocula, percurrit; & fingere magis, quam refingere voces videretur, niſi in terminis ageret alioquin ſolemniſsimis. *Erat enim* (Ieſus) *docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi.* Matth. 7. v. 29. En tibi Poteſtas in docendo vna eſt ex cœleſtibus notis Doctrinæ Chriſti Domini. Aſſerit de ſe Ioannes in Apoc. 11. *Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ.* Rupertus in eum locum ſic profatur: *Calamus ſimilis Virgæ facultatem ſcribendi ſignificat cum magiſterii authoritate.* Hic virgatus calamus eſt datus Ioanni, quoniam Deiparæ vitam, ſed in ænigmate, contexuit; hic etiam datus eſt V. Authori, quoniam eiuſdem vitam,

ſed in Hiſtoria, retexuit.

Methodus pariter ea eſt, vt ſuam quibuſque rebus viciſſitudinem tribuat; et, quod magis eſt dictu mirandum, pro re nata ex Hiſtoria in Mores curſim divertat; atque ſermones hiſtoricos ſimul & morales, abſque vlla legentium nauſea, interſerat. Exinde etiam colligere eſt, Deiparam fuiſſe tanti Operis Aſſiſtricem; cui & V. Author manum ſuam profitetur fuiſſe in omnibus ancillatam. In Pſalm. 44. Reginæ in morem inducitur Dominatrix Deipara: *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Ita in eundem Pſalmum Baſilius Magnus: *In veſtitu deaurato, id eſt, dogmatibus ſpirituali intelligentia ſubtextis: ſed horum ſpecies multivariæ, vt quæ in ſe recipiunt ſermones morales, & phyſicos; ob hoc veſtem Sponſæ indicat Scriptura varietate picturatam.* Quis non piè ſuſpicetur, manum V. Authoris fore falſariam, & in ſe refinxiſſe manum Deiparæ? Vtraque methodum ſimilem, vel eandem retinet; & omne tulit punctum, quia miſcuit vtile dulci; dum amæmitatem exuberantis Hiſtoriç, opimis doctrinarum moralium fructibus maritat, locupletat, coronat. Quis ſibi vnquam ſuaſerit, Angelum nequam, qui transfigurat ſe in Angelum lucis, Authorem eſſe moralium doctrinarum; quibus tot ſibi hoſtes pararet, quot ſillabas intertexeret?

Veritas quoque ſyncera, quę radius quidam eſt Divinitatis, hanc Hiſtoriam eſſe divinam inclamat. *In nullo aliter ſapere, quàm res ſe habet, Angelica perfectio eſt:* ait S. Auguſtinus lib. 2. contra Donatiſtas cap. 5. tom. 7. Nec per vim vllam in ſuſpicionem adducor, quin Angelicam ſibi pennam arripuerit Author ad exſcribendam Hiſtoriam; quæ vel in longiſſimâ eventuum textura nullis contradictionum liciis vſquam vnquam irretitur; vel in multiplici ſententiarum varietate nullum aliquãdo dogma depromit, quod tuto probabilis cuiuſdam

dam ſenſus clypeo communiri non valeat. In implexis, atque, vt ita dicam, labyrinthæis hiſtoriarũ longiorum ambagibus vix argumentoſa ſupereſt Ariadne, cuius aurea fila, vel ſenſim non infringantur, vel degenere quadam vilitate non vnquam decolorentur. Proinde S. Epiphanius in,& pro Synodo Nicæna 2. Act. 3. adverſus ineptientem quendam Gregorium, perſonatum Hæreticum, ita diſertè proloquitur: *Mendacium non modò veritati, ſed & ſibi ipſi contrarium eſt.*

Quiſquis mendaces nugas effutire ſit ſolitus, quantumvis memor ſui eſſe ſatagat, vel à veritate ſemper victrice, vel à ſua ipſius contrarietate detegitur. Factu, aut dictu difficillimum eſt,ita mangonizare mendacia, vt lato ſaltem vngue non appareant. Apopthegma certè ſuum adſtruit idem Epiphanius ex Pſalm.36. v. 13. *Et mentita eſt iniquitas ſibi.* Appoſitiſſimè prorſus,quoniam, vt obſervat Lorinus, ſi ad originarium verbum, modò Hebræum, modò Græcum attendatur, illa vulgata ſententia: *Mentita eſt iniquitas ſibi*: hanc ſubit interpretationem: *Conatum omnem exeruit,& omnem artem adhibuit iniquitas.* Fruſtra ſunt omnes artes,fruſtra ſunt omnia machinamenta, vt mendoſa iniquitas mentita ſibi tandem non pateat.Præclarum ergo argumentum, pro ſe,& in ſe inſertum,exhibet Hiſtoria illa,quæ in tanta eventorum viciſſitudine vſque adeo ſibi conſonat, & concinit,vt etiamſi angulos, & rimas, & omnes eius latebras evolveris, nihil ſibi contrarium, vel patefaciat, vel recondat.In altiſſimam eius indaginem clancularius quiſque inſpector oculos pluſquam Lynceos coniecit; ſed nihil obliquum vidit, aut videre ſibi viſus eſt, quod videntem aliquando tandem ſereniore ſub luce non præſtrinxerit. Nullum præſumptæ cuiuſpiam falſitatis monſtrum ab hoc Oceano extractum eſt in litus, quod inanes in ſpumas non ſit eliſum. Ingentem exinde ſpem in me recipio; huic ſupernæ Scripturæ nuſ-

-21 /

Digitized by Google

nuſquam nunquam fore præſcribendum. *Veritati nemo præſcribere poteſt; non ſpatium temporum, non patrocinium perſonarum, non privilegium regionum*: aſſerente Tertulliano lib. de Velandis Virgin. Illa triumphatrix Hiſtoria, in qua obſeratum eſt veritatis gazophylatium, ita omnium animis dominabitur, vt per vllam aboleri nequeat præſcriptionem. Non timet *ſpatium temporum*, quæ Veritatem æternam ſinu ſuo concludit, & fovet. Non cavet *patrocinium perſonarum*, quæ perſonatam falſitatem non ſimulat. Non veretur *privilegium Regionũ*, quæ per privatas Theologorum leges, poſt criſim longiſſimam, à Veritatis throno nondum excidit. Neque in aniles fabulas iſthæc eſt releganda Hiſtoria; quoniam forſitan privatis quandoque tuis refragatur opinionibus, quibus intellectu æquè ac voluntatę adhæreſcis. Hunc opinandi rigorem mollire ſtuduit Sixtus III. in ſuo Opere inquiens: *Habet quippe hoc conditio generis humani, vt nec proprio, nec extraneo iudicio acquieſcat; & contra omnium, ſuamque conſcientiam venire malit, quàm id impugnare, quod ingenti ardore dilexit.* Nullus diffitebitur, in hiſce libris contineri plurima, quæ, ſi vna conſulatur Theologia, neutram in partem, vel contra, vel pro ſe, ſortiantur probabilem rationem; ſed veroſimili tantùm coniecturæ, aut piæ credulitati ſtandum ſit. Nec mirum; cum talia noſtram prætervolarint diſputationem; imò niſi apertis eventuum tabulis, quæ nos latent prorſus, comprobari non potuerint.

In illiuſmodi rebus ſola coniecturalis præſumptio, quam aliunde conceperis, ſatis, ſuperque eſt, vt fidem non renuas, vtque velut figmenta ſtatim non expuas. Hanc ſibi fidem ab omnibus iamdudum promerita eſt Dignitas Deiparæ, quæ in huius Hiſtoriæ ſcopum præfixa eſt. *Præſumuntur multa* (verba ſunt Nicolai Abbatis de S. Albano, à ſecretis S. Bernardi, apud Petrum Cellenſem lib. 9. Epiſt. 9. de Virgine) *præſumuntur*, de

Vir-

Virgine inquam, *multa, quæ nuſquam leguntur; & præſumptionibus ſtandum eſt, donec probetur contrarium.* Prætcrquamquod teneriorem quodammodo benevolentiam erga Deiparam præſefert, quiſquis, vt quorundam eius privilegiorum Aſſertor exiſtat, non vſque pedem fixerit, velut in tuto, in fulcro probabilitatis, ſed vel ſolis etiam præſumptionibus fidem adſtruat. Quinquòd vix vlla eſt pia, & digna de Virgine Matre præſumptio, quæ probabilitatem non induat, accedente præſertim fulcimento vniverſalium principiorum, quæ pro dimetiendis Mariæ privilegiis à pleriſque Theologis ſtatuuntur. *Maiorem affectum ibi debeo* (ait Auguſtinus Serm. 31. de Temp.) *vbi credulitatem meam cogit contemplatio, quàm vbi fidem hortatur opinio.*

Quòd ſi quiſpiam, humili verborum ſocco aſſuetus, ſuſpexerit forſitan ſuperiorem, & ferè cothurnatam Suadam, quæ huius Hiſtoriæ paginam expolit, obaudiat ſibi facientem ſatis Rupertum lib. 1. in Ioannem: *Nequeo ſatis admirari Dei Sapientiam, quomodo ſummis in negotiis non dedignata comitem habere ſæcularem eloquentiam.* Quin etiam in ſacris ſubinde Bibliis, quæ digito Dei abs dubio conſcripta ſunt, ita nonnunquam vera detriumphat eloquentia; vt & Tullios; & Plinios mutire, pluſquam piſces, ſuorum maieſtate verborum cægerit.

Quòd ſi quiſpiam etiã querulus ingemiſcat, Fœminã alioquin Theologiæ rudem, & vix ſcribendi ſciolam, in hanc ſurrexiſſe gloriam, vt quoddam, vt ita dicam, quaſi adimplementum Hiſtoriæ Evangelicæ ſuperaddiderit; quiſquis ille eſt, audiat, & videat intonantem ſimul & fulgurantem Chryſoſtomum, qui verſans verba Pauli ad Epheſios 3. *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia:* in hanc emicat ſententiam hom. 7. Epiph. & Prol. in Ioan. *Si ergo Principatus, & Poteſtates, Cherubim, ac Seraphim hæc per Eccleſiam didicerunt; planè*

con-

conſtat, ipſos Angelos ſumma cum attentione eius ſe Auditores exhibuiſſe. An non Cherubim, tanquam Pauli Scholares, eius gymnaſium frequentarunt; & ab eius ore quaſi pendentia, didicerunt plurima? Eccur ſuſpiciendum iam ſit, Fœminam auſpicante Numine deſtinatam fuiſſe in Gymnaſiarcham ſubſequentium Theologorum, & inter viros Viraginem fuiſſe donatam Theologico magiſterio? *Multa enim ſunt* (ait Chryſoſtomus tom. 3. Homil. de Fer. Repr. & de converſ. Pauli) *quæ magni, & admirabiles viri ignorant; quæ tamen parvi, abiectique ſcire ſolent. Humanam naturam multa latent; & ſæpe abiectus quiſque, & vilis invenit, quod magnus, & ſapiens vir præterit.* Id ergo, quod in notione naturalium vſuvenit, in ſupernorum cognitione identidem accidit; vt noſtræ ſit iuſtum probrum præſumptionis.

Siquis tandem anxius hæreat, tot poſt Olympiadas, & Sæculorum moras ab Evangelijs conditis, iſtam in Theatrum Orbis prodire, vt ita dicam, Evangeliſtam Marianæ Vitæ; ſuam ab ipſo hæſitationem propulſat ille idem, qui Danielem cap. 12. ſic alloquitur: *Tu autem, Daniel, claude ſermones; & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum; plurimi pertranſibunt, & multiplex erit Scientia.* Spiritus quidem vbi, & quando vult, ſpirat. Taceo alia. His ergo de cauſis, doctiſſimam & vberrimam Apologiam, in qua, & per quam illæſus aſſervatur honor Marianæ Hiſtoriæ, non ſolùm prælo, ſed cedro dignam arbitror; neque in ea quidpiam comperio, vel diſſonum Catholicis dogmatis, vel minus conſonum Chriſtianis moribus. Sic cenſeo, ſalvo, &c. Cæſaraugustæ, in Collegio Societatis Ieſu, die 4. Decembris anno 1698.

Michael Monreal.

FA-

FACULTAS ORDINARII.

NOS D. LAURENTIUS ARMENGUAL del Pino, Regius Sacellanus, Cōpoſtellanæ Eccleſiæ Canonicus, Archiepiſcopatus Cæſarauguſtani Viſitator, Vicarius Generalis, & Epiſcopus Auxiliaris Electus, pro Excellentiſsimo D.D. Antonio Ybañes de la Riva Herrera, Archiepiſcopo Cæſarauguſtano, &c. tenore præſentium facultatem facimus R. P. Fr. Joſepho Nicolao Cavero, ut in lucem edere queat, typiſque mandare Librum, cuius titulus: *Anti-Agrediſtæ Parienſes Expugnati*: ex præſcripto noſtro viſum iā & approbatum à RR. PP. Fr. Franciſco Solís, Theologo Salmanticenſi, & Michaele Monreal, Theologo Cæſarauguſtano. In quorum fidem has literas expediri iuſsimus & conceſsimus. Cæſarauguſtæ 8. Decembris anno 1698.

D. Laurentius Armengual del Pino,
Vicarius Generalis.

De Mandato Illuſtriſsimæ ſuæ Dominationis.

Emmanuel Monzon & Lamata, Not.

d CEN-

CENSVRA

RR. P. M. Fr. DIDACI GRACIA, ORDINIS Sancti Auguſtini, in Cæſarauguſtana Academia Artium Magiſtri, Theologiæ Doctoris, ac in eadem, poſt alias obtentas Cathedras, Sacræ Bibliæ perpetui Moderatoris, Sanctæ Inquiſitionis Qualificatoris, & Archiepiſcopatus Synodalis Examinatoris.

AVdieram, non ſine admiratione, & vix credideram, poſt multas, eaſque graves procellas in Hiſpania ſedatas, quibus Libri Venerab. Matris, Mariæ à Ieſu de Agreda, in Fidei Tribunalibus agitati, ad portum tandem feliciter appulere, Librum ſeu Tomum primum Myſticæ Civitatis Dei, Gallico Idiomate cuſſum, nova exorta Pariſijs tempeſtate, non modò periclitaſſe, quin & in Sorbonico Sapientiæ Oceano Cenſuris impeti.um, probris affectum, & penitus laceratum, miſero naufragio interijſſe; re tamen notiore facta, quàm dubitari poſſit, Cenſura Pariſinæ Cenſuræ in Gallia prodijt, & iterato conatu libros doctrina, libellos mole Hiſpania dedit, præproperam, inconſideratam, iniuſtam Cenſuram nervosè, etſi breviter, convincentes: dolebam adhuc rem tantam non pro dignitate diſcuſam, nec tanto rationum & authoritatum momento firmatam, quanto opus erat ad eluendam authoritatem Academiæ, toto Orbe celebratiſſimæ, & antiquis Theologiæ Proceribus ſpectatiſſimæ, cuius ſpecioſiſſimo nomine vulgata eſt, quanquam falsò, Cenſura; cum iuſſu Perilluſtris D. D. Antonij Blanco, Regiam in Aragonia Regentis Cancellariam mihi concreditus ad examen fuit Liber contra Anti-Agredianos Pariſienſes, à R. P. M.

Fr.

Fr. Ioſepho Nicolao Cavero, Regij Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum; veritatis & pijſſimæ doctrinæ, potiùs quam Patriæ amore elaboratus. Legi avide, evolui ſtudiosè & obſtupui: noveram enim noſtræ Academ æ Doctorem, publicum Subtiliſſimi Scoti Cathedræ Anteceſſorem, in Scholaſticis tricis enodandis, aut implicandis ſubtiliſſimum, in Academico pulvere, non ſine gloria, iterató verſatum, magni virum ingenij; iam verò in hoc Opere eundem experior omnigena eruditione conſpicuum, nedum Scholaſticam, quin etiam Dogmaticam Theologiam apprimè callentem, & cum Dialecticæ nervis Apologiæ aculeos, atque authoritatum momenta cordatè, & opportunè immiſcentem.

Non defuere Hiſpani, qui putaverint, Cenſuram omnino deſpiciendam; vel quòd ſolùm contra Editionem Gallicam latam, vitio forſan imperiti Interpretis depravatam, vel quia plura, quæ rudiori minerva Cenſura configit, iamdudum in noſtræ Hiſpaniæ Tribunalibus altè diſcuſſa palmam reportarunt; nec abs re aſſumendum cenſebant oraculum veritatis *Noli reſpondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne ſimilis fias illi*. Sed cùm Cenſorum verſutia in Prologo Venerabilem Fœminam eluſam inſimulet, atque tacitè proinde Noſtrùm nimiam credulitatem audacter accuſet, ſeſe prodit animus, livorem non ſiſtere in vernacula Verſione, ſed doctrinam Abbatiſſæ directè impetere, & Nationem nimis circunſpectam, ſpeculativam, in iudicando, & credendo moroſam, levitatis arguere; & quidem non imperitum vulgus, aut tabidam plebem, ſed Nobiles, Dynaſtas, Reges etiam, & Sapientiſſimos complures, illius doctrinæ acquieſcentes, nec ſine fructu vacantes; cumque ſæpius hæreſis ſuſpicio obtrudatur, reſpondere operæpretium eſt, nec ſilere permittitur, aiente D. Hieronymo Epiſt. 61. *Stultum eſt, fruſtra infamiam ſuſtine-*

ſtinere. Et infrà : *Nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam eius, conſcientia iudicetur, ſi taceat.* Nec quiſquam Hiſpanos leves in credendo oſtendet, quibus, ſemel & iterum ad Theologicam trutinam vocatis Libris, nihil in eis incredibile innotuit, & per longiſſima temporis ſpatia Matris vitæ innocentia patuit; quinimo immaturæ incredulitatis Gallos Cenſores convincere in promptu eſt; quippè qui, necdum examinatis verarum revelationum ſignis, nec Perſonæ notitia prælibata, vllo abſque fundamento quidquid non ſtatim arridet, condemnant, dextrorſum ſiniſtrorſum Cenſuras iaculando, vlla ſine ratione, quaſi Delphica ex Tripide, oracula eructando.

Ipſos autem iuvare nequaquam poteſt quod ait Canus lib.11.de Locis, cap.5. obfirmans, *hanc labem nimiæ incredulitatis præcellentium eſſe ingeniorum*, reponente Theophilo Raynaudo in Hoplotheca contra ictum Calumniæ cap. 27. *Sordere plerunque hac labe homines modicæ ſtaturæ, nec ſupereffluentis literaturæ*: qui, vt ſupra reliquum vulgus ſupercilium attollant, omnia nimis adunco naſo iudicant, & veluti ſomnia ac fabulas condemnant. Nec ex eo quod cauſam, iam antea victricem, denuo agat, huiuſce Libri immenſam eruditionem, & vivaciſſimam energiam ſupervacaneam eſſe quiſquam arbitretur; ſiquidem novos contra hoſtes arma cudere nova neceſſarium eſt, quoties non ſufficit, antiqua ad inſtã defenſionem aptare. Vtrumque fœliciter aſſequitur Author, adeo vt pro defendando textu, etiam Gallico, Venerabilis Abbatiſſæ, aliquid deſiderari non credam; protulit enim de Theſauro ſuo nova & vetera, quibus omnino, boantia potiùs, quàm cædere valentia Cenſurarum tormenta exarmantur. Aſt qui Hiſtoriam legerim Sorbonicæ Sententiæ, opportunum reor, ſi quatuor illius circunſtantias leviter ſaltem attingam, vt iu-

iuſtæ defenſionis modus magis eluceſcat.

Quis Cenſurā tulit? Si attēdat Lector, hærebit anxius: In fronte perſpiciens Sorbonicum Collegiū, Academiā Pariſienſem, credet aut ſuſpicabitur Irrefragabiles, Angelicos, Fundatiſſimos, Subtiliſſimoſque Principes redivivos, virga vſos Cenſoria ex Cathedra tonaſſe, & Cenſuram tanto ſcriptam attramento nunquam obliterandam. Rideo; non Almam Facultatem dixeris (quam maxima ſemper ornatam ſapientia, mirabili fœcundam doctrina haud inficior) ſed quoſdam Theologos, ni velis, ſi paucos excipias, Theologaſtros, tumultuariè penè conſarcinatos, reclamantibus doctiſſimis, nec numero imparibus, cùm ex Regularibus, tùm ex Sæcularibus. Quanti autem hæc ſint facienda iudicia, vel mediocriter eruditus pleniſſimè aſſequitur.

Quid configere audeant? Si ſeveriores perpendantur Cenſuræ, Liber hetherodoxi alicuius animi apparebit, aut mulierculæ deluſæ & delirantis, nulla virtutis aut Religionis ſpecie fulgentis, ſed pro aura populi captanda lubrica ſomnia venditantis, & obſcura figmenta promentis. Sed proh mendacium! Venerabilis Abbatiſſa odore virtutum totam replevit Hiſpaniam, eius Principibus fuit apprimè chara, doctiores in admirationem doctrina rapuit, & cùm de eius vita & moribus Pontificia inquiritur authoritate, Sanctorum faſtis adſcribendam ſperamus: ſcripſit vitam & prærogativas Beatiſſimæ Virginis Mariæ; cuius quidem in ſcriptum adeo fervidè invehuntur Cenſores, vt abs re non fuerit repetere, quod Marianus Theologus Pater Hippolytus Marracius in Diptychis aiebat pag. 3. num. 8. *Iuſtiſſimè doleo Catholicos quoſdam de B. Maria adeo malè mereri*: cum rara & inaudita de Maria SS. effari, de qua nihil commune dicere fas eſt, vitium cenſeant, ac ſtatim temeritatis, probroſæque novitatis accuſent. Contrarium certè viros decet Catholicos & probos, atque ad Mariæ

lau-

laudibus religioſè aſſentiendum nec deſideranda ratio, ſufficiunt coniecturæ, dicente Nicolao à S. Albano, vt refert Petrus Cellenſis lib. 9. Epiſt. 9. *De Beata Virgine præſumuntur multa, & præſumptionibus eſt ſtandum, donec probetur contrarium.* Nec doctiſſimi quique inſciæ fœminæ doctrinam faſtidire debent, cum dicat Chryſoſtomus Hom. de ferendis reprehenſionibus: *Multa ſunt, quæ magni & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parvi & abiecti ſcire ſolent*; præſertim divina revelatione: Deus enim plura abſcondit à ſapientibus & prudentibus, quæ parvulis revelat. Id vero maximè dolendum, quod ex Pariſina Schola, ab ipſis ferè incunabilis firmandis probabilibus Deiparæ laudibus aſſueta, & reliquis Academijs de elucidanda Deipara antiquitus præeunte, Doctores prodierint, ipſius Virginis probabilibus ſanè decoribus carpendis modò appliciti. O Tempora!

Quomodo Cenſuram vulgaverint? Diſertè profert Gallica Cenſura Cenſuræ; vtique contra maiorem & ſelectiorem ſuffragiorum partem, excitato tumultu, probris affecto optimo viro Reverendiſſimo Meron Franciſcano, doctrina etiam & probitate conſpicuis RR. P. Fraſen eiuſdem Familiæ, & P. Morel Auguſtiniano à Comitijs Academiæ abire coactis, alijſque Sæcularibus & Regularibus varijs vijs deterritis. Sic iudicium proferentes quis dicat Cenſores? Non quidem ipſe, imò, alius calumniatores appellabit: calumnia enim ex Luciano & Lypſio orat. de Calumnia eſt: *delatio mentita odio, clanculum re calumniatori credita, delato ad defendendum & reſpondendum non admiſſo*: vti nec admiſsi, quinimo repulſi fuere graviſſimi PP. quibus hac in cauſa onus reſpondendi & defendendi incumbebat: igitur quidquid tãdem actum cernitur, calumniam potiùs, quàm iudicium æquum redolet. Mirandum etiam valde, quod, quantum ad Facultatis congregationes

nes

nes attinet, res adeo gravis tredecim diebus peracta ſit. Qua fronte? Audiatur Gerſonius part. 4. pag. 270. *Quandoque in vnius dicti Theologici diſcuſſione, priuſquam ad Cenſuras veniretur, impenſum tempus ſolidi anni, quandoque bienij; aliquando verò poſt longam conſultationem nihil fuiſſe cõcluſum.* Moderetur Antiquus Cancellarius Pariſienſis Scholæ, qua de loquitur, fervidos iſtos, novos, feſtinantes Sorbonicos Magiſtros, qui tot Cenſuras tam brebi tempore finxere, iaculavere, & fecerunt ſub prælo ſudare, lectiſſimæ, & pijſſimæ fœminæ famam, toto Orbe clariſſimam, obſcurantes: inde Cenſuræ adeo exleges, adeo irridendæ evaſerunt, vt identidem Author eruditè demonſtrat.

Si *quando* Cenſura emanaverit, tantiſper delibetur, vniverſo mundo admirationi erit. Poſt cauſam, per longiſſimum tempus, in Hiſpaniæ Tribunalibus validè, accuratèque agitatam & examinatam, poſt liberam Librorum lectionem, à Summo etiam Eccleſiæ Paſtore ad pijſſimam Regis Catholici petitionem impetratam, ſilentibus omnibus, nec ſine profectu legentibus, cantant minaces, rigidaſque Galli quidam Cenſuras. O Homines occulatiſſimi! Nævos in Sole videtis, quemadmodùm Academici veſtri Mathematici, quos tot accuratiſſima lumina, imò ipſa ſumma Eccleſiæ acies nondum vidit. O Summus Sapientiæ conventus! In quo Fidei Tribunalium, imò & Supremi Cenſoris negligentiæ corriguntur, & hebetudo exprobratur. Sed potiùs ò eximiam audaciam! Quam ſpero in hominibus, ad ſe reverſis, quantocius reprimendam, emendandamque.

Hæc de circunſtantijs iniuſtæ confixionis volutabat animus, erga Venerabilis Abbatiſſæ ſcripta benè affectus, veritatis amator, præcipitem alios condemnandi licentiam horrens, & laudum Beatiſſimæ Virginis Mariæ propugnatores gratos habens, atque vt ad concre-

ditum

ditum munus tandem redeam, laudo & laudabo ſemper Authoris ſtudium, ingenium, laborem, quibus prorſus iniuſtas proſternit confixiones, nihil proferendo humanæ, divinæve Maieſtati adverſum, ſed ſolidas veritates SS. PP. & Scholaſticorum ſuffragijs communitas, ſtylum acutum, nervoſum, Apologeticum, & omnia prælo & plauſu digniſſima. Sic ſentiebam Cæſar-Auguſtæ in Conventu S.P.N. Auguſtini die 15. Decembris anno 1698.

Fr. Didacus Gracia.

IMPRIMATVR.

Blanco, Regens.

CEN-

CENSVRA

R. A. P. MAGISTRI Fr. JOANNIS INTERIAN de Ayala, Regij Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captivorum; in Salmanticenſi Academia Artium Magiſtri, Theologiæ Doctoris, ac in eadem Cathedræ Sacræ Linguæ Moderatoris.

IVSSV Reverendiſſimi P. N. Magiſtri Fratris Ioannis Navarro, totius Sacri Regij, ac Militaris Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Generalis Magiſtri, Domini Baroniarũ de Algar & Eſcalès in Valentino Regno, S. C. M. à Concionibus, &c. Legi ſedulò, ac, qua par eſt, animi attentione evolvi librum, cui ephigraphe: *Anti-Agrediſtæ Pariſienſes Expugnati*: & cuius Author P. M. Fr. Ioſephus Nicolaus Cavero eiuſdem Ordinis, atque in Regia Cæſar-Auguſtana Academia Sacræ Theologiæ meritiſſimus Anteceſſor, &c. Legi equidem, ac primùm tam benigno imperio grates referre impensè cogor, qui *indulgentiæ iſtud eſſe, non iudicij*, & mecum ſæpè reputo, & planè profiteor. Quid etenim mihi iucundius, quid vtilius vnquam contingere potuit, quàm ſapientem virum, quem ex facie cognoſcere haud licuit, ex ſcripto, charactereque, nihil niſi pietatem, atque eruditionem ſpirante, penitius noſſe, pleniùſque inſpicere?

Vidi igitur (vt iam cum ſæculi huius eruditorum Principe id eloquar) *libens, & legi libentiùs: ita me & res, & ipſa ſcriptio, & iudicium trahebant. Multa opportune miſcuit ad fidem, ad intelligentiam, ad vitam, & mores, quam partem in ijs ſcriptis ego maximè requiro, & amo.* Iam ſi de ſtyli ipſius non tam fucata venuſtate, *Iuſtus Lipſius Epiſt. 27. centur. 1.*

quàm verè ſolida, nervoſaque maieſtate, & quæ minus pompæ ſubſerviat, quam pugnæ, præfari liceat, plura hic ſanè dicenda eſſent, quæ tamen eruditiorem, magiſque diſſertum ſtylum expoſcunt. Sed præijt nobis etiam in parte hac eiuſdem viri graviſſimi in ſimili argumento iudicium. *Non dicam* (inquit) *de ſtylo, qui gravis ſimul, & præter communem modum diſſertus eſt: ſed illum adeſſe, etſi gaudeo, tamen ſi abſit, ipſa etiam res ſic tractata delectat. Ordo, & iudicium & optimus ille finis ea ſunt, quæ in re pietatis me capiunt.* Vt profectò qui perfectum, exactumque Opus, atque omnibus, quod dicunt, numeris abſolutiſſimum hic inſpiciat, palamque prædicet, non blandior vtique laudator, ſed ſyncerior iudex cenſeri debeat, neque amicitiæ tantum obſequutus, quàm veritati.

Idem ibidem.

Quod verò attinet ad ipſius Operis argumentum (nā vt de hoc etiam omnino non ſileam, multæ me in hac præſentia rationes admonent) Apologia eſt elegans, erudita, ac planè Theologica, qua illuminatam Magiſtrā, Venerabilemque Matrem Mariam de IESV vulgò de *Agreda*, eiuſque cœleſtem, ac nullò humano commercio comparabilem doctrinam, ex Sacris tum Concilijs, tum etiam PP. validiſſimè tuetur, atque propugnat, idque adverſus Cenſuram, Iudiciumque quorundam, qui fortè ſub prætenta Facultatis Theologicę Pariſienſis larva oppugnandi ardorem, iudicij auſteritatem, privatoſque affectus perſonarunt. Et quidem mirari non deſinam, viros ſapientes, Theologos, et, quod putare fas eſt, de Religione, pietateque egregiè benemeritos adverſus ſcripta Religioſæ Virginis, quæ omnino pietatem, religionem, virtutem continent, præſeferunt, ſtylum acuere, armaque exerere voluiſſe; vt non immeritò inclamare quis poſſit.

Quis furor O Cives!

Lucan. lib. 1. Pharſal.

Ita ne enim in religioſa ſcripta dimicare nunc libuit,

&

& omiſſa publica Religionis cauſa hanc belli molem, armaque convertere? Cumque ſuperba foret hæreſis, aut vitiorum Babylon male partis ſpolianda trophæis,

Bella geri placuit nullos habitura triumphos. *Ibidem.*

At quo queſo nomine tam acerbi cuditur Cenſura iudicij? Fortè quia tale, tantumque Opus ægrè ferunt ab fœmina, pia licèt, & Religioſa, perfici: hac enim ex cauſa viris doctis fortaſe paſſim minùs, quàm fas erat, arriſit. Sed viderint, Deum exercituum viris, fortiſſimis licèt, atque expeditiſſimis, adeò non indigere, quin aliquando per fœminam vincat. Qua in re ſatis ipſe complacet Deus, & nova bella quaſi glorioſiora meritò prædicat. *Nova* (inquit Sacra bellatrix, plenaque Deo) *bella elegit Dominus.* Nova ſcilicet; quia quod per Abrahamum, Ioſuem, Iudam, alioſque fortiſſimos viros, hoſtes Dei funditus delerentur, protruderenturque, hoc antiquum, & conſuetum erat; quòd vero per fœminam, Debboram ſcilicet, & Iahelem vinceret, hoc prorſus novum erat, atque inauditum, vt ibidem annotat Abulenſis. *Iudicum cap. 5. ver. 8.* *Abul. ibi.* Ergo non abſimiliter quòd, profligatis erroribus, dogmata Fidei firmarentur, quòd vitia virtutibus victricibus pellerētur, bella quidem Dei erant, fueruntque ſemper; ſed antiqua, ea videlicet, quæ SS. olim PP. viri nempe in hac Militantis Eccleſiæ acie ſtrenuiſſimi, Deo duce, & auſpice, geſſerunt: quòd verò his poſtremis ſæculis idem tam validè præſtetur à Religioſa fœmina, bella nova ſunt; ſed nec minus Dei, præſertim cùm hæc, fœmina quidem, ſed quæ divino, vt piè credi par eſt, afflatu plena gerat, virtutumque omnium fulgore ad ſtuporem vſque ornatiſſima.

Nam quod ad Venerabilis huius Virginis, piæque Matris laudationem ſpectat, quotuſquiſque piorum eſt, qui ambigat, illam non ſolum chriſtianas, atque eximias impenſiùs, quàm dici poſſit, ſemper virtutes excoluiſſe, ſed ferè omnium abſolutiſſimum exemplar

extitiſſe virtutum? Notiora ſunt hæc, quàm vt exili, ieiunaque noſtra commendatione egeant: & quæ quiſque ſatis ex illius vitæ ſerie, quam eiuſdem Operibus præfixam vir quondam Illuſtriſſimus, & cùm doctrinæ, dignitatiſque tum probitatis laude cumulatiſſimus edidit, luce ipſa clariora conſpiciet. *At de ipſa* (vt in ſimili Nazianzenus habet) *non minus verè, quàm magnificè prædicari poteſt, quod virtutes partim imitata eſt, partim ita geſſit, vt earum ab ipſa exempla peterentur, quodque eas partim invenit, partim ſuperavit.* Qua quidem ratione factum eſt, vt quicunque illius ſcripta tantiſper delibet, pietatis ſtatim neſcio quos ſtimulos experiatur, & ſentiat, adeo, vt maius quiddam fœmina, imò ſupra humanam naturam maius inibi advertens, iure vſurpare admiratione raptus id poſſit, quod falsò cuidam numini latinus olim Vates accinuit.

Nazianz. Orat. de laudib. Soror. Gorgon poſt. med.

O quam te memorem Virgo! Namque haud tibi vultus
Mortalis nec vox hominem ſonat.

Virg. lib. 1. Ænei.

Neque id mirum; cùm etiam in teneriori ætate cordis, & ſilentij ſeveriſſima cuſtos, apud viros etiam authoritate, & doctrina inſignes id conſequta fuerit; vt plane de ea dicere potuerit Ambroſius: *Effecit denique vt ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur: quia quod vltra naturam eſt, de authore naturæ eſt.* Sint igitur, qui illius doctrinam, aut ſuggillent taciti, aut palam oppugnent; non deerunt etiam, qui fœlſciùs tueantur, atque propugnent. Et in ſumma, *quæ cum Chriſto vivit* (ita piè credimus) *in Cœlis, in hominum quoque ore victura eſt. Tranſibit et præſens ætas, ſequentur ſæcula pòſt futura, quæ ſine invidia iudicabunt.* Hoc igitur tale tantumque munus cùm adeò fœliciter impleverit iſtius Operis doctiſſimus, ac pijſſimus Scriptor (cuius laudibus ampliùs immorari me vetat eiuſdem inſtituti profeſſio, ne quod veritati impenditur, gratiæ tributum videatur) multis nominibus expoſcit, vt typis man-

Ambroſ. lib. de Virg non long. a princ.

Hieronym. Epiſt. 25. ad Paul. in fine.

detur

detur Opus luce digniſſimum. Ita accenſebam in hoc Regio B.M. de Mercede Vallis Oletano Cœnobio Kalend. Octobris 1698.

Fr. Joannes Interian de Ayala.

CENSVRA

R.A.P. MAGISTRI Fr. AMBROSIJ ALBENdea, Regalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, in Complutenſi Academia Theologiæ Doctoris.

OPVS à P. Magiſtro Fr. Ioſepho Nicolao Cavero, Regalis,ac Militaris noſtri Ordinis,in Academia Cæſarauguſtana Theologiæ Doctore,& in eadem Scoti Cathedræ, communi omnium plauſu, Anteceſſore, pro defenſandis propoſitionibus Venerabilis Abbatiſſæ de Agreda à quorundam Pariſienſium Doctorum Cēſuris, luci publicæ paratum, iuſſu Reverendiſſimi P.N.Magiſtri Fr.Ioannis Navarro,totius Ordinis Generalis Magiſtri, &c. ad Cenſuram mihi demandatum, *tanquam* (1) *ex commodo lecturus aperui, deinde deguſtare incipiens tanta dulcedine me tenuit & traxit, vt illud ſine vlla dilatione perlegerim*; anceps tamen,quodnam aut prius, aut potiùs in eo mirarer, an materiæ dignitatem, an gravitatem ſtyli, an ingenij dexteritatem, an denique iudicij maturitatem.

(1) *Seneca ad Lucilium.*

Materiæ dignitatem quilibet vel non intelligens ſtatim intelliget;nam hìc non tam Venerabilis Abbatiſſæ, quàm Beatiſſimæ Virginis Mariæ cauſa agitur, cùm reve-

Digitized by Google

revelationes, quæ illi de eiuſdem Virginis dotibus, immenſiſque gratijs, piè ſupponuntur factæ, non ex alijs capitibus, vnde non raro in fœminis parvam fidem promerentur, ſed ex falſitate obiectorum rejiciantur. Quid verò dignius Hiſpano viro, Filioque Virginis de Mercede, quàm tantæ Matris honori conſulere? Multis de nominibus cuncti homines Virgini Deiparæ adſtricti ſunt, pluribus fideles, ſingularibus Hiſpani, potioribus Religioſi, potiſſimis tamen Mercenarij; quos cruci Filij, iamiam pro hominum ſalute animam acturi, cùm adſtaret illa ſpecialiſſimè ab eo commendatos ſuſcepit, concepit, pòſt Barchinonæ peperit, ſuiſque pietatis & charitatis vberibus lactavit, perq; mores ſuos & inſtillat & inſtillabit: igitur tanto Theologo digniſſima profectò hæc ſuppetebat materia, & candida noſtra Familia, cui nomen dedit, hunc ab ipſo laborem expetebat, in nihilo gratiùs illius gratitudinem expertura, quàm in laboribus pro tantæ Matris gloria propugnanda ſuſceptis.

Styli gravitas materiæ dignitatem exequat: ſolidioribus Theologiæ principijs, Scripturarum, Patrumque authoritate munitis rem conficit, ne cogitationibus pijs, quibus ſemiſopitum intellectum nō infrequenter fallit, quin fallatur affectus, huius veritatis machina conſiſteret, ideoque facilè rueret: Theologum certè agit, piè verum, verè pium, ſubtiliter ſolidum, ſolidè ſubtilem, profundè clarum; Marianum tandem, vt vno verbo & radix & fructus fœliciſſimi Operis omnibus pateſiat. Non facetijs aut ſcommatibus adverſantium obtrudit ora, *ne queruli* (2) *garriant verbis magis, quàm veritate ſuperatos*; imò *humaniſſimè* (3) *cum illis agit, vt planè rem ipſis potiùs, veritatem, inquam, intelligant adverſari, quàm hominem*; qui, pro maxima erga Pariſienſes reverentia, confictam credit Cenſuram Academiæ nomine vulgatam, quaſi illorum honori multùm detraheret.

(2) *Hieronym. adv. Iovinia. lib. 1. Initio.*

(3) *Baronius. tom. 1 in præfat.*

heret per ſubſcriptionis Fidem. Fecit itaque (quod in
Apologetico Scriptore mirum eſt) neſcio qua arte,qua
prudentia, *contentionem* (4) *laudabilem, adhibendo falſi-* (4) *D. Th.*
tatis impugnationi debitum acrimoniæ modum. *2. 2.q.38.*

Si ingenij dexteritatem inſpicio,ſtatim occurrit illud *art.1.*
Hieronymi *Benè* (5) *ſine nominis dignitate ſola indi-* (5) *Lib.2.*
cantur ingenia. Dele Authoris,iamdiu revelante fama *Comment.*
cogniti, nomen præclariſſimum, lege Librum, & inge- *in Oſeam.*
nij fœliciſſimum fœtum invenies; audi ſonum,& aurei
metalli venam dignoſces. Veritatem in alto involutam
latere ſcripſit Seneca , (6) vt ex illa nondum occupata (6) *Lib.7.*
multa futuris relinquantur iuxta Synaitam: (7) plura *de Benef.*
nos Antiqui docuerunt, pluraque Moderni glorioſa de *cap.7.*
Civitate Dei Myſtica prædicarunt , ſed Author plura (7) *Lib. 2.*
addit,plura adinvenit,licèt plura repetat,dum plurium *Epiſt. 36.*
PP. & Doctorum authoritates maximo ſudore conge-
rit: addit,dum illorum ratiocinijs alia,& alia adiungit:
adinvenit, quia novo ordine, novo ſtylo, nova claritate
antiquorum placita illuſtrat,quod haud facile eſt *Nam*
invenire (8) *præclarè , enunciare magnificè , interdum* (8) *Plinius*
etiam barbari ſolent, diſponere aptè, figurare variè , niſi *Iunior lib.*
eruditis negatum eſt. Dicam ergo nihil proprium in *1.*
hoc Opere inveniri, vt Authoris humilitati conſulam;
ſed etiam nihil inveniri alienum, conſulens veritati.

Iam denique ſi iudicij maturitatem conſiderem,neſ-
cio quid eloquar admiratione plenus? Nam certè (ſine
aſſentatione) ſupra ætatem eſt: non computatur ſene-
ctus annorum numero, (9) *ſed cani ſunt ſenſus hominis,* (9) *Sapien-*
& ætas ſenectutis vita immaculata; ita eſt,ſed (10) *quis* *tia 4.*
eſt hic & laudabimus eum? Periculoſa res de revelatio- (10) *Eccle-*
nibus privatis ferre ſententiam , in qua plures doctiſſi- *ſiaſt. 31.*
mi defecerunt. Sunt, qui omni ſpiritui credentes con-
tra Ioannis (11) monitum,non diſcernunt *ſi ex Deo ſint;* (11) *Epiſt.*
& neſcio qua propenſione, aut quo erga fœminas pon- *1. cap.4.*
dere promptiores ſunt ad credendum , ipſis Deum po-

tiùs

rius quàm hominibus loqui, niſi ex vno latere humanitatem benegniſsimam Dei ſcientes, qua ſeſe creaturarum genio attemperat, ex alio fragilem naturam attẽdant, ob quã Dei blanditijs, teneriſque collocutionibus magis quàm homines indigeant; ſed ſanè ob hoc (ingenuè fateor) tardus ſum corde, vt credam; nam præſtò adeſt curioſitatis ſpiritus, & huic mendacij; propter eaque ſine dubio crediderim, ſuis Monialibus ſcribentem Thereſiam, in nullo mulierem, dixiſſe, *durum eſſe inter centum mendacia vnam veritatem quærere*; quin tamen addiderit *invenire*; verùm nec ita ſtultus ſum, vt velim Deo cum fœminis ſilentium indicere, quaſi ſola hominum converſatio (12) in cœlis ſit vt audiant arcana Dei: aliquando certè loquutus, aliquando loquitur, & ſæpè fœminis in poſterum loquetur; quoniam ſi *gloria* (13) *Dei eſt celare verbum*, amici etiam ſponſi tener amor nota ſolet facere, quæ à Patre audivit; ſed quibus & quomodo ipſe novit, & nos ad rectè iudicandum ſpiritu Dei indigemus, ne aut nimiùm leves Deum loquacem, aut nimis duri Deum mutum faciamus. Hanc ergo mediocritatem, quam in pluribus, aliàs doctis, deſidero, tenuit Author, dum prudentem credibilitatem veritatum, quas piè iudicat Venerab. Abbatiſſæ revelatas, ita theologicè probat, vt in aperto ſit, non exceſiſſe pietatis terminos, ſed intra ſeveræ veritatis metas ſeſe continuiſſe.

(12) *Ad Philipp. cap. 3.*

(13) *Proverb. 25. v. 2.*

Calamum iam pono, & ad te, Docte Magiſter, mea, iure optimo, oratio convertitur: quot dotes habet, tot titulis liber approbatus conſpicitur. Libri Filij ſunt, qui naturam Patris per originem ducunt, quam, antea non ſatis notam, omnibus adaperiunt: Liber hic (14) *pene totum nobis te* exhibet: *Si enim propterea te non novimus, quia faciẽ corporis tui non vidimus, hoc modo nec ipſe te noſti: nam tu quoque non vides eam; ſi autem tibi non ob aliud notus es, niſi quia noſti animum tuum, & nos eũ*

(14) *Auguſtinus ad Hieron. & apud ipſũ nu. 3. epiſt. 87.*

non

non medi ocriter novimus in literis tuis, in quibus bene-
dicimus Dominum, & Mariam Matrem, quòd tibi & no-
bis, omnibusque fratribus, qui tua legunt, te talem dedit.
Igitur non abſcondas lucernam ſub modio, ſed pone ſu-
per candelabrũ, (15) vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. (15) Matthæi 5.
Opera Theologica, quæ non pauca, vt audivi, è ſuggeſtu
dictaſti, & maturè digeſiſti, in commune proferto: ple-
rique laudabunt ingenij dexteritatem, plerique varia-
rum literarum eruditionem, plerique rationum ponde-
ra, plerique rerum ordinem, plerique mirabilem clari-
tatem, plerique mirabilem pietatem; ſed cùm ego iſthęc
omnia & eorum ſingula miratus fuerim, potiſſimùm
tui commendo maturitatem iudicij. Hoc meum, datum
Compluti in Collegio Immaculatæ Conceptionis Bea-
tiſſimæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis
Captivorum, 24. Octobris, anni Domini 1698.

Fr. Ambroſius Albendea.

FA-

FACVLTAS ORDINIS.

FR. JOANNES NAVARRO, SACRÆ Theologiæ Magiſter, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Humilis Magiſter Generalis totius Regalis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, Dominus Baroniarum de Algàr & Eſcalès in Regno Valentiæ, Catholicæ Maieſtatis Concionator, &c. Tibi P. Præſentato Fr. Joſepho Nicolao Cavero Noſtræ Provinciæ Aragonum facultatem impartimur, vt Librum inſcriptum: *Anti-Agrediſtæ Pariſienſes Expugnati*: ex præſcripto noſtro viſum & approbatum à doctis noſtræ Religionis Theologis, in lucem edere queas, typiſque mandare, ſervatis alijs, quæ iuxta Sanctum Concilium Tridentinum, Regiaſque Sanctiones ſervari debent. In cuius fidem præſentes literas dari iuſsimus, manu propria ſubſcriptas, ſigillo noſtri Officij communitas, & à noſtro Secretario referendatas. In hoc noſtro Cœnobio Matritenſi 20. Novembris anni 1698.

Fr. Ioannes Navarro Magiſter Ordinis.

Loco † Sigilli.

De Mandato Reverendiſsimi P.N. Generalis.

Fr. Antonius Bernal del Corral, Elector & Secretarius Generalis.

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA

D.D. JOSEPHI DELGADO ET VILLALBA, in Academia Oſcenſi Philoſophiæ Magiſtri & Anteceſſoris, Theologiæ Doctoris, in eadem Facultate Cathedræ Subtiliſsimi Scoti Moderatoris, & Eccleſiæ Albarracinenſis Canonici Magiſtralis Electi.

FOELICITAVIT Altiſſimus tempora noſtra Venerabili Matre Maria à Ieſu, vulgò de Agreda, cuius innocentia morum nemini ignota, cuius doctrina vel doctiſſimos in plaudentem traxit, trahitque admirationem, cuius ſcripta hominum diſplicent conventui, qui ſub Academiæ Pariſienſis nomine primam Myſticæ Civitatis partem atro Cenſurarum carbone fœdare tentavit: Gallus eſt hic non dulciter cantans, ſed raucam, obtuſamque vocem evomens, quippe præclarum Venerab. Abbatiſſæ nomen obſcurantem, ac diris Cenſurarũ ictibus piam, ſanamque illius doctrinam configentem: quò profectò quiſpiam inflectere lepidè poſſet, quod Gallico reſcripſit (1) Bilbilitanus meus Martialis:

Verum, Gallice, non libenter audis:

crediderim tamen, huiuſmodi hominum conſeſſum, ſi rem apprimè intellexiſſet, ori ſuo manum impoſuiſſe.

(1) *Epigram.* 76. *lib.* 8.

Pro veritate itaque decertans, Marianum Opus clypeo eruditionis munit, & ſuffulcit RR. Pater Magiſter Fr. Ioſephus Nicolaus Cavero, Theologiæ Doctor, ac in eadem Facultate Subtilis Scoti Cathedræ Cæſarauguſtanus quondam Moderator, qui *à iuventute ſua* (vt monuit Eccleſiaſticus (2)) doctrinam excepit, *& quaſi is qui arat, & ſeminat* ad eam acceſſit, bonoſque illius fructus ſuſtinuit; quos inter nec probitas deſideratur; hæc

(2) *Eccleſiaſtici* 6.

enim & fructus & corona, nedum initium ſapientiæ eſt; eaquepropter vel hac etiam ratione hunc ſibi vindicem aſciſcit Venerab. Abbatiſſa, & quadrat in rem præſentē Antiſthenis (3) obſervatio dicentis: *Homines virtute prædıtos eos ſibi parare propugnatores, qui iuſti ſint, improbos contrà iuſtos defenſores nolle.*

(3) *Apud Laertium lib. 6. cap. 1.*

Iuſtè porro, atque ſapienter graditur is in Opere Author, & lapſos Cenſores modeſtè corripiens, & rationis ac authoritatis validiſsimis momentis revincens: de theſauro ingenij ſui pleraque ſubtilia & ſolida profert, adeò vt meritò huc flectam Caſsiodori (4) acumen: *Ratio per ſingulas ſententias decurrit, pulchra nimis & abſoluta probatio*: de Sanctorum PP. aliorumque graviſſimorum DD. theſauro plurima eduxit, bellè expendit, ac tandem nihil in Opere deſideratur, ſed omnibus omnino numeris abſolutiſſimum evaſit, digniſsimum proinde, quod typis mandetur. Sic ſentiebam Cæſarauguſtæ Kalend. Novembris. Anno 1698.

(4) *Præfat. in Pſal. 15.*

D. Joſephus Delgado & Villalba.

LE-

Digitized by Google

LECTORI.

QVæſo, Lector, vt memor Tribunalis Domini, & de iudicio tuo te intelligens iudicandum, nec mihi nec adverſario faveas, neve Perſonas loquentium, ſed cauſam conſideres. S. Hieronymus Epiſt. 61.

Si requiras, quamobrèm in hanc me conjecerim Apologiam? Reſpondeat Sanctus Ioannes Damaſcenus Orat. de Aſſumptione Virginis. *Vires ingenij noſtri primitias regiæ Matri de vniverſa natura bene meritæ, grato candidoque animo tanquam debitum quoddam perſolvemus.* In Opere equidem negotium Sanctiſſimæ Virginis potiſſimè agitur, cuius tuendis ac promovendis laudibus, veritate non repugnante, primos ingenioli noſtri ſubducere fructus, animus non ſuſtinuit, præſertim oblata opportuna adeò occaſione. VALE.

PROTESTATIO.

CVm Sanctiſſimus Dominus Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anni 1625. in Sacra Congregatione Sanctæ Romanæ & Vniverſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi Libros hominum, qui Sanctitate ſeu Martyrij fama celébres è vita migrarunt, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcunque beneficia tanquam eorum intercesſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione atque approbatione Ordinarij & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt nullo modo vult cenſeri approbata; idem autē Sanctiſſimus die 5. Iunij 1631. ita explicuerit, vt nimirū non admittātur elogia Sancti vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper Perſonam, benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit authori-

tas

tas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes Authorem: *Huic Decreto, eiuſque Confirmationi & declarationi obſervantia & reverentia, qua par eſt, inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu revelationes, ſeu alia quælibet ſub prædictis decretis & declaratione comprehenſa, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea ſolent, quæ duntaxat humana authoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quæ ipſa Sancta Sedes probaverit. Atque eadem ſub proteſtatione ſunt Operis approbationes.*

Fr. Ioſephus Nicolaus Cavero.

ERRATA.

Non pauca irrepſerunt, ſed præcipua hæc ſunt.

IN EPIST. DEDICAT.

Inclyto Princeps	lege	Inclyto Principe.
Dui	lege	dum.

IN OPERE.

PAg.7. lin.9. opere pretium	lege	operæ pretium.
Pag.9. lin.6. propoſitio	lege	propoſito.
Pag.16. lin. 5. reſilent	lege	reſilient.
Pag.48. lin. 5. aliſque	lege	alijſque.
Pag.58. lin. 5. nola	lege	nolo.
Pag.59. lin. 18. Galeato?	lege	Galeato.
Pag.67. lin. 3. cognitas	lege	cognitæ
Pag.92. lin. 9. reſumunt	lege	reſumunt?
Pag.99. lin.24. & pag, 169. lin. 10. & pag. 181. lin.22. ſiquæ	lege	ſiqua vel lege ſi quæ.
Pag.108. lin. 36. alterioris	lege	altioris.
Pag.128. lin. 2. Fili	lege	Filij.
Pag.131. lin. 31. ebri	lege	ebrij.
Pag.136. lin.27. mendacijs	lege	mendacijs?
Pag.149. lin. 35. execrevit	lege	excrevit.
Pag.257. lin. 9. noverat	lege	moverat.
Pag.263. lin. 31. herchè	lege	herclè.
Pag.264. lin. 2. morè	lege	more.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLVDIVM
HISTORICO-CRITICVM PRÆFATIONIS ad Cenſuram.

§. I.

I. MVLTA in Orbe monſtra generata ſunt: Centauros & Sirenas, Vlulas & Onocratolos in Eſaia (*a*) legimus: Iob (*b*) Leviathan & Behemoth myſtico ſermone deſcribit: Cerberum & Stymphalidas, Aprumque Erimanthium, & Leonem Nemæum, Chimæram atque Hydram multorum capitum narrant Fabulæ Poetarum: Cacum deſcribit Virgilius: triformem Geryonem Hiſpaniæ prodiderunt: *Sola Gallia* (aiebat (*c*) S.Hieronymus) *monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortiſſimis, & eloquentiſſimis abundavit.*

(*a*) *Iſaia* 34.
(*b*) *Iob* 40.
(*c*) *Epiſt.* 63. *adv. Vigilant.*

II. Ita res antiquitus habebat, ſed multò aliter poſtea; quanquam enim Gallia *fortiſſimis & eloquentiſſimis viris* nunquam vidua fuerit, ſuccedentibus verò temporibus, perinde ac cæteræ Gentium Regiones, monſtra generavit (quæ inter horrenda hæreſum capita) quorum ſerie prætermiſſa, in illud tantummodo oculos, animumque intendo, quod hiſce diebus, non abſque ingenti exterorum admiratione prodidit; libellum videlicet criminationum, ſannarum, & probrorum adverſùm primam Myſticæ Civitatis partem, Deo (vt piè creditur) afflante & textam & conſcriptam à Venerabili Matre Maria à Ieſu, vulgò de Agreda, necdum ſeptem, quin novem, imò novendecim capitibus inſtructum; tot ſiquidem in illo cernere eſt Articulos, vnde tincta venenis Cenſurarum ſpicula pendent.

III. Monſtrum dixi, & quis, oro, inficiabitur ita compellare, ſi terrificam, qua ſeſe videndum ſpecie exhibet;

vl-

vltrà tantiſper attendat: Nembrotheam ſtructuram immenſis ſuperat ſpatijs, cœlum terrâque vnà contingens, terram pedibus, cœlum ore: at imbellibus adeo inſultat viribus, vt papyraceum meritò dixeris, disjectu facillimum, idque duntaxat omnino aſſequutum, vt ſuis, quibus depugnat, armis, levitate, loquacitate, procacitateque nimirum, ſeſe iugularit, cunctis atque hominibus ridendum propinarit: quamobrem monitum Cellenſis (*d*) patienter excipiat. *Ne amplius in Cœlum ponas os tuum, quia niſi caveris tibi, in caput tuum recaſurus eſt lapis, quo ferreum vis penetrare cœlum.* Iſthuc, quod adijcio, illius veſtibulum.

(*d*) Epiſt. 23. lib. 6.

§. II.

IV. CVm in Comitijs ordinarijs Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis die 2. Maij, anni Domini 1696. habitis in aula Sorbonæ, poſt ſolemne ſacrum de Spiritu Sancto N. le N. Doctor & Syndicus eiuſdem Facultatis, Librum obtuliſſet evulgatum ſub hoc titulo, *la Myſtique Citè de Dieu, &c.* Prodijt in lucem Maſſiliæ Tomus primus Myſticæ Civitatis Dei, ex Hiſpanica Lingua in Gallicam translatus à R. P. Thoma Croſet; ſed Prologo illo verè Galeato, doctiſſimis Notis, vitæ Authoris deſcriptione, graviſſimiſque approbationibus, quæ in Exemplaribus Matritenſi & Vliſſiponenſi proſtant, & omnem antevertunt difficultatem, orbatus; ſed ſtilo verè humili, & Authoris longè diſpari; ſed minus cauto calamo, & quandoque ab Exemplarium ſenſu aberrante, quod in Verſionibus difficulter admodum vitari S. Hieronymus animadvertit. (*e*) *Difficile eſt, alienas literas inſequentem, non alicubi excidere, & arduum, vt quæ in alia lingua benè dicta ſunt, eundem decorem in tranſlatione ſervent.*

(*e*) Epiſt. 19. de Optimo genere Interpretandi.

Sic

V. Sic infœliciter editum Opus Pariſios appulit, ſed infœliciùs ibidem à quibuſdam exceptum, ſæva furente tempeſtate, Comitijs tandem Sorbonicis delatum fuit à Syndico, Facultatis Oratore ſimul & Actore, cuius nomini, ſicut & Deputatorum, aliorumque adverſantium, honoris cauſa parcam; *neque enim* (vt cum Hieronymo (*f*) loquar) *hominum, ſed erroris inimicus ſum.* (*f*) *Præfat. ad lib. 4. Comment. in Ierem.*

VI. *Vt facultas in eum animadverteret*) In quem? In Librum, cuius ſcopus, laudes Virginis promovere, nec extra Religionis metas: vt in hoccine itaque Opus ſeviat Facultas Pariſienſis admonetur, cuius ea inter maximas gloria, vel ab incunabulis pietatem, piaque ergà Virginem Deiparam ſenſa foviſſe, iuvaſſe, accendiſſe: & tunc quidem admonebatur, quùm circa novam, ſudantemque cuiuſdam Authoris Libri adverſus Sanctiſſimæ Virginis cultum directi, & à Sacra Congregatione prædamnati, editionem, minimè emendatam, alto premebatur ſilentio: huic enim Libro, ſicui, incumberet Facultas, poſtulari debebat, ne quis eam ex Hieronymo (*g*) contra Ruffinum repeteret iurè Cenſuram. *Nec in tantum abutare ſimplicitate Lectoris .... vt cùm vulnera putreſcere ſinas, ſano corpori te imponere emplaſtra non rideat.* *Ex Cenſ. Cenſ. edit. Colon. fol. 5. v. Protulerunt.* (*g*) *Lib. 2. adv. Ruffin.*

VII. *Selecti ſunt quatuor ex Magiſtris eiuſdem ordinis, qui vnà cum DD. Decano & Syndico diligenter legerent & examinarent prædictum Librum, & de eo ad proxima Comitia generalia referrent*). Minutus adeo Deputatorum numerus contra morem Facultatis inſtitutus eſt, cùm ſexdecim ſoleant ad res minoris momenti deſignari; quin & ex illis pauculis nonnullos, Decreta & Leges Facultatis, deputari, non ferebant. *Fol. 3. v. Liber.*

VIII. *Quod cùm illi in varijs conſeſſibus privatis intra duos Menſes habitis, magna & diuturna conquiſitione præſtitiſſent, die 2. Iulij eiuſdem Anni, ſuffragijs conſen-*

 tien-

tientibus, retulerunt, & exhibuerunt propoſitiones ex prædicto Libro excerptas, quas Cenſura notandas exiſtimarunt) Præſcriptum video, vt Deputati *diligenter legerent, & examinarent Librum*; ſed id quidem diligentiùs, quàm par erat, obſervarunt: cui enim Theologorum creditu dignum, duobus tantummodo exactis Menſibus, potuiſſe Deputatos legere, inviceme que conferre iuſtum illud volumen ea cura, ea diſcuſſione, quam præmittere opus eſt in ferendis doctrinæ Cenſuris, re omnium Theologis creditarum, vt difficillima, graviſſima.

IX. *Quibus auditis, dato omnibus & ſingulis Magiſtris illarum propoſionum cum earum notis indiculo*) Varij varias in ea Congregatione protulerunt rationes, vt Facultas huius iudicio cauſæ ſuperſederet, quas inter Sapientiſſimi duo DD. illam potiſſimè ſibi expendendã aſſumpſerunt, quòd ſcilicet Sancta Sedes Apoſtolica ſuper huiuſmodi negotium à pluribus retro annis manus appoſuerat, ſub eiuſque diſcuſſione conſtituti iam fuerant Libri Venerab. Abbatiſſæ; atque adeo, inviolata reverentia tantæ Sedi debita, ipſius Sententiam antevertere Academia iudicio ſuo non poterat, maximè cùm non minorem Summo Pontifici obſervantiam deberet, quã Archiepiſcopo Pariſienſi, cui talis quidem, quoad propoſitum, exhiberi à Facultate ſolebat, vt ſi ille iudicium aliquod iniret, ipſum Facultas Cenſurâ vllâ minimè antevertere præſumeret: id quod nuper in cauſa Librorum D. Dupin ad ſe delatorum demonſtraverat, ſtatimque iudicium eorum Archipreſulem ſibi aſſumpſiſſe compertum habuit. Sed nec ponderoſa adeo conſideratione obtineri potuit, ne deinceps hac de re apud Facultatem verba fierent.

Fol. 4. v. Attamen & ſeq.

X. *Aſſignata ſunt comitia Generalia ad diem 14. eiuſdem Menſis*) Duodecim tantũ dies conceduntur Facultati ad ſuffragia de Libro ſibi delato, & de Libello Depu-

putatorum ſubminiſtrato palam ferenda, cùm ſexaginta dati fuerint Deputatis : duodecim tantum dies conceduntur Facultati ad iudicium pronunciandum de vna Operis trium partium , quas, tribus ferme aut amplius exactis luſtris,nondum ad Sententiam deduxit Sedes Apoſtolica: poſtulavit magnus Doctorum numerus integrum ſaltem Menſem, ſed non impetravit. O perſpicax & capaciſſima hominum mens! O mirandum hominum ingenium , minuto ita tempore tot, & tanta, eaque accuratiſſima diſſertatione digna ad Sententiam vſque perducturum? Profectò quid ſtupens dicam commodiùs non habeo , quàm quod Hieronymus (*h*) præproperum quemdam diſputatorem reprehendens , per ironiam ſubiunxit. *Non eſt mirari Demoſthenem , qui pulcherrimam orationem contra Æſchinem multo tempore dicitur exaraſſe.* (*h*) *Epiſt.* 61.

XI. *In quibus auditis iterum i jſdem DD.Deputatis,ac triginta duabus Congregationibus habitis in quibus centũ quinquaginta duo Magiſtri dixerunt*) Ventum iam ad arma,& triginta duabus Congregationibus nondum eſt ſoluta lis , quam prima omnino dirimendam nimiùm præfidenter quidam ſibi pollicebantur. Pro Venerabili Abbatiſſa pugnarunt DD. benè multi,quidquid eruditionis & pietatis deſiderari poteſt , in medium producentes: qui ex altera parte decertabant, ſibi quoque dicendi copiam fecerunt , ſed inferioribus longe viribus. Et quidem horum aliqui (neque omnes dico , *nolim enim tam me loquacem eſſe*,vt olim aiebat (*i*) Nazianzenus, *nam multos etiam novi de quibus loquendum ſit honeſtius*) ex fontibus non admodum puris, ex principijs omnino contemnendis , adeo vt quàmplures pias, probatiſſimaſque de Beata Virgine opiniones exufflarent; & quin eum dicentem interpellarint , atque inter loquendum vexaverint , nullus fere ex Agrediſtis ſuam po-

Fol. 8. *v. Enimverò & ſeq.*

(*i*) *Orat.de Epiſcopis in fine Ope.*

potuit aperire mentem; contrà quàm ratio poſtulat, & in hiſce potiſſimùm conſeſſibus expetebat Magnus Baſilius (*k*) in haud diſſimili prorſus eventu. *Dicat cum fiducia ac liberè qui volet, vt examen ſit quod agitur, non convicium.*

(*k*) *Epiſt. 69. ad Neocęſarianos.*

XII. *Die tandem* 17. *Septembris eiuſdem anni, Sacra Facultas, concluſione latâ, prædictum Librum damnandum cenſuit, prout de facto damnavit*) Die illâ perducta eſt ad ſuffragia cauſa; conclamatũ, octoginta quinq; in Sententiam Deputatorum deſcendiſſe, eamque, utpote à maiori parte approbatam, firmam ratamque manere; reclamatum, non ita accidiſſe, ſed Agrediſtarum partem ſuffragiorum numero vincere; tum quòd Decani, Syndici & quatuor Deputatorum ſuffragia admittenda minimè eſſent, cùm illi de Sententia ſua Sententiam dicere non potuerint; tùm quod cæteri, qui ſupererant Antiagrediſtæ, vt ſummùm ſexaginta eſſent, & hi quidem invicem diſſidentes, ita vt vltra viginti ſenſum Deputatorum, prout in Libello ſuo iacebat, non probaſſent, alijs quibuſdam tantum ſuffragantibus cum cautionibus & correctionibus indeterminatis, quas Syndicus ſpecioſè ſpoponderat; & reliquis in diverſa abeuntibus ſenſa; ſive quantum ad numerum Articulorum notandorum, quorum aliqui plures, aliqui pauciores admittebant; ſive quantum ad vniuſcuiuſque Articuli notas, quas quilibet pro arbitratu ſuo temperabat: petitumq; proinde, ſuffragia palam dicta, ſed clam ſcripta, publice recitari, & ſeriùs expendi; at excitato tumultu, clamoribus iurgijſque cœtus diſſolutus eſt. Hæc concluſio cauſæ; verùm quis illam legitimam pronunciet, aut ideo Facultati adſcribat Cenſuram adverſus Venerabilis Antiſtitæ Librum?

Fol. 10. *v. Cauſa, & ſeq.*

XIII. Sedenim multò certius eſt, Cenſuram aliam, quæ ſcilicet nomine Facultatis circumfertur, longa hæc

Præ-

Præfatione munita, quibuſdã propoſitionibus ſuppreſſis, in Libello Deputatorũ alioqui contentis, adiectis alijs, & novis mangonizata notis, fœtũ non eſſe tantæ Facultatis, cùm eius nedum non extorquerit conſenſum, ſed ne examen quidem ſubierit; nam Kalendis Octobris eiuſdem anni 1696. primùm ad Sorbonica Comitia delata fuit, ibidemque perlecta, & quaſi alterius Tribunalis Decretum quoddam irrefragabile cenſeretur, nullatenus quæſitum eſt à Doctoribus, an placeret, necne, vt in omnibus non Facultatis tantum, quin etiam Conciliorum Eccleſiæ decretis fieri ſolet; ſed ſtatim ad alterius negotij propoſitionem ventum. Reclamarunt illico quàmplures, inſolens, inauditum, ac portento ſimile eſſe, quòd Cenſura huiuſmodi ſub nomine Facultatis ederetur; verùm tumultu, vt ſupra, excitato, ſubitò Comitia diſſoluta ſunt. *Fol.93. v. Verùm.*

XIV. Hinc certè nullus non agnoſcet Prudens, poſtremæ huius Cenſuræ Libellum falſo appingi Facultati Pariſienſi; quis autem illius fuerit Author ignoratur, & nullus hodie reperitur Doctor, qui exteriùs eam à ſe non abijciat; quamobrẽ idipſum non immeritò de hoccine pronũcio Libello, quod de alio ab incerto Authore edito, ſed ſub ſpecioſo Theologorũ Pariſiẽſium vmbone, adverſus quædam Cardinalis Caietani aſſerta, Cardinalis ipſe (*l*) dixit. *Vos quidem* Lectores *eſtote cauti, vt non fallamini ex hoc titulo,* Cenſura Facultatis Pariſienſis, *illius vero quiſquis fuerit* Author *miſereatur Omnipotens Deus; ego autem tanquam ad Libellum famoſum reſpondebo.*

(l) Tom.3. Opuſc. tractatu 5.

XV. *Verùm antequam propoſitionibus exhibitis ſingulares notas apponat, præmittendam cenſuit conteſtationem publicam; qua profitetur ſe nihil quidquam, ferenda Cenſura, imminutum velle de vero & legitimo cultu, quem Sanctiſſimæ Deiparæ exhibendum præſcribit Catho-*

lica

lica per Orbem Eccleſia, cuius quidem honoris vindicem ſe præ cæteris præbuit hactenus, & qualibet occaſione data præſtituram ſe ſpondet.

XVI. *Declarat itaque, ſe Sanctiſſimam Virginem Mariam vt verè & propriè veri Dei Matrem venerari, & magnifacere, eamque vniverſa viſibili & inviſibili creatura ſuperiorem reputare, vt loquitur Sanctus Romanus, Patriarcha Conſtantinopolitanus. Tenere ſe etiam cum Eccleſia, Beatam Virginem ſpeciali Dei privilegio immunem fuiſſe à peccatis omnibus, etiam venialibus; eamque cum Sancto Proclo tanquam penetrale innocentiæ Sacrarium venerari. Se quoque confiteri illam eſſe Matrem Dei, ſimul & Virginem, ſemperque Virginem; ac proinde deteſtari hæreſes Neſtorij, Ebionis, Ioviniani, Helvidij. Agnoſcere cum Sancto Irenæo advocatam; cum Sancto Baſilio Seleucienſi, aliiſque Patribus, Mediatricem, tum pro materna, qua ſalutis noſtræ negotium apud Filium pertractat, charitate, tum pro ſumma, qua apud ipſum pollet, gratia; eiuſque vt dignitatem ſupra Sanctos omnes prædicat & ſuſcipit, ita & potentiori eius interceſſioni & tutelæ præcipue confidere: ſtare ſe determinationi maiorum ſuorum de Conceptione Immaculatæ Virginis Mariæ; videlicet, quòd in ſua Conceptione præſervata fuit ab originali labe. Sentire ſe denique cum veteri Liturgia Gallicana, eam in Cœlum poſt mortem cum corpore & anima fuiſſe tranſlatam.*

XVII. *Verùm cùm Sanctiſſima Virgo falſo non egeat honore, veris cumulata honorum titulis, & infulis dignitatum, vt docet Sanctus Bernardus; immoderatum, ſuperſtitioſum, commentitium cultum planè non admittit Sacra Facultas: ſiquidem non eſt hoc Virginem honorare, ſed honori eius detrahere, vt idem Sanctus Bernardus loquitur. Inde obſervabat olim ſapienter Sanctus Epiphanius, par & idem ex ambabus hæreſibus detrimentum*

acci-

Digitized by Google

accidere, cùm alij Sacroſanctæ Virginis dignitatem elevent, alij præter modum & rationem attollant. Rectè autem ad propoſitum addit idem Epiphanius, poſterius dogma (eorum ſcilicet, qui Virginis dignitatem præter modum attollunt) vix alios Authores, ac Patronos habere, quàm mulieres) Sed quorſum hæc? Venerabilis Abbatiſſa non ſupra modum attollit Virginis dignitatem, ſed eas Virgini prærogativas arrogat, quæ in excellentiam Maternitatis mirè quadrant; imo quæ difficiliores creditu in ſpeciem ſunt, ampliſſimis Patrum & gravium Doctorum teſtimonijs per integrā Apologiam comprobantur.

XVIII. Interim huius Præfationis Authorem admonitum volo, Recentiores Hæreticos, cultui & Chriſtianæ erga Virginem pietati infenſiſſimos, non aliam familiarius nobis Catholicis occinere cātilenam, quàm nimio ac ſuperſtitioſo cultu Deiparam nos revereri.

XIX. Animadverto etiam, poſtremum S. Epiphanij textum extra rem omnino afferri; quippe Sanctus Doctor loquitur de Collyridiano cultu, à quibuſdam inducto mulieribus, quæ veluti *Sacrificulæ & Præsbiteridæ* (verba ſunt Epiphanij) ſacrificium Virgini Mariæ offerebant. Ille vero, quiſquis fuerit, novellus Author, nimium Deiparæ cultum proſcribit; rectè, ſi ſobrietatem ſolum depoſceret, quam quidem toto Opere ſuo, velit nolit ipſe, obſervat Abbatiſſa Venerabilis; ſed vereor ne malignè & nequitiè (vt de alijs haud abſimiliter querelas efferentibus aiebat (*m*) Raynaudus) *aquam frigidam* tentet *affundere rationabili obſequio, & ſobriæ pietati.*

(*m*) *In Diptychis Maria. p. 2. punct. 10. num. 38.*

XX. *Mirum enim eſt, quantum hoc in genere in prædicto Libro, cuius vna verſio Gallicana Facultati exhibita eſt*) Ambiguitate non ferenda extrema hæc verba laborant: quanquam enim Syndicus ad Comitia Sorbonica tantummodo Gallicam Verſionem detulerit,

po-

poſtea verò, in progreſſu diſputationum, ab his, qui pro Venerab. Matre pugnabant, oblata fuere Exemplaria Hiſpana, vt cauſa ſolidiùs ageretur; ſed illa adverſariorum Duces rejecerunt, palam profitentes, vel in medijs Sorbonæ Comitijs, ſibi nihil eſſe cum Authore, nec cum editione, Hiſpanica Lingua primùm vulgata.

XXI. *Exceſſerit & aberraverit mulier illa*) Venerabilis nimirum Abbatiſſa de Agreda (reddo ei glorioſum prænomen, quod horum Author conviciorum abrogavit) cuius laudes & merita, ab innumeris, ijſque doctiſſimis & pijſſimis viris commendata, opus non eſt iterum repræſentare, ad eluendam craſſam adeo calumniam. Integram videas Apologiam, & inde conijcies, quantum propudioſus is blatero exceſſerit & aberraverit.

XXII. *Quæ Hiſtoriam texuit vitæ Beatæ Virginis, tam abſonam certè, quam inauditam*). Forſan abſonam pronunciat, quia inauditam; ſunt enim homines non pauci, anguſti adeo pectoris, & tanti alioqui ſupercilij vt, quæcunque ignorant, blaſphement; quare (Hieronymum (n) imitatus) *quaſi Chriſtianus cum Chriſtiano loquens, obſecro te frater, ne plus velis ſapere quàm ſapis, ne vel innocentiam, vel ſimplicitatem tuam, vel certè ea quæ taceo, & te non intelligente, cæteri intelligunt, ſtylo proferas, & ineptiarum tuarum cunctis cachinnum præbeas.*

(n) Epiſt. 65.

XXIII. *Quamque dum à Deo ſibi revelatam aſſerit, ſi non intendit illudere legentibus, ipſa profectò manifeſtè illuditur*) Huc iure inflectā Ennodij (o) verba. *O frontē dictionis immundæ, ET FACIEM LIBELLI, QVAM NON SOLA MACVLAVIT IMPERITIA!* Quî Sancta Sedes Apoſtolica longum ita impendit tempus in dijudicando ſcripto, quod *profectò manifeſtè* ſuum prodit illuſum Authorem? Illud profectò ad præſens propoſi-

(o) In Apolog. pro Synodo.

poſitum accommodandum arbitror, quod ſapienter & maturè aiebat (*p*) Baſilius Magnus: *Ego verò novi, quod QVÆ IN ORACVLIS SPIRITVS dicuntur, haud cuivis liceat proprio ſubijcere examini, ſed ei, qui Spiritũ habet diſcretionis*: quo quidem dono non exornatum famoſum cõvinciatorem, abſque vlla prorſus temeritate; omnino affirmaverim: ſed venenũ evomat, ſed cavilletur *vafriora licèt*, ... Abbatiſſa *noſtra* (quemadmodum de Bleſilla ſcribebat (*q*) S. Hieronymus) *ridebit, nec dedignabitur loquacium ranarum audire convicia, cùm Dominus eius dictus ſit Belzebub.*

(*p*) *Suprà.*

(*q*) *Epiſt.* 22.

XXIV. *Vbi fabulas, nugas, commenta & errores, quorũ Deus Author eſſe nõ poteſt, pro myſterijs divinitus revelatis obtrudit, & velut veritates conſtantes vniverſis proponit*) Apage impudentiſſimi blateronis effrontiſſima dicteria, Sancti Bernardi (*r*) appoſitis verbis iure optimo refellẽda. *Quid in his verbis intolerabilius iudicem, blaſphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non iuſtiùs os loquens talia fuſtibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur?* Vnde verò originem hæc & alia id genus trahant, putaverim, deſcripſit iam (*s*) Sanctus Gregorius Magnus. *Habet hoc proprium antiqui hoſtis invidia, vt quos in pravorum operum perpetratione, Deo ſibi reſiſtente, decipere non valet, opiniones eorum* (eas, inquam, opiniones, quas alij de illis efformant) *falſa ad præſens ſimulando dilaceret*. Atque id tandem, Venerabilis Abbatiſſæ nomine, tot tantiſque impactis probris reſpondeo, quod referente (*t*) Hieronymo, Sancta Paula, alioqui à nonnullis inſana habita, ſuſurroni cuidam dicenti, illius cerebrum confovendũ, reſpondit. *Theatrum facti ſumus mundo, & Angelis & hominibus.* Et *Nos ſtulti propter Chriſtum; ſed ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus.*

(*r*) *Epiſt.* 190.

(*s*) *Lib.* 2. *Indict.* x. *Epiſt.* 23.

(*t*) *Epiſt.* 27.

§. III.

XXV. *AD hæc advertens Sacra Facultas, de excerptis propoſitionibus, deque ipſo Libro, vt Gallicè traditus eſt, ſic tandem pronuntiavit*) Hîc operæ pretium me facturum duxi, ſi adnotaverim; Cenſores ſemel & iterum palam profeſſos, ſe nullatenus inſtituere examen de revelationibus vt talibus, ſub quibus ſuas obtendit doctrinas Venerabilis Antiſtita, ſed de aſſertis eius, ſolummodo ex parte obiecti & materiæ conſideratis, ab omnique ex parte ſubiecti circunſtantia abſtrahendo; verùm quàm fallax, quàmque præpoſtera hæc fuerit cenſendi regula, non ſemel in Opere demonſtro; & inde modò generatim prodo, quòd plures ex propoſitionibus, nota temeritatis confixis, vertantur in eventibus omnino contingentibus, ſed hactenus occultis, qui, vt temerè abſque revelatione affirmarentur, ſic temerè affirmati revelationis allato teſtimonio, audacter & imprudenter dicuntur, nullo obtentæ revelationis vt talis facto periculo, & quin, eo adhibito, ſupoſititia, non vera, oſtendatur.

Fol. 94. v. Supereſt.

XXVI. Hæc per ſumma capita rei geſtæ ſeries: quam ex Cenſura Cenſuræ primigenio libavi Authore, arcanorum Facultatis Pariſienſis minimè ignaro; tametſi enim, vt audio, plures & graviſſimi ex Seraphico Ordine vires & calamos adverſus Cenſuram exeruerint, præter illum vnum, neminem hactenus videre licuit, cuius ſuffragio iuvare me potuerim; id quod non ad gloriam profero, ſed vt veritatem ingenuè fatear; quinimo tùm fœliciter me in Opere greſſum, veritatemque aſſequutum arbitrabor, cùm compertum habeam, in tantorum me ſenſum virorum deſcendiſſe.

XXVII. Atque vt tandem pateat, quantis diſtet ſpa-

ſpatijs Sacra Facultas Pariſienſis ab ingenio Cenſorum, complures de SS. Virgine pias opiniones cōfodientium, illam oraculo proprio ſuam mentem declarantem (*u*) repræſentare fas eſt, in tantæ Academiæ gloriam & laudē. *Cum multas Maiores noſtri fortiſſimi, & florentiſſimi Catholicæ Fidei milites naſcentes varijs temporibus hæreſes, nullis vnquam laboribus, nullis periculis deterriti, ſacris ſuis diſputationibus oppreſſerint, in illos tamen errores, qui immaculatæ & glorioſiſſimæ Dei Genitricis laudem & Dignitatem violare viſi ſunt, peculiari quodam & Sancto perfectoque odio vehementiùs inſurgendum, acriùſque ſibi pugnandum ſemper iudicarunt: quandoquidem eam contumeliam ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum maximè pertinere arbitrabantur. Quod enim Eccleſiaſticus cap. 3. de Patre ſcribit, de Matre quoque veriſſimum eſt. Ne glorieris, inquit, in contumelia Patris tui, non enim eſt tibi gloria eius confuſio. Gloria enim hominis ex honore Patris ſui, & dedecus Filij Pater ſine honore.*

(*u*) *In Decreto de Cōceptione Immaculata defendenda, dato die 3. Martij. An. 1496.*

XXVIII. Et infra ad Paſtores animarum ſermonē convertens. *Per Ieſu Chriſti Domini noſtri miſericordiæ viſcera, eiuſque Matris intemeratæ Virginis charitatem obteſtamur, noſtris, imò potiùs Divæ Mariæ hoſtibus reſiſtite, veſtris eos finibus abigite, & mulctatos expellite, vt religioſa Populi Chriſtiani in glorioſiſſimam Dei Genitricem, vnam humani generis ſpem, devotio, pietas, & charitas in dies magis, ac magis foveatur, augeatur, accendatur, &c.* Videſis animum eximiæ Facultatis erga pias Fidelium de SS. Virgine Opiniones: videſis quomodo eos pro hoſtibus habeat, qui maioris Deiparæ cultus hoſtes ſe præbent.

XXIX. Quare conteſtor, me hoc in Opere non adverſus Facultatem Pariſienſem, nullatenus inimicam, ſed pro ipſa decertare, ne ex ſuppoſititijs Cenſurarum Libellis in decolorantem ſuſpicionem trahere illam

quiſ-

Digitized by Google

quiſquam audeat, eiuſque præclariſſimum nomen detererere; mihi nanque ſat, ſuperque eſt, ne in exleges & eouſque oberrantes Cenſuras illam excurriſſe, vel leviter ſuſpicer, in memoriam revocare, tantam Facultatem eximijs perpetim adeo claruiſſe nominibus, vt (x) Honorius III. eam *fluenta doctrinæ vſquequaque diffundentem, & vniverſalis Eccleſiæ terram irrigantem*: Gregorius IX. *Officinam Sapientiæ*: Alexander IV. *Fœcundam eruditionis parentem* compellanrit, alijſque pariter alij decoribus celebraverint.

(x) *Apud Claudium Hemeræū, de Academia Pariſienſi, in Epiſt. Dedic.*

XXX. Antequam verò Diſputationem ineam, hanc mihi conſtituo cum Gregorio Nazianzeno (y) regulam: *Convicijs exagitare non fas eſt quemquam*: totus adverſus Cenſuras pugno, non adverſus Perſonas, propterea Hieronymo (z) inſiſtens, *non hucuſque prorupi, ut Authorum nomina ponerem, malens eos corrigi, quàm infamari*; vnde durum quidquam ſi excidit, aut exciderit verbum, Cenſurarum vitia, non Cenſores ſpectat, niſi ea tantum ratione, qua ipſorum lapſum, huiuſque cōditionem abnormes ipſæ Cenſuræ planè manifeſtant; neque enim ſimul fateri poſſum, Cenſuras oberrare, & Cenſores in ipſis ferendis ſapienter egiſſe. Quòd ſi aliquis Cenſorum ideo ad me verſus invehatur; ſciat, eo ipſo ſemet accuſaturum; quoniam vt optimè idem Hieronymus: (a) *Quando ſine nomine contra vitia ſcribitur, qui iraſcitur, accuſator ſui eſt.*

(y) *Suprà.*

(z) *Præfat. ad lib. 4. Cōment. in Hieremiam.*

(a) *Lib. 1. Adv. Ruffinum.*

ARTI-

ARTICVLVS J.

NVm. 9. inducitur Deus ſic loquens de tempore, quo miſit Filium ſuum in mundum: *Tunc miſi, paterno amore impulſus, ſalutem æternam, & remedium naturæ humanæ ad curandas ipſius infirmitates.*

Nunc volo gratiam novam impertiri hominibus: quia venit tempus opportunum.

Ecce tempus, in quo miſericordia mea maximè eluceſcet, & in quo volo, amorem meum maximè operativum eſſe.

Num. eodem: *Reſpiciens ad Iuſtos, qui in hoc fœlici tempore inveniuntur, volo omnibus aperire ianuam, per quam acceſſum habeant ad meam miſericordiam; & facem præbere illis, vt illuminentur in tenebris cæcitatis ſuæ.*

Num. eodem: *Volo ipſis ob oculos ponere ſpeculum, in quo videre poſſint ingrati ſui animi crimen, atque prodigia, quæ potentia mea operata eſt in hac creatura, Matre Filij mei Incarnati, pro Genere humano: & volo manifeſtare ipſis plura, quæ hucuſque abſcondita fuerunt, iuxta arcana mea iudicia.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

HAEC *doctrina, quæ dicit Miſericordiam Dei magis eluxiſſe, amoremque eius magis operativum fuiſſe manifeſtatione rerum, quæ dicuntur huic Moniali revelatæ de Myſterijs SS. Virginis, hactenùs occulto Dei, vt ipſa ait, iudicio abſconditis, quàm in Miſſione Verbi Incarnati in hunc mundum: falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & impia.*

DISSERTATIO I.

CRISIM CENSVRARVM EXHIBEO CVM earundem caſtigationibus.

(a) *Lib.5. de Trinit.*

MEmini legiſſe apud Hylarium diſputantem, (a) non aliter intelligi poſſe veritatem, *quàm ſi falſa ea eſſe, quæ veritati obiecta ſunt, detegantur, & hoc quidem mentientium abſolutiore dedecore, ſi mendacia ipſa proficiant veritati.* Quæ vt præſtem in defenſionem Venerabilis Authoris, ſit

§. I.

PRAEDICTAE PROPOSITIONES, VT iacent, prorſus immunes ſunt à lata Deputatorum Cenſura.

1 EVINCITVR hoc ineluctabili, & demonſtrativo: etiam quoad ſenſum, ratiocinio: Cenſura Deputatorum non aliter damnat doctrinam, quàm vt efferentem Miſericordiam Dei magis eluxiſſe, amoremque eius magis operativum fuiſſe, manifeſtatione rerum, quæ dicuntur Venerabili Authori revelatæ de Myſterijs SS. Virginis, hactenus iudicio Dei occulto abſconditis; quàm in miſsione Verbi Incarnati in hunc mundum; ſed tranſcriptæ propoſitiones, vt iacent, huiuſmodi doctrinam non præſeferunt: quoniã in eis nulla elucet vtriuſque illius miſericordiæ, & amoris cõparatio, nulluſque prioris cõparatione poſterioris exceſſus per adverbium *magis* explicatus, ſed duntaxat, adveniſſe tempus opportunum impertiendi hominibus novam hanc revelationis myſteriorum SS. Virginis gratiam, & tempus, in quo miſericordia Dei *maxime*, non *magis*, eluceſcet, & amor ipſius *maxime*, non *magis*, operativus erit: ergo doctrina contenta in præfatis propoſitionibus, etiam quatenus iacent, penitus evadit cenſuram DD. Deputatorum.

Quo

Digitized by Google

2 Quo ergo ſpiritu Cenſores hi lubricum perverſi dogmatis ferrum. *Hæc doctrina, quæ dicit, &c.* ſupponunt pro veræ doctrinæ auro, in articuli propoſitionibus ſplendeſcente? Qua fronte aſſertum, quod configant, confingunt, & Authori Venerabili impingunt? Quo iure ipſis licuit merita cauſæ immutare, comparationem pro non comparatione obtrudendo, & adverbium *maximè* abſolutum in *magis* comparativum vertendo? Maximè quidem munera, & onera iuſti iudicis temerarunt: rectus enim Iudex, inquit (b) Ambroſius: *Nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed iuxta Leges, & iura pronunciat; ſtatutis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati; nihil paratum & meditatum domo defert, ſed ſicut audivit, ita iudicat, & ſicut ſe habet negotij natura, decernit. Obſequitur legibus, non adverſatur, EXAMINAT MERITA CAVSÆ, NON IMMVTAT.*

(b) *In Pſ. 118. Ser. 20.*

3 Prætexent forſan ſui lapſus excuſationem in energia adverbij *maxime*, utpotè ſuperlativi, ac proindè miſericordiam & amorem, quibus adiicitur, ad ſummum præ aliis, quibuſde loquitur, evehentis gradum. Sed hoc erit errorem errore velle emollire, atque peccati excuſationem in peccato quærere. Siquidem Spiritus Sanctus omnem exercitum bellatorum Ioſue appellat viros fortiſsimos, (c) *Aſcenditque Ioſue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo, viri FORTISSIMI.* Neque ideo nomen ſuperlativũ ſtrictiorem ſuam proprietatem ibidem explet: ita enim non omnes, ſed vnicus eorũ diceretur fortiſsimus, vt bene advertit (d) Abulenſis. Evãgeliſta item Lucas. (e) *Viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, OPTIME THEOPHILE.* Quin exinde Theophilus honoraretur à Sancto Luca tanquã omnibus melior: vti ad hunc textum communiter admonent Sacri Interpretes, & maximè è re noſtra reddens rationem Eſtius. (f) *Notum eſt, ſuperlatiuum Græcis, & Latinis non tàm ſignificare ſummitatem, quàm præſtantiam in aliqua re. Doctiſſimos enim vocamus, qui ſunt non vulgariter docti, & ita in aliis.* Quod ſi velis, *Optime Theophile,* non ad mores, ſed ad dignitatem referri, quoad præſens idem valet: quippè nec omnibus dignitate præſtabat Theophilus; nec cæteris, bonitate, dignitate, aut ſapientia excellere firmamus viros, quos paſsim Galli, Hiſpani, &c. Excellentiſsimos, Optimos, & Sapientiſsimos vocamus, idque, nedum Latino, quin & vulgari idiomate vtentes.

(c) *Ioſue 10. v. 7.*

(d) *In Mathæi c. 5. q. 223.*

(e) *Luc. 1. v. 3.*

(f) *Ad eundẽ locum apud Bibl. max. ibidem.*

4 Horum autem, atque ſimilium ratio (ad puerorum ludos revertor, ſed ſi inſipiens fuero, vos me coegiſtis Domini Cenſores) ea eſt, quam Syntaxis canones ſuppeditant. Superlativum enim, aut

ponitur abſolutè, & tunc ſignificat perinde ac poſitivum cum adverbio *valde*: ſicuti *Maximus*, id eſt, *valde magnus*: aut ponitur comparativè, & ita ſignificat exceſſum, quem intrudunt Deputati; ad id verò adijcienda eſt ſuperlativo aliqua comparationis nota, quam minimè ſubiunxit Venerab. Author; cùm nec dixerit Miſericordiam & amorem Dei omnium maximũ eluxiſſe in revelationibus myſteriorum SS. Virginis, &c. aut inter omnia maximè in hoc eluxiſſe; neque aliud quid, vel leviter comparationis ſuſpectũ cum miſericordia, & amore Incarnationis Verbi, induxerit; ſolummodoque legatur in trãſcriptis aſſertis, eſſe tempus, in quo miſericordia Dei *maximè*, id eſt, *valde multò*, eluceſcet, & eiuſdem amor, *maximè*, id eſt, *multùm valde*, operativus erit. Quam perſpicuam veritatem ſi nolint Deputati ſapere, *coguntur* (verba ſunt ex Irenæo (g) eruta) *multa malè interpretari, qui hoc vnum nolunt bene intelligere. Coguntur* (proſequitur Eruditiſsimus Raynaudus) (h) *DISTORTA NOTIONE VOCABVLO EX SE PERSPICVO IMMISSA, tentare nubilum aliquod inicere: vt priuſquam eæ offuciæ diſpellantur, vel pateat effugium, vel Auditor cæcutiens hæreat, & quò ſe vertat ambiguus, ſuſpenſo iudicio nihil definitè pronunciet.* Probroſæ planè anguſtiæ à nemine Prudentum ſuſtinendæ.

(g) *Irenæus lib. 5. cap. 13.*

(h) *De retinẽdo Immaculatæ Concept. B. V. titulo, § 14.*

5 Inſuper. Ad pleniorem impunitatis propoſitionum confirmationẽ audiatur Parens Auguſtinus de Dei miſericordia ediſſerens (i) non minùs eleganter, quàm piè. *Quæ maior eſſe miſericordia ſuper miſeros potuit, quàm illa, quæ cœli Creatorem de cœlo depoſuit, & terreno corpore terræ induit Conditorem: eum qui in æternitate Patri manet æqualis mortalibus coæquavit, & formam ſervi Domino impoſuit, vt ipſe panis eſuriret, ſaturitas ſitiret, virtus infirmaretur, ſanitas vulneraretur, vita moreretur?* Hæc mirabiliter oſtendunt Dei omnipotentiam, at ſummam illam miſericordiam ſuper miſeros, quam inducit Auguſtinus, non evincunt, niſi in noſtri vergant fœlicitatem & profectum; quapropter ſubdit Sanctiſsimus Doctor. *Hoc autem ideo, vt noſtra paſceretur fames, rigaretur ariditas, conſolaretur infirmitas, extingueretur iniquitas, ardeſceret charitas.* Eadem, ſed compendiariò, ſcripta reliquit Venerabilis Author in priore articuli propoſitione. *Tunc miſi, paterno amore impulſus, ſalutem æternam, & remedium naturæ humanæ ad curandas ipſius infirmitates.* Cuius nullum verbum non ſpirat divinam miſericordiam ſummè eluxiſſe in eo opere. Pende incrementum amoris ob circunſtantiam paterni impulſus mittentis, atque penſa ſimul antonomaſticam divi-

(i) *Ser. 71. de diverſis.*

næ

Digitized by Google

næ miſericordiæ expreſsionem in abſolutis,ac emphaticis illis vocibus,bona miſſa,& generi humano oblata claudentibus,nempe, *ſalutem æternam & remedium naturæ humanæ ad curandas ipſius infirmitates.*

6 Inde exploratum eſt, inter Auguſtini, & Venerabilis Authoris textus, in exaltanda miſericordia miſsionis Verbi Redemptoris Noſtri, quidquam diſcriminis non reperiri, niſi quod Sanctus Doctor dilucidis exceſſus vocibus id præſtat: *Quæ maior*, inquiens, *eſſe miſericordia potuit, &c.* Venerabilis Author tantum per effectus: *Miſi ſalutem æternam, &c.* Sed vſque adeo pervie inclamantes exceſſum, præſertim comparatione inſtituta cùm revelatione myſteriorum SS. Virginis,eidem Authori facta, quâde loquitur Cenſura, vt,præter apertam negationem,hactenus deſideratam, non potuerit rationabiliter movere ſuſpicionem deliræ comparationis Cenſura confixæ. Eòque minùs, quòd Venerab. Author interdum in I. p.operis,fatetur,beneficium Incarnationis Verbi,vt à Deo ſecundum præſentem providentiam præordinatum, eſſe fontem, vnde B.V.M. & cæteris hominibus proveniunt omnia divinæ gratiæ dona, atque iſta comparari illi, velut rivulos congregationi aquarum. Legatur præcipuè num.41. Accedit, quod V.Author,vti conſtat ex contextu propoſitionum confixarum,& num.8.ſuæ Marianæ hiſtoriæ,eatenùs exaltat miſericordiam divinam in revelationibus ſibi factis myſteriorum SS. Virginis, quatenùs per eorum contemplationem excitabitur fervida miſericordiarum Redemptionis Chriſtianæ memoria, qua perditi homines à ſuis ſceleribus compeſcantur, & iuſti in melius proficiant.

7 Hæc cùm ita ſint, quî fieri potuit,vt Deputati Cenſores damnaverint doctrinam Hiſtoriographæ Marianæ, tanquam efferentem miſericordiam Dei plùs enituiſſe in revelationibus ſibi factis myſteriorum SS.Virginis,quàm in Verbi miſsione & Incarnatione? Noverint illi. Mihi tamen, & non temere, coniectare licet, in cauſa fuiſſe,rem cito paſſu conſideraſſe contra gravem Gregorij Nazianzeni (k) admonitionem: *Multum,diùque antea verſandus,atque contorquendus eſt animus, multa ferenda, quàm vt alium de IMPIETATE DAMNEMVS.*

(k) Orat. 26.

VENE-

§. II.

VENERAB. AVTHORIS PROPOSITIONES SVO Operi reſtitutæ immunes ſunt à Cenſura Deputatorum.

8 PRæmitto, miſericordiam divinam non dici maiorem, vel minorem ab inæqualitate aliqua divini affectus, quippè qui nullius inteſionis, aut remiſsionis capax eſt, ſed ab inæqualitate effectus, boni nempe oblati, depellentis maiorē, vel minorem miſeriã: vt docuit(*a*) Seraphicus Doctor. Id quod in ſimili differentes de divino amore creaturarum communiter animadvertunt Theologi cùm Magiſtro Sententiarũ,(*b*) & Angelico Præceptore.(*c*) Vndè Deus, nobis impendens bona ex intentione relevandi miſeriam, magis, aut minus miſericorditer operatur iuxta incrementum, aut decrementum miſeriæ, quam bona exhibita nata ſunt repellere: atque hoc verum eſt, quanquam ipſa divinæ pietatis argumenta, propter abuſum, & iniquitatem noſtram, intento à ſupremo Numine fraudentur effectu, & exinde vergant in damnationis ſupplicium, prædicante Apoſtolo.(*d*) *Ignoras quoniam benignitas Dei in pænitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam; & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis iuſti iudicij Dei.*

(*a*) *In* 4. *diſt.* 46. *quæſt.*3.
(*b*) *In* 3. *diſt.*32.
(*c*) 1.*p. q.* 20. *art.*3.
(*d*) *Ad Rom.*2.*v.* 4.& 5.

9 Hinc duo deſcendunt. Primum: miſericordiam divinam communicativam eiuſdem, ſeu omnino æqualis entitativè boni, ſi id exhibeat pro tempore gravioris miſeriæ, & indignitatis hominum, maiorem evadere, quàm fuiſſet, conferendo illud pro alio tempore non ita gravis indignitatis ac miſeriæ: quia quò amplius creſcit recipientis indignitas & miſeria, tantò amplius augeſcit ſublevantis miſericordia & benignitas. Secundum: quod divina miſericordia aliud non eſt, præterquàm amor divinus miſericors: & ideo impræſentiarum quidquid de divina miſericordia dixi, aut dicam, iuſta proportione, de divino amore intellectum eſto; ne terminorum multitudo faſtidium ingeneret, & expeditiorem, quam amo, diſputationem impediat.

10 Præmitto deinde, inter verſionem Gallicam, vnde Cenſores Pariſienſes excerpſere propoſitiones, & exemplar Hiſpanicum nonnihil diſsidij quoad præſens inveniri. In ſecunda propoſitione, loco horum verborum, *gratiam novam*, habet exemplar Hiſpanum, *aliam*

valdè

valdè magnam miſericordiam. Otra muy granae (ſubintellige) miſericordia. In tertia, loco horum, *maxime eluceſcet*, habet noſtrum exemplar: *Amplius*, vel ſi mavis, *magis manifeſtabitur. Mas ſe ha de manifeſtar*: & tandem loco illorum, *in quo volo amorem meum maxime operativum eſſe*: legitur, *in quo volo amorem meum non eſſe otioſum. En que quiero, que mi amor no eſtè ocioſo.* Cùmque adverbium comparativum *magis*, quo nititur Cenſura, reperiatur in editione Hiſpana pro adverbio *maximè*, ſuppoſito in verſione Gallica, operę pretium duxi, oſtendere impunitatem propoſitionum, vt Hiſpano operi adiunctarum, demonſtrando inſignem deceptionem Cenſorum; vndè apparebit, propoſitiones è textu Gallico excerptas multò amplius immunes eſſe à lata Deputatorum cenſura.

11 Probatur ergo aſſertum. Cenſura tota innititur energiæ adverbij *magis* præferentis miſericordiam elucentem in revelationibus Authori factis, &c. miſericordiæ, quæ enituit in Verbi Incarnatione; ſed illud adverbium, attentis contextibus, non comparat has miſericordias, neque exiſtimatum exceſſum ſignificat; ſolùmque (conceſſo quòd comparet miſericordiam prædictarum revelationum & amplioris manifeſtationis myſteriorum SS. Virginis per eas hominibus factæ) novam miſericordiam, nunc temporis elucentem in revelatione myſteriorum SS. Virginis, comparat cum miſeria fidelium huius ſæculi; vel, vt melius loquar, eam miſericordiam ſecum ipſa comparat, vt quò maior creditur eſſe corruptela Chriſtianorum huius temporis, quam præcedentium ſæculorum à mundi Redemptione, eò magis eluceat, aut maior ſit miſericordia, quàm fuiſſet, aut effulſiſſet, ſi elapſis ſæculis præſtitiſſet eximium ſuapte natura prædictarum revelationum beneficium, quod noſtro exhibuit ſæculo: in qua loquutione nihil non redolet ſanam doctrinam, & Theologiam: ergo Venerab. Authoris propoſitiones prorſus alienæ ſunt à lata Deputatorum confixione.

12 Aſſumpta propoſitio non aliter evidentius oſtendetur, quàm expendendo contextus. Eodem num. 9. inducitur Deus ſic loquens *Cum miſi Vnigenitum in mundum, is erat in peiori ſtatu, quàm vnquàm fuerat, exceptis paucis hominibus mihi obtemperantibus.* Et quibuſdã in idem adductis, proſequitur. *Ego paterno amore miſi ſalutem æternam, & remedium naturæ humanæ ad medendum ipſius infirmitatibus incurabilibus, quo iuſtificavi cauſam meam. Et quemadmodùm tunc ſpectavi tẽpus, in quo magis eluceſceret hæc miſericordia*, propter maiorem nimirum hominum prædictam infœlicitatem, ſicuti

bellè

(e) *Orat. Magn. Catechef. c. 29.*

belle explicuit Gregorius Niſenus, (e) cuius tranſcribere verba religio eſt. *Poſtquàm ergo vitium pervenit ad ſummum, nec erat vllum genus ſceleris, quod admittere non eſſent auſi homines: vt per omnem ægritudinem pervaderet medicina, ea de cauſa non incipientem, ſed iam perfectum morbum curat..*

13 Redeo ad contextum. *Et quemadmodùm tunc ſpectavi tempus, in quo magis eluceſceret hæc miſericordia; nunc volo ipſis facere aliam valde magnam: quia eſt tempus opportunum eam operandi, quoàd venerit hora mea, in qua inveniet mundus tot contra ſe argumenta, & cauſam eòuſque communitam, quòd agnoſcent iuſtam indignationis meæ rationem. In illa,* hora ſcilicet, *palàm faciam, iram, iuſtitiam, & æquitatem meam, quàmque rectè iuſtificata eſt cauſa mea. Quod vt amplius efficiam, & quoniam tempus eſt, in quo attributum miſericordiæ meæ magis manifeſtabitur, & in quo volo amorem meum non ociari; modò, cùm devenit mundus ad infælix adeo ſæculum poſt Verbi Incarnationem, cùm mortales ſuo bono negligentiùs incumbunt, minùſque ipſum quærunt, &c. Cùm peccatores parciùs me ſibi aſtrictum habent: reſpiciens ad iuſtos, qui in hoc tempore inveniuntur, &c.* Hæc legitimè & ſincerè ex Hiſpano exemplari.

14 Vellem Cenſores contextum ſuo momento ponderaſſe, ne propter diſtortam, quam invehunt applicationem adverbij *magis*, oſtentui omnibus prudentibus eſſent: Author enim, vt clariſsimè apparet, non inſtituit inſanum illum exceſſum, ſed rationabilem quamdam proportionem miſericordiarum Incarnationis, & amplioris manifeſtationis myſteriorum SS. Virginis, ſiſtentem in eo, quòd ſicut prior miſericordia, propter infœliciorem ætatem omnibus antea elapſis, excrevit, pluſquàm creviſſet ſe diffundens in eis; pariter poſterior miſericordia, hoc ſæculo exhibita, maior eſt, quàm fuiſſet quovis ſæculo elapſo à mundi redemptione, propter circunſtantiam maioris infœlicitatis, & miſeriæ Chriſtianorum huius ſæculi, quàm præcedentium: vt clamitant verba illa. *Et quemadmodùm tunc ſpectavi tempus, in quo magis eluceſceret hæc miſericordia; nunc volo ipſis facere aliam valde magnam; quia eſt tempus opportunum eam operandi.* Adiunctis præſertim aliis. *Et quoniam eſt tempus, in quo attributum miſericordiæ meæ magis manifeſtabitur, & modò, cùm devenit mundus ad infælix adeo ſæculum, &c.*

15 Præterea. Ponderanda iterum veniunt verba. *Et quemadmodùm tunc ſpectavi tempus, in quo magis eluceſceret hæc miſericordia;* Incarnationis Verbi; *nunc volo ipſis facere aliam,* nimirum revelatio-

tionum, quibuſde contenditur, *valde magnam*, non *maiorem*; vnde poſterius ambiguum verbum, ſi quod irrepſiſſet, ſanum ſuſciperet ſenſum. Adhærent, quæ num. 6. indicavi ex aliis verbis, & locis Venerab. Authoris. Omnia hæc, quæ diſcuſsi, eandem retinent vim, ſpectata verſione Gallica; quippè, quoàd medullam textuum præſenti propoſitio facientem, Hiſpano exemplari non adverſa.

16 Videant modò Deputati enormem ſuæ cenſoriæ notationis lapſum: abſurdiſsimum dogma, velut Venerab. Authoris doctrinam, falsò introducunt, hac via Cenſuræ ſubminiſtrantes materiam; idque inde execrabilius efficitur, quòd, cùm Author non ſui nomine, & ex proprio ingenio loquatur, ſed Deum loquentem præſentet, quaſi ſummæ veritati verba vana, & inſanias falſas impingens, conſequenter notatur. Verùm turpiſsimum hoc dedecus non ſuſtinet Religioſiſsima Mater, ſed totis viribus à ſe amovet, Deum his verbis advocans: (f) *Domine vim patior, reſponde pro me. Exurge Deus iudica cauſam tuam; expugna impugnantes me; & tenebras* eorum *illumina.* Tantorum verò malorum primariam cauſam præterire non audeo: ea eſt: Cenſores ex variis Authoris piiſsimæ verbis, à corpore [illegible] avulſis, materiatos fuiſſe portentoſum effatum: *Hæc doctrina, quæ dicit, &c.* contra parœmiam Hylario (g) probatam. *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi.* Quapropter benevolè illos exhortor, vt quàmcitiùs, ſuo, & V. Authoris conſulentes honori, verba eiuſdem S. Hylarij (h) aſſumant. *Sequamur authoritates ipſas, & non ad fallendam, & malè imbuendam audientium imperitiam, quaſdam verborum enunciationes, SVBSTRACTIS EORVM CAVSIS, coaptantes.*

(f) *Iſaia* 38. *v.* 14. *& Pſal.* 73 *v.* 22. *&* 34. *v.* 1.

(g) *Lib.* 7. *de Trinit.*

(h) *Ibidē*

17 Dixi num. 11. *Conceſſo quòd comparet miſericordiam prædictarum revelationum, &c.* Quoniam ad hanc miſericordiam expreſsè referuntur verba priora: *Nunc volo ipſis facere aliam* miſericordiam *valde magnam*, non verò ly *magis* adiectum in poſterioribus: *& quia tempus eſt, in quo attributum miſericordiæ meæ magis manifeſtabitur;* ſed potiùs, quia infœliciora hæc tempora ſunt, in quibus Deus decrevit ſuam miſericordiam magis manifeſtare, iuxta ſenſum num. 9. atque ſequentibus expenſum; & quia vult *ſuum amorem non otiari*, ſed ſpecialia quædam beneficia præſtare, quamvis homines peiores ſint, vt ſic abundè iuſtificet cauſam ſuam, ſi ea contemnant; nam, admonente Gregorio, (i) *cùm augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum;* ideò, & inde movetur ad ſpecialem, & ſpecialiſsimam exhibendam miſericordiam amplioris manifeſtationis myſteriorum SS. Virginis; ſic hominibus aperiendo ianuam, per quam acceſſum

(i) *Hom.* 9 *in Evangelia.*

habeant ad ſuam benignitatem;facem præbendo,vt illuminentur in tenebris cæcitatis ſuæ, & ob oculos ponendo ſpeculum, in quo videre queant ingrati ſui animi crimen. Quanquam non negem, *ly magis* tacitè etiam referri ad huiuſmodi manifeſtationis miſericordiam,eamque maiorem evadere,iuxta explicationem iam inculcatam.

18 Alia via oſtenditur aſſertum. Eſtò adverbium *magis* denotet,miſericordiam Dei magis elucere, & manifeſtari nunc, quàm tempore exhibitæ Incarnationis,ſenſum propoſitionis adverſativum non inducit;vt ex contextibus pateſcit, ſed duntaxat cumulativum, & extenſivum, iuxta quem maius bonum, ſi ipſi additur minus, fit maius,quàm antea;& minor miſericordia,maiori addita,auctiorem ipſam,& adhuc maiorem facit. Cùmque ſæculum præſens includat miſericordiam Incarnationis: quoniam Deus,etſi non in hoc ſæculo deſcenderit de cœlo, & homo factus ſit; quando deſcendit, & homo factus eſt,non illi ſolum ſæculo, ſed omnibus Incarnatus eſt; eò quòd huius beneficij fructus ſæcula omnia percipiant: idcircò, quemadmodùm dicimus,nos,vltra hoc beneficium,& donum, accepiſſe donum,& beneficium revelationum myſteriorum SS.Virginis; ita & rectè aſſeritur,miſericordiam Dei nunc magis manifeſtari,& ſplendeſcere; quoniam nunc elucet, & manifeſtatur vtroque illo beneficio; non ſic antea, ſed altero, Incarnatione nempe.

19 Huius locutionis proſtant exempla omnium calculis probata. S. Leo (*k*) ait.*Indulgentiùs nobiſcum egit doctrina cœleſtis:quos in hæc mundi tempora diſtulit ad intelligentiæ facultatem, vt multò pluribus, quàm priores, & Vatibus vteremur, & teſtibus.* Vbi *ly indulgentiùs*,non adverſativè ad omnia tempora antecedentia S. Leonem, accipitur, ſed cumulativè, & extenſivè vſurpatur, iuxta dicta num. antecedenti. Non abſimiliter loquitur S.Gregorius de illuminatione Eccleſiæ. (*l*) *Quantò mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis æternæ ſcientiæ aditus largiùs aperitur.* Et nihilominus nemo impinget Gregorio, deduci ex verbis ſuis, noſtro ſæculo, extremitati ſuo propinquiori, contingere illuminationes novas maiores, quàm quæ factæ fuere ſæculis anterioribus; ſed omnes adverbium *largiùs* cumulativè, & extenſivè ſolum intelligunt. In Revelationibus S.Brigittæ (*m*) inducitur Deus ſic illi loquens.*Deinde,corpus ipſum mundiſſimum à peccato, pro peccatis omnium,à planta pedis vſque ad verticem, lacerari volui, & cruci affigi. Hoc etiam quotidiè nunc in altari immolatur, vt tantò ampliùs me homo diligeret.* Et fortaſsis

(*k*) *Ser.18. de Paſſio. Domini, cap.2.*

(*l*) *Homil. 16.in Ezechielem.*

(*m*) *Lib.1. Revelationum, c.1.*

plus

plùs diligendus eſt Deus ob beneficium quotidianæ incruentæ immolationis in Euchariſtia, quàm propter beneficium vnicæ cruentæ immolationis in cruce? Minimè : adverbium enim *ampliùs* ibidem ſenſum tantum cumulativum immittit. Quotidiè etiam, magnificando Dei miſericordiam, confitemur, eam in dies nobiſcum eſſe maiorem ; non quia quolibet die exhibere dicamus beneficia maiora, conceſsis retrò actis temporibus; ſed quia continuè beneficijs beneficia addit, & ſic plura perhibere invenitur, quàm antea præſtaſſet.

20 Ad calcem tamen moneo, quòd adverbium Hiſpanum *mas*, ad quod devolvitur tota concertatio, & verti poteſt per adverbium, *magis*, & per adverbium *ampliùs*, relictis nunc alijs adverbijs, quibus etiam exprimitur, iuxta hanc monitiunculam vſurpandis. Cùm vox, *mas*, adverſativè, & non cumulativè, ſignificat, aptiùs latinè declaratur per *magis*, quàm per *ampliùs*; dùm verò cumulativè, & non adverſativè, ſignificat, aptiùs per *ampliùs* convertitur, quàm per *magis*. Vnde innoteſcit, ſecundùm duos ſenſus verborum Venerab. Authoris, hactenus explicatos (nullatenus invicem pugnantes, utpotè diverſa reſpicientes extrema) diverſimode, attenta accommodatiore tranſlatione, exponendum latinè eſſe adverbium Hiſpanum *mas*: ſcilicèt, cùm ſermo procedit in priori ſenſu, per adverbium *magis*, & quando in poſteriori, per adverbium *ampliùs*.

21 Re noſtra evidentiſsimè demonſtrata, ſupereſt ſolum, vt Deputati præconceptum ſenſum dedoceant, & inuſtam Ven. Authori calumniam æquo animo repudient: id quod nemo ipſis vt probrum obiiciet ; aiente Tertulliano (*n*) in ſimili. *Non ſuffundor errore, quo caruiſſe delector: quia meliorem me, & pudicitiorem recognoſco. Nemo proficiens erubeſcit.* Et S. Ambroſio. (*o*) *Nullus pudor eſt ad meliora tranſire.* Quin potiùs inde cunctis, & præſertim Hiſpanis, qnibus valde in honore Author eſt cum libris, commendabiles erunt, non neſcientibus cum Auguſtino, (*p*) quòd *dicti mali, vel ſtulti, vel incommodi pœnitere, vtique cordatorum eſt*. Imò & Cenſores ijdem ſanctè, atque honoratè exclamare poterunt, ſibi verba Hieronymi, (*q*) Auguſtino ſcribentis, iure coaptantes. *Iam Domini miſericordiæ eſt, NE PER IMPERITIAM NOSTRAM ab* Authore * *bene dicta diſpereant, ET NON PLACEANT INTER EXTRANEOS, QVÆ PLACENT INTER SVOS.*

(*n*) *Lib. de pudicitia cap.* 1.

(*o*) *Epiſtol.* 12. *lib.* 2.

(*p*) *Epiſt.* 7

(*q*) *Epiſt.* 11. *cap.* 3.

*Pro *aliis.*

§. VLTIMVS.

DOCTRINA VENERAB. AVTHORIS NON SVBiacet Facultatis Cenſuræ, hæcque & Deputatorum Cenſura vitÿs exundant.

SVPPOSITITIA CENSVRA FACVLTATIS.

SI intendat Author in prædictis propoſitionibus, myſteria de SS. Virgine ſibi, vt ait, recens revelata comparare, & præferre myſterio Incarnationis Verbi, & in illis maiorem Dei miſericordiam, quàm in iſto eluxiſſe, amoremque eius magis operativum fuiſſe: hæc doctrina falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & impia. Si verò tantùm intendat, gratiam, & beneficium prædictorum myſteriorum ſibi, vt ait, recèns revelatorum, præferri debere omnibus gratÿs, & beneficÿs, quæ Deus à tempore Incarnationis hominibus contulit: hæc doctrina falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa.

22 EXotica profectò iudicandi norma per alternas eas conditiones, *ſi intendat Author; ſi verò intendat*, quoàd priorem ipſius partem ſatis ſuperque convulſa §§. præcedentibus, & quoàd vtramque omnino libera: vbinam enim Venerab. Author inſtituit, aut ſignificat comparationem præferentem myſteria SS. Virginis, recèns ſibi revelata, myſterio Incarnationis, vel aliis omnib⁹ gratiis, hominibus à Deo collatis à tempore eiuſdem Incarnationis? Nuſquam vtique. Neque verba numeri 9. videntur vel leviter, comparationis vſqueadeò inſanæ, ſuſpicionem immittere potuiſſe homini vlli, cenſoria prurigine non affecto. Diſſident autem Cenſores, quòd Deputati loquuntur de beneficio amplioris, per revelationes Vener. Authori factas, manifeſtationis myſteriorum SS. Virginis, comparato cum beneficio Incarnationis: Facultas loquitur de comparatione, non beneficij prædictarum revelationum, ſed myſteriorum SS. Virginis, recèns revelatorum, cum Incarnatione Verbi, vel gratijs, & beneficijs à Deo hominibus exhibitis, à tẽpore eiuſdem Incarnationis.

23 Compertum ſit ex hucuſque diſcuſsis, vtramque Cenſuram plu-

plura in vitia incidiſſe, aliis nihilominus quàm pluribus ſilentio parcere non licet. Certè quidem deputati, ac reliqui Cenſores mihi videntur ſui muneris obliti, & qualitates propoſitionum damnabilium ignorare: nam aſſerere, *maiorem Dei miſericordiam elucere in myſteriis SS. Virginis, recèns revelatis Ven. Authori, in ipſorumvè revelatione, quàm in Verbi Incarnatione; aut eadem Incarnatione præſtantiora eſſe myſteria SS. Virginis recèns revelata Vener. Authori*: nedum falſum, temerarium, ſcandaloſum, & impium, quin & erroneum eſt, ſi non etiam hæreticum. Qua igitur ratione Cenſores, cæteroqui rigidiſsimi, graviorem hanc qualitatem reticuerunt; cùm, doctè advertente Patre Franciſco Oviedo, (*a*) non deceat Dominos Qualificatores, proferre leviores cenſuras, omiſsis gravioribus?

(*a*) *Tract. de Fide. Cōtrov.* 12. *Puncto* 4. §. 8. *nu.* 79

24 Præterea. Vocem Gallicam *le plus* in verſione poſitam, quæ ſignificat, *maximè*, expreſſerunt in Cenſura per *magis*: quod, cùm comparationem denotet, ad colorandam Cenſuram videtur ſuppoſitum; altiſsimo tamen Dei conſilio profuit hoc veræ Auhoris Venerabilis doctrinæ: quippè, arrepta exin occaſione, illuſtrata, & ampliùs declarata manet. Deniquè: Si quid ambiguum inerat verſioni Gallicanæ, conſulendum erat exemplar Hiſpanum, eò vel maximè quòd duo ex Deputatis gloriantur (vt fertur) ſe noſtrum callere idioma, qua levi opera difficultas tota evanuiſſet, nec ius providēdi innocētiæ Venerab. Authoris immaturo, & præpropero iudicio, temeratum fuiſſet contra venerandam regulam Zozimi Papæ. (*b*) *Sententia tardè proferenda, & tolerabilius eſt tardè invenire innocentem, quàm cito damnare pro nocente.* Sed de iuſta hac expoſtulatione plura articulo 7. Satis iā de peccatis ambabus Cenſuris cōmunibus.

(*b*) *Epiſt.* 4

25 Deſcendo ad inſulſitatem Cenſuræ Facultatis detegendam, & ipſius peregrinam formam configendam. Siquidem, ut bene Vantius (*c*) monet, ſententia dubia non valet, ex quo controverſiam, & negotium verè definire dici non poteſt; quinimo dubietas adhuc retinet partes ancipites, & ita perinde eſt, ac ſi non fuiſſet lata. *Argum. leg. de ætate, §. Qui tacuit, cum ſequentibus; ff. de interrogaction.* Hanc in notam incurrere prædictam Cenſuram, nemo non videt: innixa enim conditionibus, *ſi intendat Author, ſi verò intendat*, nihil definite pronūciat, nec doctrinam, iudicio ſubiectam, certò liberat, aut damnat. Præterea. Hoc dilemmate arguo: vel aſſertum Venerabilis Authoris ſuſpicionem ingerit perverſorum dogmatum, quæ Cenſores refigunt, vel adeò immune eſt, vt nec talem ſuſpicionem ingeneret? Si primum: Cenſura eſt diminuta: nam propoſitio, ſic affecta

(*c*) *De nullitatibus*, *pag.* 592. *nu.* 101.

ſta, damnabilis eſt,& damnanda certa confixione Theologica, tanquam ſuſpecta falſi dogmatis. Si ſecundum : quo iure triſtibus illis notis, eſtò conditionatis,& nutantibus, aſpergitur,eo ipſo in ſuſpenſo relicta doctrina, ad dubiamque fidem revocata, atque ideò exercitè notata , quam ſignatè ſigillare non audent Cenſores , ſua ipſa dubietate exequentes, quod certa damnatione præſtarent?

26 Vlteriùs : Si normam illam cenſendi integrum eſt invehere, nec Cenſoris ipſi iniudicati recedent. *Sacra* , inquiunt , (*d*) *Facultas Sanctiſſimæ Deiparæ honoris vindicem ſe præ cæteris præbuit hactenus.* Si intendant,ſe præ Sede Apoſtolica vindices præbuiſſe,iam iudicati ſunt.Si verò tantum intendant exibuiſſe ſe vindices præ cæteris, ſcilicèt, Sanctis Doctoribus,& Scriptoribus, Vniverſitatibus, Religionibus, alijſque conſimilibus,& ampliſsimis cœtibus, ſevero itidem, atque ſtricto ſubiacent iudicio.

(*d*) *In præfatione Cēſuræ.*

27 Denique. Fateor , appoſitè adijci à Cenſore conditionem, *ſi intendat Author* , quando ex prava Authoris circunſtantia , aliunde nota, vel propter ſimilem temporis circunſtantiam, propoſitio ex vi ſuorum terminorum indemnis,ſuſpecta redditur;extra hos verò eventus conditio, *ſi intendat*,devolvi ſolùm poteſt ad ſenſum,quem claudere valeant verba ob ſui amplitudinem,vel ambiguitatem;quarum nulla modò contingit : quocircà præfixæ nutanti Cenſuræ , eiuſque Authoribus , verbis Hylarij, (*e*) nomine Venerab. Authoris, tranſcriptis,reſpondetur.*Verba ſenſum enunciant, ſenſus rationis eſt motus, rationis motum veritas incitat. Ex verbis igitur ſenſum ſequamur,& ex ſenſu rationem intelligamus , & ex ratione veritatem apprehendamus.*

(*e*) *Lib. 5. de Trinit.*

28 Diſſertationem finio hoc non aſpernando monito : perfacilè emendari Cenſuras,abradendo nimirum primum prioris verbum demonſtrativum *hæc*, & poſterioris conditiones. Verùm tunc doctrina, quæ dicit: *Miſericordiam Dei magis,&c. eiuſque amorem magis, &c.* vbinam erit?Forſan in ſola exiſtimatione Cenſorum, qui illam apprehenderunt;vt ita Cenſuræ aculeus pungat DD. qui, quod configerent,confinxerunt.*Nec gravis ira ijs videri debet*,verba ſunt Gregorij Nazianzeni , (*f*) *qui gravia perpetrarunt : VINDEX ENIM NVMEN EADEM IISDEM REPENDIT.*

(*f*) *Tom. 2. in collect. Sentent.*

ARTI-

ARTICVLVS IJ.

NVmero 10. inducitur Deus ſic loquens. *Non manifeſtavi hæc in primitiva Eccleſia: quia continent myſteria tam alta, tamque ſublimia, vt fideles illis penetrandis, & admirandis intenti fuiſſent, cùm neceſſe erat ſtabiliri legem gratiæ, & Evangelium promulgari. Et quanquam id incompoſſibile non fuiſſet; attamen ingenium humanum, oppletum ignorantia, pati poterat nonnihil turbationis, & dubitationis: quia fides Incarnationis, & Redemptionis erat adhuc debilis, atque præcepta novæ legis erant quaſi in cunabulis.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

H*ÆC propoſitio falſa eſt, temeraria, & novitatem inducens.*

Suppoſititia Cenſura Facultatis coniunctim damnat huius articuli, ac ſequentium tertij, & quarti propoſitiones: ſed quæ in propoſitæ confixionem facere videntur hæccine ſunt. *Hæ propoſitiones, quibus Author aſſerit veritates ſibi fuiſſe revelatas, ipſis prioribus ſæculis Eccleſiæ incognitas, &c. Falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ.*

DISSERTATIO II.

CRISIM CENSVRARVM EXHIBEO cum earundem caſtigationibus.

I*Mperitus eſt Medicus*, Cyprianus loquitur, *(a) qui tumentes vulnerum ſinus parcente manu contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum, dum ſervat, exaggerat.*

(a) Lib. de Lapſis, circa mediū.

Digitized by Google

gerat. Aperiendum vulnus eſt,& ſecandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licèt,& conqueratur æger per dolorem, gratias aget poſtmodùm,cùm ſenſerit ſanitatem. Medicum ago,morbos Cenſurarum detegam, aperiam vulnera, nec ea reſilent: clamitent, vociferentur Cenſores; tandem mihi gratulaturos expecto, agnoſcentes ſe tanquam homines humanitùs lapſos. Ergo iam medicamina adhibendo ſit.

§. I.

TRIBVS PROPOSITIONIBVS EXPEDITVR aditus defenſioni Venerab. Authoris.

1 PRIMA propoſitio. *Præter publicas divinas revelationes contentas in Sacra Scriptura, divinis Traditionibus, & Eccleſiaſticis definitionibus, ſunt & aliæ privatæ revelationes, quibus Deus illuſtravit, & illuminabit nonnullos fideles ab initio Eccleſiæ ad præſens vſque ſæculum, & conſummationẽ mundi.* Huius aſſerti fundamenta non eſt cur expendam, Catholicos alloquens; ſufficiat ea inſidere Concilijs Generalibus, iuri Canonico, Bullis Pontificum, Breviario Romano, atque conſenſui Patrum, Theologorumque Scholaſticorum, Polemicorum, & Aſceticorum, quos inter legendi ſunt Boſius, (*b*) & Illuſtriſsimus Ximenius à Samaniego. (*c*)

2 Secunda propoſitio. *Præter egregias SS. Virginis dotes ex Sacra Scriptura, & traditionibus, aliove modo, certiſsimè notas, quàm piè licet alias quærere, & inducere; innitendo, ſive teſtimonio revelationis privatæ, iuxta Prudentum cenſionem veræ, & probandæ, ſive probabili diſcurſui, & cogitationi.* Ita ſentiunt cuncti ſanæ mentis Catholici; refragantur verò præfracti Novatores, & Sanctæ Eccleſiæ perfidi deſertores, conſueta ſibi pervicacia nihil de Virgine Maria aſſerendum contendentes, quod ſacris literis expreſſum non inveniatur. *Tacente ſcriptura*, inquit (*d*) ſpiritus Calviniſticus Iſacci Caſauboni, *curioſum putamus, & periculoſum id velle inquirere.* Et Andreas Rivetus, eiuſdem furfuris homo, (*e*) in idipſum detor-

quet

(b) De ſignis Eccleſ. lib. 22. cap 3. ſig. 93.
(c) In prologo præfixo operi V. Authoris.
(d) In exercitationibus.
(e) In Antiphrallica Virginis. Apologia.

quet Theophilati verba hæc. *Quæ Scriptura tacuit, ea quæri non oportere.* Adducunt ad fallacem hanc exiſtimationem fucandam quoſdam Scripturarum textus,pravè intellectos,ſed ſuæ fidei ſatis abundeque iam reſtitutos à DD. Catholicis. Quapropter in perverſos illos homines cadunt Tertulliani verba.(*f*) *O Canes,quos foras Apoſtolus expellit, latrantes in Deum veritatis! Hæc ſunt argumentorum oſſa, quæ corroditis.*

(*f*) *Lib.* 2. *cont.Marcio.*

3 Tertia propoſitio. *In ferendo iudicio novæ alicuius privatæ revelationis per extrema aberrant, cùm homines, qui ferrea,aut nimis pavida indole præpediti, oblatam ſibi revelationem,quaſi lateat anguis ſub herba, confeſtim irrident,& reiiciunt;tùm homines levis cordis, & falſæ pietatis, illico revelationibus adſcribentes quæcumque ſub earum ſpecioſo colore proponuntur.* Quoniam, vt benè (*g*) Cancellarius Pariſienſis, *ſi propoſita privata revelatione, ſtatim eam negemus, aut fallaciæ, abſque alia diſcuſsione, damnemus, videbimur infirmare authoritatem divinæ revelationis, quæ nunc,vt olim,potens eſt:neque enim manusDomini abbreviata eſt,vt revelare non poſſit : ſcandalizabimus præterea ſimplices dicentes, quòd ita de noſtris revelationibus, & prophetiis poterunt eſſe calumniæ.* Neque approbādæ continuò ſunt privatæ revelationes. *Ne forte Dæmones, qui monetam quamlibet,& divinam & bonam falſare ſatagunt,ſub introducant pro vera, & legitima, falſatam & reprobatam : eſſet quidem hoc in detrimentum non mediocre Eccleſiaſtici fiſci, & ærarij ſeu theſauri imperialis Dei.* Teneamus ergo mediam viam, & *ſecundum Apoſtoli Ioannis documentum*, concludit Sapientiſsimus Cancellarius, *non credamus omni ſpiritui, ſed probemus ſpiritus, ſi ex Deo ſint, & obedientes Apoſtolo,quod bonum eſt, teneamus.*

(*g*) *Tract. de diſtinct. Verar. revel. à fal. Init. p.* 1. *op.*

4 Validiſsima hæc ieci principia ad profliganda, quæ ſtatim ſubiicio. In Cenſura Cenſuræ, anno proximè elapſo edita Coloniæ Agrippinæ, traditur,(*h*) non defuiſſe Doctores,qui in Congregationibus Facultatis Pariſienſis,habitis ſuper doctrinam Venerab. Abbatiſſæ de Agreda,plura evomerint adverſus *Revelationes* privatas, *pias, probataſque opiniones de Beata Virgine, variaſque eam colendi rationes,contendentes,concludendam eſſe Fidelium erga illam pietatem intra terminos Evangelij, vbi SS. Maria,* inquiebant, (vt refertur) *mulier, Materque Ieſu dicitur, nec quid amplius.* Inſana profectò,atque nefaria ſunt hæc,quæ ex ore vllius Doctoris Pariſienſis excidiſſe,nunquã in animum inducam abſque vrgentioribus teſtimonijs : quanquàm id accidiſſe, nec moraliter mihi impoſ-

(*h*) *In præfat. fol.* 8. *v. Qui ex altera.*

Digitized by Google

(i) In Hercule Commodiano. Serie 3. quæſi. 1.

poſsibile appareat: didici enim è Theophilo Raynaudo,(*i*) Ioannē Maiorem, celebrem Pariſijs ſæculo ſuperiore Theologum, ſcripſiſſe, *QVOD NON OMNIS DOCTOR PARISIENSIS DOCTVS EST*;& eventus ipſe oſtendit inanes, evanidaſque Cenſuras à quibuſdam DD. Pariſienſibus contra doctrinam prænominatæ Venerabilis Abbatiſſæ latas, ac evulgatas: nolim tamen ob quorundam inſcitiam in invidiam vocari præclariſsimum totius Facultatis Theologicæ Pariſienſem Conventum, nunquàm ſatis commendatum;nec ipſius DD.illos,benè multos, qui iure ſapientes audiunt. *Cùm non ideò* (vt aiebat (*k*) Gregorius Nazianzenus) *ſtatim omnes nigri iudicentur: quia NONNVLLI TALES SVNT.*

(k) Orat. 14.

5 Neque Cenſura Facultatis præſentis articuli ſe de ſuſpicione huiuſmodi errorum ſatis purgat. *Hæ propoſitiones*, habet,*quibus Author aſſerit,veritates ſibi fuiſſe revelatas, ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis incognitas,&c. falſæ ſunt,&c.* Materia, quatenùs ex verbis his liquet,Cenſuræ ſubiecta, duo ſolùm continet: videlicèt & donum revelationum, & veritates, quæ dicuntur Venerab. Authori revelatæ,magna ex parte abſconditas fuiſſe prioribus Eccleſiæ ſæculis; cùmque poſterius hoc clarius ſit, quàm vt ab aliquo negari poſsit,& fateantur Cenſores ipſi, ſæpeſæpius novitatis,temeritatis, aliorumque defectuum inſimulantes Venerab.Authoris placita,dotes SS. Virginis concernentia; ſupereſt ſolùm illud priùs, quod damnent, contendendo reiiciendas iam his temporibus novas privatas revelationes de SS.Virginis perfectionibus: quæ quidèm cogitatio neceſſe eſt labatur in omnes convulſos errores num.1. 2. & 3. aut ſaltèm in eorum aliquem.

6 Deputatorum Cenſura plura comprehendit, & maiore ambiguitate laborat. *Hæc propoſitio*,inquiunt, *falſa eſt,&c.* Quænam igitur propoſitio? Siquidem textus confixus, vt in fronte articuli iacet, multa continet aſſerta, in quæ reſolvi poteſt. Primò, quòd ſcripta à Venerab.Authore de Beatiſsima Virgine,quoad magnam eorum partem abſcondita fuere primis Eccleſiæ temporibus. Secundò,quòd tunc non manifeſta,efferuntur tanquam alta & mira. Tertiò, quòd fideles per ſtudium horum myſteriorum potuiſſent diſtrahi à curis, & laboribus neceſſarijs ad fundandam, & ſtabiliendam legem gratiæ. Quartò, quòd manifeſtatis his omnibus myſterijs SS.Virginis tunc temporis, cùm fides factæ Incarnationis & Redemptionis, præceptaque novæ legis infantiam attingebant, ingenium humanum,ignorantia oppletum,nonnihil dubita-

tionis,

Digitized by Google

tionis, & turbationis ſubire poterat. Quintò, quòd manifeſtatio omnium eorum myſteriorum Virginis abſolutè incompoſsibilis non erat cum prædicatione myſteriorum Chriſti. Vltrà iſta ſolùm reſtat beneficium revelationum, de quo num. anteced. Ex iis ergo quodnam tetricis Cenſurarum aſperſionibus perfundunt Pariſienſes? Non poſtremum: alioqui cætera penè omnia coguntur admittere. Neque primum, niſi velint luci tenebras offundere; quod ſi nihilominùs configere conantur, ad ipſum & reliqua devolvitur diſſertatio, duplici propoſitione conficienda. Me autem miretur nemo diſtentum confirmandis veritatibus, adeo obviis: vt enim egregiè admonet Paulinus Aquileienſis (*l*) contra Fœlicem Vrgelitanum diſputans: qui cum Scriptore *INEPTIENTE* agit, cogitur & ipſe nonnihil *ineptire*. (*l*) *Lib.* 2.

§. II.

VENERAB. AVTHORIS DOCTRINA, QVATENVS multa de SS. Virgine effert revelata, prioribus Eccleſiæ ſæculis, imò & proximè præteritis temporibus incognita, nulla eſt digna Cenſura.

7 Nititur propoſitio duplici principio: quorum aliud eſt. *Præcedentibus ſæculis Deus plures SS. Virginis dotes fidelibus viatoribus reſeravit, ſed plures item celavit, & conſignatas retinuit.* Nimius eſſem in commemorandis ſingillatim Authoribus huic principio ſuffragantibus expreſsis vocibus: illi ſunt cunctarum ætatum Catholici Scriptores, qui de SS. Virginis excellentiarum magnitudine, ac multitudine diſſeruerunt: quare tranſcribere ſufficiet ampliſsima aliquorum teſtimonia, vt inde aliorum eadem habeatur ratio.

8 S. Germanus (*a*) inquit. *In Mariam ſi quis innumera dicat elogia, nunquam ſequetur ſcopum, tantum abeſt, vt illum attingat, & propoſitum in laudanda aſſequatur, cùm illa ſuperet omnem diſertam linguam, & omnem mentis aciem prætergrediatur. Etenim eius magnalia vaſtiſſimum pelagus fecit gutta illa cæleſtis, quæ ab ipſa manavit. Idcircò immenſitatis eius divitiæ, nulla vi comprehendi poſſunt, nec abſumi delitiæ. Hinc fit, vt laudationum anſa, quas ipſa porrigit, coniici mente non poſſint, & quia indeficiens eſt fons, & hauriendo non exhauritur, imò quò plus hauritur, eò maiorem centies, aut* (*a*) *Orat. de Præſentat.*

millies aquarum copiam effundit; ideò fieri non poteſt, ut deſinant qui hauriunt. Siquidem dùm hauriunt, aquæ myſterium redundat, & redundatio mentes etiam vincit incorporeas, quantò magis immerſas corporibus. Tanta eſt Beatiſſima, & Immaculatiſſima Virgo.

(b) Cantic. v. 10. (c) Ibidē.

9 Evidèriùs in verba, (b) *murenulas aureas* loquitur Rupertus (c) ſuper Cantic. textum. *Eſt igitur ſenſus. O Virgo Virginum, &c. laxa vocis iter, & collum tuū ſilentio communitū pande interdum, & tutis auribus amicorū fidelium, vel breviter eloquēdo committe ſecretū, vt dicas nobis, quomodo, vel per quid Altiſſimo complacueris: qualis ille tibi fuerit, primùm in corde, ſive in vtero, deinde in convictu, ſive in colloquio, dùm lactares vberibus, dùm geſtares eum vlnis trementibus?* O Sacratiſsima Deipara, ſi modò Rupertus viveret! Sanè ingentes tibi grates rependeret, Venerab. Abbatiſſæ plena manu conceſſa videns, quæ ipſe efflagitabat, ac deſiderio deſiderabat.

(d) De excellentia Virginis, cap. 2. (e) Serm. 4. de Aſſump. initio.

10 S. Anſelmus (d) inquit. *Illud coniicio apud me, nativitatem eius, quā quidem ex linea generationis humanæ non neſcio, deſcēdiſſe, magna quadam atque miranda divinorum ſignorum indicia præcurriſſe. Quæ tamen illa fuerint, ſolus ipſe ſine ſcrupulo novit, qui eam, antequàm naſceretur, in Matrem elegit.* S. Bernardus. (e) *Fateor imperitiam meam, puſillanimitatem propriam non abſcondo. Non eſt equidem, quod me magis delectet, ſed nec eſt, quod terreat magis, quàm de gloria Virginis Mariæ habere ſermonem. Vt enim ſileam interim ineffabile privilegium meritorum, & prærogativam penitùs ſingularem; tantò eam devotionis affectu amplectuntur, honorant, ſuſcipiunt, (vt dignum eſt) vniverſi, vt licèt de ea loqui geſtiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipſo, quòd dici potuerit, minùs placeat, minùs accepietur.*

(f) Serm. 2 ſup. Salve Regina.

11 Creditùs Bernardus apud eundem. (f) *Nemo, neque in cælo, neque in terra, inventus eſt dignus aperire librum prærogativarum tuarum, & digne ſolvere ſeptem ſignacula eius.* Et paucis interiectis. *Viri divitiarum multi de civitate Domini virtutum, miſerunt manus ſuas ad hac fortia, & tamen altitudinem divitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt; quia inveſtigabiles viæ iſtæ, & inſcrutabilia vniverſa. Conati ſunt, & non datum eſt vltrà. Dùm adhuc ordirentur, ſucciſſi ſunt. Quis enim loquetur potentias has Domini, auditas faciet omnes laudes eius?*

(g) Serm. 3 de Aſſump. circa finē.

12 S. Thomas de Villanova (g) egregiè & maximè è re noſtra ſcripſit. *Ediſſere nobis, ò Virgo Beata, dulciſſimos illos dialogos, familiares loquutiones, & arcana colloquia, quæ habuiſti cum filio,*

quan-

quando in gremio tuo recumbens, cæleſtia tibi ſecreta pandebat, & dulcia illi in doctrinæ præmium oſcula referebas. Quid tunc diſſerebat? quid docebat? Quid illum percontabaris? Quid tibi reſpondebat? Noveras enim optimè eum, quis eſſet, noveras divinæ ſapientiæ in eo latere theſauros, noveras abyſſum luminis profundiſſimam, intra tenerrimi pectoris anguſtias latitantem; omniaque eius verba, ſicut Dei omnipotentis oracula, conſiderabas. O fœlicem fæminam, quæ nectareo illo divinæ ſapientiæ poculo tandiù potata eſt! Cur nos obſecro, Virgo, his tantis divitijs defraudaſti? Cur theſauros iſtos deſiderabiles à tuis ſervitoribus abſcondiſti? Cur dialogos illos dulciſſimos ad eruditionem, & conſolationem noſtram Scripturæ non mandaſti? Quid nobis nunc gratius, quid dulcius, quid vtilius dari poſſet, quàm vt colloquiorum huiuſmodi ſapientiſſimo, & ſalutari pabulo frueremur? Interrogantem Matrem, & Filium reſpondentem de cæleſtibus audiremus? Bellè ediſſeris dulciſsime Pater: nec piiſsimæ tuæ rogationes, quas, fidelium viatorum nomine, Mariæ obiiciebas, fraudatæ ſunt à deſiderio ſuo. Exaudiit eas clementiſsima Virgo, & ſi non tuo, noſtro iam ævo reſpondit, dialogos atque colloquia illa, noviſsimis his diebus, referans Vereb. Abbatiſſæ Mariæ à Ieſu de Agreda, (*k*) vt, evulgante ipſa, vniverſis fidelibus pateſcant, & publici iuris fiant.

13 Petrus Cellenſis. (*i*) *Credo & confiteor, plura eſſe apud nos ignota de Virgine Sacroſancta, quàm nota: quia confortata eſt & gratia, & gloria, & non poſſumus ad eam.* Richardus à S. Laurentio. (*k*) *Propter hoc etiam de eius ſpecie toties replicat Sponſus in Canticis; abſque eo quod intrinſecus latet, ſoli pervium Creatori, ſed nulli cognitum creaturæ. Nam quanta ſit Mariæ ſpecies, qui dedit ſpeciem, ſolus novit.* Iterum advoco Rupertum. (*l*) *Igitur & oculi tui Columbarum, & hæc vera pulchritudo eſt, abſque eo quod intrinſecus latet; quod ſolus in te Deus videt, nobis autem, quia inexpertum, idcirco ineffabile eſt.*

14 Denique idem evincit analogia theſauri, qua ſæpe Patres magnitudinem, multitudinemque Virginis Mariæ prærogativarum quoddammodo declarandam ſuſcipiunt. Optimè illam expendit Doctus Pater Ioannes Antonius Velazquius, (*m*) cuius verba non gravabor appingere. *De Maria,* inquit, *quæ THESAVRVS INEXPLICABILIS EST DIVINÆ OMNIPOTENTIÆ, (n) iiidemque PLANE ARCANVS DEI OECONOMIÆ; (o) necnon THESAVRVS (p) SANCTISSIMVS OMNIS SANCTITATIS; & THESAV-*

(*h*) *Legatur 2. pars myſticæ Civitatis lib. 4. à cap. 10*
(*i*) *Lib. 9. Epiſt. 10.*
(*k*) *Prologo 1. in libros de laud. Deiparæ*
(*l*) *In 4. Cantic.*
(*m*) *Lib. 5. de concept. diſſert. 1. adnotat. 3. num. 2.*
(*n*) *Ex Epiphan. Orat. de Virg.*
(*o*) *Ex eodem ibid.*
(*p*) *Ex Andræa Cret. Orat. 2. de Aſſump.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

(q) Ex Hym Græc. apud Buteon. p. 123.

(r) Lib. 4. de laud. Virg. in ex poſit. verb. Sapient. 7. v. 14. Infinitus eſt theſaurus hominibus &c.

SAVRVS PVRITATIS; (q) *omninò affirmabimus, fontis in modum iugiter ſcatentes habere divitias, quæ à multis effodientium manibus nunquam conſumentur, &c. Non eſt enim ſenſibilis hic theſaurus, ſed is, in quo repoſuit Deus, vt dicebat Richardus à Sancto Laurencio, (r) omnia dona gratiarum, meritorum, virtutum, & prærogativarum, donorum, & chariſmatum: vt quæcumque de ipſa prædicentur illuſtria, alia quidem illuſtriora, & maiora prædicāda ſuperſint.* Aſſumptum principium confirmant etiam, quę ſtatim & inferiùs adducam.

15 Aliud principium eſt. *Deus, non ſimul, ſed ſuccedentibus ætatibus, ſenſimque fidelibus viatoribus aperuit, aperit, & aperiet vſque ad conſummationem mundi, dotes SS. Virginis, ſecundum conſilium divinæ voluntatis pandendas.* Huic principio, ſi quidam Cenſorum Pariſienſium non refragantur, reſiſtit nullus Catholicus, & diſertis terminis ſubſcribunt gravisſimi ſine numero Authores, è quibus ſat erit depromere aliqua teſtimonia, cuncta enim perſequi infinitum planè eſſet. Amedeus Lauſanenſis. (s) *Sciendum verò certiſſimè, quod creberrima miracula, innumera beneficia, ſpiritales viſiones, cæleſtes revelationes, ſublimes conſolationes almæ Parentis Domini, orbi terrarum aſſiduè coruſcabunt, donec finem mundus iſte ſeneſcens inveniat, inclareſcente Regno, cuius non eſt finis.*

(s) Hom. 8. de laud. B. Mariæ.

16 Gerſonius. (t) *Prima conſideratio eſt, quod Spiritus Sanctus interdum revelat Eccleſiæ, vel Doctoribus poſterioribus aliquas veritates, vel expoſitiones Sanctæ Scripturæ, quas non revelavit eorum prædeceſſoribus. Sic dicit Gregorius iuxta illud Danielis 12. Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia. Ideò Moyſes ſcivit plus quàm Abraham, Prophetæ quàm Moyſes, Apoſtoli quàm Prophetæ, & Doctores addiderunt multas veritates vltra Apoſtolos. Quapropter dicere poſſumus, hanc veritatem, Beatam Mariam non fuiſſe conceptam in peccato originali, de illis eſſe veritatibus, quæ noviter ſunt revelatæ, & declaratæ. Fuit etiam tempus aliquod, in quo non tenebatur generaliter, Mariam Virginem eſſe in Paradyſo in corpore & anima. Et ſimiliter poſt inſtitutionem feſti Nativitatis Sancti Ioannis, Nativitas Dominæ noſtræ ordinata fuit per revelationem vnius ſolius fœminæ, & multa ſimilia.*

(t) Serm. de concep. B. Mar. V.

17 Richardus à Sancto Laurentio (u) componens cum Verbis Marianis, *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*, verba Davidica, *Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei*, ſubdit. *Ipſe, qui antiquis inſpiravit, vt de Matre ſua ſub ænigmatibus glorioſa prædicerent, ipſe & quoſdam Modernos illuſtrat, vt de ea glorioſa*

(u) Lib. 4. de laud. Virgin.

Digitized by Google

ſa non taceant, *& etiam vſque ad finem mundi ſemper aliquos illuminabit, vt Matris præconio nova ſemper aliqua ſuperaddant.* Ambroſius Catharinus (*x*) *Ego enim non in hoc privilegio,* Immaculatæ Virginis Conceptionis, *finiri Mariæ laudes exiſtimo, ſed latere etiam plura Beatis nota ſpiritibus, & ſua die revelanda Eccleſiæ, vt quævis ætas, ſuis, atque novis gaudeat decorata myſterijs.*

(*x*) *Diſput. pro Imm. Virg. Concept. ad PP Ord. Præd. in expugnat. 4. aci.*

18 Eximius Doctor Pater Franciſcus Soarius. (*y*) *Conſideratione dignum eſt, Antiquos PP. pauca de hoc Virginis privilegio,* Immaculatæ Conceptionis, *eſſe loquutos. Quod mirum eſſe nō debet. Tum: quia Spiritus Sanctus paulatim ſuam Eccleſiam docet: vt Gregorius dicit Hom. 16. in Ezechielem, &c.* Conſalvus Durantus. (*z*) *Addendum eſt, noluiſſe Deum in principio naſcentis Eccleſiæ palam facere omnibus Matris ſuæ Conceptionem, & ad cœlos, anima corporeque Aſſumptionem, aliaque ſingularia privilegia illi divinitus conceſſa: quoniam non expediebat cuncta Eccleſiæ divina arcana ſimul reſerare, & fidelibus ſuis omnia ſimul aperire, &c. Proficit namque Eccleſia, Deo eam plenius quotidie illuſtrante.*

(*y*) *3. p. quæſt. 27. diſp. 3. ſect. 5. v. Secūdum fundamentum.*

(*z*) *Lib. 6. revel. S. Brigittæ cap. 55. in not.*

19 Ferdinandus Salazarius, non Gerſonius, vt quidam referunt. (*aa*) *In cognitione eorum, quæ ad Deiparam ſpectant, Eccleſiam maiores in dies progreſſus feciſſe, mihi compertum eſt. Conſtat enim, antiquitatem multa Virginis encomia, aut prorſus ignoraſſe, aut minùs rectè caluiſſe, quæ hodie Eccleſia, nova luce perfuſſa, piè amplectitur & veneratur: ita vt putem, id ſibi ipſi Virginem divinaſſe, cùm in domo Zachariæ ita cecinit. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod quidem ita accipiendum eſt, vt ſuccedentes generationes, non modò acceptas à prioribus laudes Virginis celebrarent, ſed etiam illas novis acceſſionibus augerent, & cumularent.* Idem Author, vt ampliorem exponat cognitionem, quam Eccleſia in dies habet de Mariæ dignitate, & excellentia, pulchre inflectit Salomonem de ipſa Deipara cum admiratione dicentem. *Quæ eſt iſta quæ progreditur ſicut Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Et variè textu expenſo, ita ſcopo tandem accomodat, (*bb*) *Itaque ſplendoris & gloriæ Marianæ notitiam, & cognitionem cum ipſa Eccleſiæ luce excreviſſe, non aliter dicimus, quàm ſi per ſucceſſivas vices Lucifer in Lunam, & Luna in Solem vertatur.*

(*aa*) *De Imm. Concept. cap. 37.*

(*bb*) *Ibidē.*

20 Et inferiùs. (*cc*) *Quæ* (Maria) *in Eccleſiæ naſcentis initio primis illis Patribus ita ſe viſendam præbuit, vt magnam ſuæ pulchritudinis partem illis tunc nox ipſa eriperet: quæ, etſi aliquali luce*

(*cc*) *Ibidē.*

iam tunc irradiata fuerat, nondum tamen eam aperta rerum divinarum cognitio expulerat: magnam quoque partem velum celaret, quo vel ipſi Evangeliſtæ Mariæ laudes obducendas curarunt, vt eas in poſteriora ſæcula Deo retegendas differrent. Quapropter tunc ſplendor illius Auroræ ſimilis apparuit, parcus admodum & ſubfuſcus: ſubinde vero, vbi Eccleſia adolevit, & lux illi clarior cognitionis affulſit, Mariæ quoque decor ac ſpecies magis ſeſe prodidit: adhuc tamen ſub velo, nec clarè ſatis, nec apertè, ita vt ſplendor illius Lunæ ſplendoris æmulus videretur, clarior quidem quàm priùs, ſed non omnino illuſtris & conſpicuus. Tandem verò ſub Eccleſiæ finem, cùm maior & ſplendidior lux cognitionis Dei poſteriores homines ad diē tranſtulit, Mariæ pulchritudo retecto velo tantopere emicuit, vt Sole ipſo candidior, atque luculentior viſa fuerit. Et ſanè quiſquis Patres evolverit, & attentius viderit ea incrementa, quibus eius gloria ſenſim per omnia ſæcula aucta fuerit, facile agnoſcet quàm aptè locus ille Salomonis iuxta præmiſſos ſenſus in Virginem quadret.

21 Denique. Eòdem incumbit teſtimonium Ioannis Antonij Velazquij num. 14. relatum, & præſertim reſtitutis verbis ibidem ſuppreſſis. (dd) *Omninò affirmabimus de Maria, fontis in modum iugiter ſcatentes habere divitias, quæ à multis effodientium manibus nunquam conſumentur, ſed potiùs indeſinenter auctæ multiplicabuntur; vt quamvis ante nos de ipſius excellentiſſima dignitate, & puritate multi multa dixerint, quam multi modò multa dicunt, quàm multi poſt nos multa dicturi ſunt. Non eſt enim ſenſibilis hic theſaurus, &c.*

(dd) *Vbi ſuprà.*

22 Vtriuſque principij deditis comprobationibus præluxit congruentiſsima Gregorij Magni doctrina, iam in ipſis non ſemel indicata: nempè, quod Deus non ſimul, ſed gradatim fideles, Eccleſiamque illuminat; ſuccedentibus temporibus reſpondens novis, ac novis lucis acceſsionibus: eaquepropter Eccleſiæ à quampluribus aptatur textus Salomonis. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Favet etiam ingenium naturæ, quàm non deſtruunt, ſed perficiunt ſupernaturalia, & ſecundum regularem providentiam vt plurimùm imitantur: in naturalibus enim non ſtatim omnia erumpunt, ſed pedetentim, & lento fluxu natura plura, & plura noviter effert. Quare, concludit Magnus Gregorius, (ee) *quantò mundus ad extremum ducitur, tantò nobis æternæ ſcientiæ aditus largiùs aperitur.* Hæc igitur, adiunctis immenſa copia gratiarum, & dotum SS. Virginis, necnon teneri-

(ee) *Hom. 16. in Ezechielem.*

tenerrima ipſius erga fideles affectione, mirè concludunt rem noſtram: tametſi nanque plura iam revelata ſint præcedentibus ætatibus circa perfectiones SS. Virginis, delituere adhuc plura meritò reponenda, ſaltem ex parte, inter à Deo vſque ad mundi interitum paulatim viatoribus reſeranda: vt ita poſteriora ſæcula novis de SS. Virgine illuminationibus perfruantur, ſicut retroacta ſimilibus non caruerunt.

23 Modò conſtruo hunc ſyllogiſmum ex iactis doctrinis. Nō eſt dignum Cenſura affirmare, quod Deus anterioribus ætatibus multa de SS. Virgine revelavit, multis aliis de ipſâ tunc ſimul conſignatis, & abſconditis; ſed nec eſt dignum Cenſura aſſerere, quod ſuccedentibus, & poſtventuris ætatibus adusque mundi conſummationem plura Deus pedetentim reteget, & manifeſtabit ex illis, quæ de SS. Virgine præcedentibus ætatibus obducta, & tecta retinuit: ergo doctrina Venerab. Authoris non eſt digna Cenſura, quatenùs multa effert de SS. Virgine revelata, præeuntibus licèt ſæculis abſcondita. Maior, & minor conſtant ex teſtimonijs in vtriuſque principij comprobationem congeſtis. Conſequentia eſt manifeſta. Vndè liquet, nova de Virgine Maria revelari non tàm novum eſſe dicendum, quàm perantiquum, & omnia ſæcula pervadens. Quorſum ergo Cenſuræ Pariſienſium? Quid præſtant? Nihil profectò aliud, quàm ſanā Venerab. Abbatiſſæ doctrinā falſis, atque cōmentitiis criminibus obruere: quod eſt *furoris indiciū*; vt verbis loquar Origenis, (ff) cum potiùs debuiſſet vnuſquiſque Cenſorum *rem propoſitam examinare candidè, & quantum fieri poteſt, nihil alienum ab ea dicere*; hoc quod totum fieri potuit, & debuit quidem. Si autem Cenſores nō damnant prædictam Venerab. Authoris doctrinam, quid condemnant? Quid ipſi obiiciunt?

(ff) *In calce lib. 1. adv. Celſum.*

§. III.

RESPONSA QVÆDAM PROFLIGANTVR.

24 DIcunt primò, ſic refertur (a) in Cenſura Cenſuræ, *magnæ arrogantiæ eſſe, Monialem illam gloriari, quòd revelata ſint ipſi grandia myſteria, primis fidelibus non manifeſtata.* Apage voces has Venerab. Abbatiſſæ, Deoque iniurioſas. *Ergo quod nefas eſt dicere*, verba Anſberti (b) accōmodo, *Spiritus Sanctus Omnipotentiam amiſit, qui varietati temporum ſubiacere cœpit; cum ei iſtis die-*

(a) *Artic. 2. fol. 22. v. Magnæ arrogātiæ.*
(b) *In Epiſt ad Steph. Papam.*

diebus agere non licet, quod eum per Sanctos in præcedentibus feciſſe, nullus fidelium dubitavit? Vi conſequentiæ coguntur id concedere Cenſores, qui Spiritui Sancto imponere præſumunt legem nihil grande, & excelſum manifeſtandi Venerab. Abbatiſſæ, quod naſcẽtis Eccleſiæ fidelibus non declaraverit. Sentiamus equidem, quòd *totius Eccleſiæ libertas*, Anſbertus quoque loquitur, (c) *talis hucuſque permanſit, vt vnuſquiſque, prout deſuper accepiſſet, ſine alterius controverſia volumina conderet, nec ſe damnatũ alius ab alio ſentiret, &c. ne ſcilicèt Spiritum Sanctum, qui vnicuique, prout vult, dona diſtribuit, humano imperio, aliquis ſubiacere putaret. DAMNANDVS ITAQVE CENSETVR, QVISQVIS HANC LIBERTATEM SPIRITVS ABOLERE CONATVR.* Nunquam enim abbreviata eſt manus Domini, quin novos ſibi diſcipulos indeſinẽter faciat, qui ab ipſo de grandibus edocti, & eruditi, ſuper alios, imò, & ſuper docentes ſe intelligant.

(c) *Idem ibid.*

25 Neque ideò licet turpe arrogantiæ dedecus illis impingere; vt in ſimili præmonuit Ambroſius (d) ſcitè perquirens, quomodo modeſtiſsimus David intra humilitatis, & modeſtiæ metas dicere potuerit, ſuper omnes docentes ſe, & ſuper homines ætate provectiores intellexiſſe? Videtur quidem inconveniens verecundiæ prophetali vſurpatio huiuſmodi, eò quòd præſumpſerit dicere, ſuper omnes docentes ſe intellexiſſe, cum vel Moyſes legem acceperit, & populo inſtituta tradiderit; Aaron Sacerdotalem docuerit diſciplinam, Ieſus Navê ſignificaverit quomodo circumciſio poſſet iterari, &c. Nodum ſub hac ſpecie propoſitum diſſoluit perbellè, & graviter Ambroſius ipſe. *Videretur*, inquit, *incongrua præſumptio, niſi præmiſiſſet ſuperiora, quibus non immeritò, ſuper docentes ſe intellexiſſe, comprobaret. Debuit hanc aſſumere confidentiam, qui docebatur à Domino, & mandatum, quo docebatur, Domini erat, & ipſe Dominus, qui docebat.* Vndè concludit S. Doctor; *meritò ſuper omnes intellexit, quem docebat ipſa ſapientia* Pariter reſpondeo in gratiam Venerab. Abbatiſſæ. Debuit certè abſque humilitatis diſpendio aſſumere confidentiam de hoc, quod ſibi Deus revelaverat grandia, & alta, prioribus Eccleſiæ temporibus abſcondita: debuit, inquam, id facere Venerab Mater, quæ iam præmiſerat, ſe à Domino edoceri, & quidem de hoc ipſo ab eodem illuminari, quod ſibi revelabat myſteria alta, & excelſa antea fidelibus non aperta, præcipiebatque, vt ipſa ſcriptis mandaret.

(d) *Super Pſal. 118.*

26 Cuius veritatis tot fermè advoco teſtes, quot lineæ occur-

currunt in opere Venerab. Authoris; hoc tamen præſento teſtimonium, quod proſtat num. 10. introductionis ad primam partem eiuſdem operis, vbi inducitur Deus, ita alloquens eandem Venerab. Authorem. *Sponſa mea: plura myſteria Matris meæ, & Sanctorum, manifeſta ſunt Eccleſiæ militanti, ſed multa adhuc contecta ſuperſunt, præſertim interna, ac ſecreta, quæ reſerare volo, & à te conſcribi, prout fueris edocta, & præcipuè à Puriſſima Maria. Ego tibi patefaciam, & oſtendam illa; quæquidem iuxta occulta ſapientiæ meæ iudicia conſignata ſervavi: quoniam nondum advenerat tempus conveniens, & opportunum providentiæ meæ: advenit iam, & volo, vt illa conſcribas. Obediens eſto.* Hæc planè, & legitimè ex idiomate Hiſpano tranſtuli.

27 Iterum (vt omnia percurram) adduco S. Ambroſium, (*e*) qui ſuper verba Pauli: *Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Quod ſi alij revelatum fuerit ſedenti, prior taceat*: affirmans, Apoſtolum aluſiſſe ad morem in ſynagogis circa ſubſellia obſervatum, ſubiungit. *Hæc traditio ſynagogæ eſt, quam vult Paulus nos ſectari, vt ſeniores dignitate diſputent ſedentes in cathedris, ſequentes in ſubſellijs, noviſſimi in pavimento ſupra mattas, quibus, ſi revelatum fuerit, dandum locum præcipit, nec deſpiciendos, quia membra corporis ſunt.* Ex quibus videris, poſſe aliquando de rebus ſupernis aliqua revelari inferioribus, & in pavimento ſedentibus, non revelata ſuperioribus, atque cathedras, & ſubſellia occupantibus; ac proinde nihil obſtare quominùs Venerab. Abbatiſſæ pauperi, & humili mulieri, & ideò non in cathedris, aut Eccleſiæ ſubſellijs, ſed infimo loco, & ſuper pavimentum ſedenti, revelaverit Deus magna, & mira Doctoribus, ac Magiſtris antea abſcondita; quinimò exinde teſtimonia Domini credibilia facta ſunt nimis, vt ſatis indicat eadem Mater Venerab. verbis ſtatim tranſcribendis, & alijs in locis.

(*e*) *In comm͂et. Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 14. v. 29.*

28 Quod de gloriabundo ſpiritu calumnioſè infertur Venerab. Authori, impatiens audio: gloriatur quidem ipſa, conſcia verò Pauli doctrinæ, minimè in ſe, tantumque in Domino gloriatur de revelationibus ſibi factis, ſequuta exemplum eiuſdem Apoſtoli, in non diſpari omnino argumento (*f*) ſic loquentis. *Scio huiuſmodi hominem (ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit) quoniam raptus eſt in Paradiſum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiuſmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, &c.* Quæ verba his alijs interpretatur, & exponit Angeli-

(*f*) *2. Corinth. cap. 12. à v. 3.*

(g) *In cōment. ad eundem locum.*

cus Magiſter. (g) *Sciendum, quod in homine duo poſſunt conſiderari, ſcilicèt donum Dei, & humana conditio. Si ergo aliquis gloriatur in aliquo dono Dei, vt à Deo accepto, illa eſt bona gloria: quia ſic in Domino gloriatur. Sed ſi gloriatur de illo dono, ſicut à ſe habito, tunc mala eſt gloriatio huiuſmodi, 1. Corinth. 4. Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti quid gloriaris, quaſi non acceperis? Dicit ergo Apoſtolus ſecundum hoc: pro huiuſmodi, ſcilicèt viſionibus, & donis Dei gloriabor: pro me autem nihil gloriabor.*

29 Audiatur modò Venerab. Abbatiſſa, & prætermiſsis pluribus, quæ ſuperſunt, ſatis ſint verba, à quibus initium ſui operis ducit. *Confiteor,* inquit, *& magnifico te, Rex altiſsime, qui pro tua dignatione, & excelſa maieſtate, ſublimia hæc myſteria abſcondiſti à Sapientibus, ac Magiſtris, & revelaſti ea mihi ancillæ tuæ, minori quidem, atque inutiliori omnibus tuæ Eccleſiæ; vt mirabiliùs tanquam Omnipotens agnoſcaris, & vt Author huius operis; eòque magis, quò inſtrumentum vilius, ac debilius eſt.* Quid hoc eſt, niſi Venerab. Abbatiſſam in Domino, non in ſe, gloriari pro huiuſmodi revelationibus, ac cum Regio Pſalte canere, (h) non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam: cumque viginti quatuor Senioribus conclamare, (i) ſedenti in throno, & Agno ſit benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum? Quid enim hoc aliud eſt? Cur ergo naſuti Cenſores piiſsimæ Matri inurunt tetras illas maculas arrogantiæ, & turpis gloriæ? Audiant illam ſibi ſecuram, ac lætam occinentem, atque ipſis reſpondentem verbis Auguſtini, (k) de ſe calumnias, & criminationes repellentis. *Si in eis, quibus me criminantur, teſtimonium conſcientiæ meæ non ſtat contra me in conſpectu Dei, quo nullus oculus mortalis intenditur: non ſolum contriſtari non debeo, verùm etiam gaudere, & exultare: quia merces mea multa eſt in cœlis. NEQVE ENIM INTVENDVM EST, QVAM SIT AMARVM, SED QVAM FALSVM, QVOD AVDIO, ET QVAM VERAX, PRO CVIVS NOMINE HÆC AVDIO.*

(h) *Pſalm.* 113.
(i) *Apocalipſ.* 5.
(k) *Lib.* 3. *cont. lit. Petil. cap.* 6.

30 Liquet iam, quæ Pariſienſes hactenus obiecere contra Venerab. Abbatiſſæ ſcripta, prorſus eſſe contemnenda: veruntamen vt nulla via non medear eorum infirmitatibus, hoc vnum exemplum referam, quippè pharmacum potentiſsimum ad hos, & ſimiles eradicandos morbos. Exorta eſt quondàm diſputatio inter Monachum magnæ authoritatis, & Mathiam à Suetia, qui S. Brigittæ à confeſsionibus erat; priore ineptis argumentis contendente

te

te, creditu indignum Brigittæ Deum conceſſiſſe donum illud, quod narrabatur, revelationis ſuorum ſecretorum; poſteriore verò contrà certante, multis pro ſe congeſtis validiſsimis fundamentis: cùmque ita res vtrinque ageretur, Brigitta ſe orationi commiſit, & rapta in ſpiritum audiit Chriſtum Dominum, his verbis loquẽtem. (*l*) *Multorum eſt iſta periculoſa infirmitas, quod de antidoto infirmantur: ideò non eſt eis dandum, ne graviùs infirmentur. Ego autem ſum medicina infirmorum, & veritas errantium, ſed iſte Religioſus loquax non deſiderat medicinam: quia ſtercus ſcientiæ vanitatis eſt in corde eius. Ideò dabo ei vnam alapam cum manu mea, & audietur ab omnibus, quòd ego ſum Deus non loquax, ſed efficax, & metuendus.* *Hic idem Religioſus*, proſequitur Brigitta, *poſt hæc tribulatione humiliatus eſt, & paralyticus mortuus eſt.* Ergo Pariſienſes criminatores alieno diſcite malo, & vtinam perpendatis, quod Deus ſuis ſæpe parvulis arcana revelat, quæ antea, vel ſapientibus non reſeraverat.

(*l*) *Lib.6. revelat. cap. 90.*

31 Dicent forſan ſecundò (quoàd coniectare poſſum ex relatis in Cenſura Cenſuræ (*m*)) ſuſtineri non poſſe, *quod ea, quæ dicuntur à Venerab. Authore primis fidelibus non manifeſtata, tanquã mira, & ſublimia myſteria proponantur.* Verùm evaſio hæc ſtulta prorſus eſt. Tum: quia plurima in Religione Chriſtiana meritò æſtimantur alta, mira, atque ſublimia, quæ naſcentis Eccleſiæ temporibus ignorabantur à fidelibus. Tum: quia Rupertus, & Sanctus Thomas à Villanova, vt ex ſuperiùs tranſcriptis conſtat, multa de SS. Virgine, eaque excelſa, & ſublimia, ſuis ſæculis dicunt incognita, quæ noſtro hoc tempore Venerabilis Author expreſsè, & dilucidè tradit. Tandem: quia Venerab. Author plura de SS. Virgine deſcribit, antiquitus fidelibus abſcondita, vt oſtenſum relinquitur, & evidentius fiet conſulenti libros eiuſdem Authoris; illa autem negare mira eſſe, magna, atque ſublimia, putaverim, non fieri abſque iniuria SS. Virginis Mariæ. Quare à Cenſoribus ediſci exopto, & præſenti negotio aptari, quod ediſſerens de Virgine Deipara, eiuſque Aſſumptione, admonuit (*n*) Andræas Cretenſis. *Celebrandum*, inquit, *eſt donum, & non obruendum oblivione, &c. Non enim quoniam à nonnullis, qui nos præceſſerunt, non fuit cognitum, iam etiam eſt tacendum, ſed quòd non omninò fugit, id eſt ſanctè prædicandum.*

(*m*) *Artic. 2. fol. 19. v. Omnimode, &c.*

(*n*) *In Encomio de Deiparæ dormitione.*

32 Si demùm adiiciant Cenſores, ſe duntaxat configere rationes, quibus ait Venerab. Abbatiſſa, Deum fuiſſe permotum, ne

huiuſ-

huiuſmodi myſteria SS. Virginis in primitiva Eccleſia manifeſtaret; ſubiicio alteram propoſitionem ad Cenſuram profligandam.

§. IV.

DOCTRINA VENERAB. AVTHORIS NVLLA EST digna Cenſura, quatenùs cauſas refert, ob quas ait, Deum non manifeſtaſſe hæc myſteria primitivæ Eccleſiæ.

33 SVmma rationum eſt: occaſione manifeſtationis omnium horum myſteriorum SS. Virginis potuiſſe fideles diſtrahi, & admiratione, vel dubitatione averti ab iis, quæ ad firmanda Religionis Chriſtianæ fundamenta pertinebant. Hoc autem, ſpectatis temporum, & rerum circunſtantijs, prudentiſsimè, ac rationabiliter dicitur: ſiquidem primitiva Eccleſia Gentilibus, Iudæiſque recèns converſis, coagmentabatur: Gentiles, utpote novis Deitatibus ſibi conſtituendis aſſuefacti, vix ſe compeſcere potuiſſent, quin Sanctiſſ. Virginem velut alteram colerent Deitatem, ſcrutantes tot arcana, totque admiranda, quot in hac narrantur hiſtoria: eaque ipſa vt crederent, vix adduci potuiſſent Iudæi, qui nihil, niſi vulgare, in Maria obſervaverant.

34 Profectò, de Eccleſia dicitur (*a*) in Canticis. *Soror noſtra parva, & vbera non habet.* At quomodo vbera non habet, ſi de ipſa ibidem ſcribitur. (*b*) *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli, & vbera tua ſicut botri?* Optimè reſpondet (*c*) Ioannes à Sylveira: quia prædicta verba, iuxta communiorem ſenſum, intelliguntur de Eccleſia in diverſis ſtatibus: ea enim in ſui exordio dicitur, vbera non habere *ad effundendam magnam ſuæ lactis copiam ob debilitatem audientium.* Sed poſtea, Spiritu Sancto cooperante, cùm adolevit, & vires comparavit, iam vbera habet ad copia ſuæ lacteæ doctrinæ totum mundum fœcundandum: ergo valde conſonè, ea ſpectata debilitate audientium, potuit Deus contineri, ne naſcentis Eccleſiæ populis omnia hæc SS. Virginis myſteria manifeſtaret: quippè, aut forſan ipſa portare non potuiſſent, aut nimiùm illis penetrandis, ac exponendis intenti, myſteria Chriſti, aliaque ad fundandam legem gratiæ neceſſaria, oblivioni tradidiſſent: ergo non eſt cur Cenſura configatur doctrina Venerab. Authoris aſſerentis, Deum re ip-

(*a*) *Cap.* 8. *v.* 8.
(*b*) *Cap.* 7. *v.* 3. & 8.
(*c*) *Opuſc.* 4. *quæſt.* 12 *de Immaculata Virginis Concept. num.* 82.

ipſa,& de facto hæc ſpectaſſe, ne prædicta myſteria initio Eccleſiæ aperiret: cùm ex oppoſito nihil conſideratione dignum vrgeat.

35 Accedunt graviſsimæ comprobationes in auctiorem Venerab.Authoris doctrinæ confirmationem. Fulbertus Carnotenſis ita (*d*) loquitur. *Si qui ſolicita mente,& ſtudioſa inveſtigatione,perquirant, cur Sanctorum præcedentium memoriæ huius præfatæ Virginis temporanea initia ſuis fidelibus ſequacibus enucleatim non exornaverunt, vt ad omnium notitiam vulgarent: noverint, non ignaros eos extitiſſe hæreſeos,quæ pro inſigni,& admirādo huius ſacræ puellę præconio exortura erat,& ob id,ſi quid ex eius ortu protulerunt,ſagaci induſtria celandum æmulis,& infidelibus decreverunt, ne inveniret cæca garrulitas perfidorum, vnde maternum ſinum Eccleſiæ verberaret ſua multiplici fallacia. Nam, & hoc , quod levi, & ſubtili relatione , aut forſitan conſcriptione, de Matris Domini Nativitate perceperunt,ita verſuta,& argumentoſa fallacia deturparunt,vt nec vera deinceps à quibuſdā Eccleſiaſticis Doctoribus recitentur, quamvis minimè repudientur.*

(*d*) *Ser. de Ortu Almæ Virg. Mariæ.*

36 Meminit S. Doctor (ſi Illuſtriſsimo Ferdinando Salazario (*e*) creditur) perantiqui illius erroris, qui Chriſtum Dominum non vero, ſed vmbratili, ac phantaſtico corpore, præditum aſſeverans,aiebat,etiam Mariam,ex qua natus ferebatur, non fœminam,ſed Angelum,fœminea indutum forma, extitiſſe: quam vt hæreſim, iam à Paulo (*f*) iugulatam illo verbo : *Factum ex muliere*: Eccleſiæ veteres Patres omnino reſecarent,pauca de admirandis Virginis initijs , eaque celanda, dixerunt ; ne ſi Hæretici illi Mariam tot ab initio ſingularibus prærogativis, tantiſque dotibus ſupra communem humanæ naturæ , imò & gratiæ curſum prædicatam audirent , inde perperam ſubinferrent , illam ignoraſſe humanæ originis conditionem. Potiori igitur iure de Deo, qui quidem futura omnia pleniſsimè novit , dici poteſt , noluiſſe initio Eccleſiæ detegere hominibus myſteria SS. Virginis, modò Abbatiſſæ de Agreda revelata : quia occaſione manifeſtationis tunc temporis irrepſiſſent errores , aliave damna naſcentem Eccleſiam , ac Religionem exagitantia , & ipſius incremento nimis obſtantia. Conſentit in idem (*g*) advocatus Salazarius.

(*e*) *Vbi ſuprà,nu.*4.

(*f*) *Ad Galatas* 4. *v.* 4.

(*g*) *Ibidē.*

37 S.Brigitta inducit (*h*) SS. Virginem ſic loquentem de ſuæ Aſſumptionis manifeſtatione. *Quod verò Aſſumptio mea non multis cognita fuit, nec prædicata à pluribus,hoc voluit Deus, qui eſt filius meus, vt priùs infigeretur cordibus hominum credulitas Aſcenſionis ſuæ:*

(*h*) *Lib.6. revelat. cap.*61.

ſuæ: quia corda hominũ difficilia, & dura erant ad credendum Aſcẽſionem eius: quantò magis, ſi prædicata fuiſſet ſtatim in initio Fidei Aſſumptio mea. Conſentit Amadeus Franciſcanus, (*i*) de eodem tempore inquiens. *Non fuit tempus prædicandi gloriam Matris, quando vix ſuaderi poterat gloria Filij.*

(*i*) *In ſua Apocalip.*

38 Conſalvus Durantus diſertiſsimis verbis (*k*) idem docet. *Quod ergo, ait, Mater Dei ab originali peccato fuerit præſervata, aut in cœlos anima corporeque aſſumpta, non omnibus fuit notum; ſi enim hoc, & publicè, & palam fuiſſet pronunciatum, & tunc maximè, quando fidei fundamenta nondum ſatis firmè, & conſtanter iacta fuerant, contingere potuiſſet; vt devotione, quæ eximia eſt, ſemperque fuit Chriſtianorum omnium erga tantam Virginem, adeò aliqui afficerentur, vt ipſam non vt creaturam, ſed velut Creatorem, non vt Dei Genitricem, ſed vt Deum adoraſſent.* Et paucis interiectis proſequitur. *Et ſanè Dionyſius Areopagita, cùm ad Mariam veniſſet, & corporis pulchritudinem, morum ſanctitatem, & neſcio quem in ea divinum fulgorem ſpectaſſet, hoc dixiſſe fertur: niſi mihi de Filio tuo fuiſſet revelatum, quod Deus eſſet, facilè crederem alium præter te non eſſe Deum.* Et tandem ſubiungit. *Quo factum eſſe cenſeo, vt propter EXIMIA, ET INNVMERA PRIVILEGIA, & maximè ob originalis peccati immunitatem, quibus, quantum puræ creaturæ licet, ad Chriſti Domini eius Filij acceſsit dignitatem; noluerit idem Filius, conſulens imbecillitatis, ac fragilitatis noſtræ ſtatui, niſi longo temporis curſu votum hoc fieri, & publicè omnibus prædicari, vt fideles tutiùs cognoſcerent, &c.* Quæ omnia, eſtò præcipuè videantur dicta ob Conceptionem, & Aſſumptionem Virginis, eodem iure applicari valent cæteris eiuſdem myſterijs, primis Eccleſiæ temporibus non manifeſtatis, ſed poſtea revelatis, aut revelandis; imò & mens præfati Authoris ea complectitur, vt ſatis indicant poſtrema verba, & alia ex ipſo tradita num. 18. poſt quæ modò tranſcripta dedit.

(*k*) *Vbi ſuprà.*

39 P. Franciſcus Soarius, explicans cauſam, ob quam in novo teſtamento pauca verba de SS. Virgine ſcripta ſunt, (*l*) hæc habet. *Quoniam tota Evangeliſtarum, & Apoſtolorum intentio ad Chriſtum referebatur: quia illo cognito, eiuſque fide ſatis fundata, non poterat Matris eius excellentia, aut ignorari, aut occultari. In illis verò paucis verbis, eiſque graviſſimis, quædam præcipua capita indicata ſunt, quæ omnia, quæ de Virgini dici poſſunt, virtute continent.* Et (*m*) iterum. *Non enim aſſumpſerunt* (Evangeliſtæ) *onus ſcribendi*

(*l*) *Præfat. tom. 2. in 3. p.*

(*m*) *3. p. q. 49. diſp. 49. ſect. 1. v. Optimè Anſelmus.*

Digitized by Google

bendi omnia, quæ Chriſtus geſſit, neque omnia ſingularia officia, quæ Matri exhibuit, ſed ea tantum, quæ ad myſteria fidei confirmanda, & referenda ſufficere viſa ſunt. His ſatis denotat Graviſsimus Author, non oportuiſſe cum erectione Chriſtianæ Religionis omnia SS. Virginis encomia prædicari; quippè huiuſmodi manifeſtatio, alioqui tunc non neceſſaria ſtabiliendis fidei, & novæ legi, eidem ſcopo quodammodò impedimento eſſe poterat, propter imbecillitatem nempè, ac debilitatem audientium, vt ſupra expendi.

40 Certè quidem, docente Eximio ipſo Doctore, (n) *non ſine ſingulari Spiritus Sancti conſilio factum eſt, vt nonnulla Virginis myſteria, & privilegia, nec ſcripta ſint, nec certa traditione recepta, vt occaſio daretur fidelibus ampliùs meditandi, & recogitandi hæc myſteria, loquendique, ac ſcribendi de Virgine, ex principiis traditis plura ratiocinando, & colligendo.* Si ergo Deus, hac pia exercitatione allectus, ad poſteriora vſque tempora diſtulit manifeſtationem illorum Virginis myſteriorum, potiori iure potuit, ideò non palàm facere primitivæ Eccleſiæ ea, quibuſde loquitur Venerab. Abbatiſſa de Agreda: quòd occaſione huius manifeſtationis, æſtimatis temporis, & credentium circunſtantiis, experta fuiſſent mala, quæ refert, aut ſaltem ipſorum inſtaſſet periculum.

(n) *Præfat. eiuſd. tom. 2. v. Quarto.*

41 Hadrianus Liræus, Antimarianos expugnans, (o) præcedentibus conſonat teſtimonijs. *De qua* (Virgine Maria) *multa,* inquit, *in ſanctioribus paginis, vel ideò prætermiſſa non neſciunt, etiam hi, qui abſque ære lavantur, vt Chriſti Salvatoris virtute, divinaque natura antè confirmatis: deinde, poſtquàm imber perſecutionum iam abiiſſet, flores Virginei decoris, Spiritus Sancti aura eos educante, apparerent.* Quibus non obſcurè ſignificatur, multa, eaque inſignia, Virginis ornamenta, idcircò Deum non ſimul, ſed poſt validam, & confirmatam iam fidem Salvatoris Noſtri Ieſu Chriſti reſeraſſe; vt hac via placidè apparerent, & abſque Fidei diſpendio ſuſciperentur. Colophonem addit communis ſenſus DD, qui quidem docent, Deum, vtique inter alia penſando capacitatem Fidelium, ſenſim, & non ſimul illuminare Eccleſiam: quoniam, ſicut nocte cœnæ multa Apoſtolis celavit Chriſtus, (p) quæ tunc portare non poterant, & poſtea, adveniente Spiritu Sancto, perceperunt, ſic & aliquibus Eccleſiæ ſæculis plura non manifeſtantur, quæ aliis revelantur: eòquòd iſtorum, & non illorum ſæculorum, Fideles, retectis illis veritatibus amplexandis, apti, & idonei, à Deo iudicati ſunt.

(o) *Proœm. Triſagij Mariani. Intervallo 6.*

(p) *Ioann. 16. v. 12. & 13.*

42 Hæc cum ita ſint, quo iure Pariſienſes Iudices, Cenſoria relegatione, publico viduant honore pronunciatum Venerab. Abbatiſſæ? Sanè huc facit celebre Ammiani (q) dictum: *Quis innocens eſſe poterit, ſi accuſare ſufficiat?* Quippè temeritatis, probroſæque novitatis, accuſant Venerab. Authoris doctrinam, ſeipſa defenſam, & ampliſsimis, quæ dedi, comprobationibus largè confirmatam. Quid ſuffixione dignum in textu illo: *Non manifeſtavi hæc in primitiva Eccleſia: quia continent myſteria tam alta, tamque ſublimia, vt Fideles illis penetrandis, & admirandis, intenti fuiſſent, cùm neceſſe erat, &c. Et quanquam id incompoſſibile non fuiſſet, attamen ingenium humanum, oppletum ignorantia, pati poterat nonnihil turbationis, & dubitationis, &c?* Nihil revera. Quamobrem Cenſores longè abiere à laude, quam primam nominat Auguſtinus, (r) atque pariter à ſecunda abibunt, niſi latam revocent ſententiam. *Sententiam falſam,* ait Doctor Sanctiſſ. *nunquam tenere, prima laus eſt: ſecunda, mutare.* Quod aliter (s) dixit Caſsianus. *Primum eſt, errorem penitùs non incurrere: ſecundum, benè repudiare.*

(q) *Lib.* 18

(r) *Lib.* 3. *cõtra Creſco. cap.* 3.

(s) *Lib.* 1. *de Incarn. cap.* 4.

43 Inſtare poterunt Cenſores. Rationes inductæ ab Authore, ſi momenti ſunt, vrgentiùs moviſſent Deum, ne ab initio novæ legis, & in primitiva Eccleſia, manifeſtaret Virginis SS. Maternitatem, prærogativam adeò excelſam, & ſublimem, vt ipſi, iuxta pervulgatam Theologiam, admetiendæ ſint reliquæ eiuſdem Virginis ſpeciales perfectiones; ſed nihilominùs Maternitas initio Eccleſiæ cum Evangelio, & in ipſo iam prædicata fuit: ergo rationes illæ falſæ ſunt, & nullo nixæ fundamento.

44 Reſpondeo. Inſtantia redarguitur teſtimonijs nuper advocatis. Præterea: Fides Maternitatis eo tempore iam neceſſaria erat: tum, vt Fideles, invaleſcente Eccleſia, & fide, inde quaſi ex fonte, ac radice, ſenſim eruerent plura Virgine Maria digniſsima encomia, pro temporum ſucceſsione, iuxta divinam præordinationem, opportune cognoſcenda: tum, ad fidem Incarnationis, & Humanitatis Chriſti, vtque faciliùs ipſe crederetur verus homo, veroque corpore conſtans, ſicut cæteri homines: & quamvis magni à Fidelibus habita ſit Virgo Maria propter excellentiam Maternitatis; ea verò primis Eccleſiæ diebus rudi Minerva propoſita, & cognita, abſconditis eiuſdem perfectionum iuſtiſsimis quampluribus ſequelis, non ſic imminebant incommoda, de quibus loquitur Venerab. Author, vtî inſtaſſent, prædictis perfectionibus dilucidè, & explicatè propoſitis eodem tempore; quas quidem noſtro dignatus

Digitized by Google

natus eſt Dominus ipſi Authori expreſsè revelare. Sic Beatus Thomas à Villanova, non ignorans Maternitatem Virginis in Evangelio, & cum eo prædicatam, nec ipſius excellentiam, cum cauſam inquireret, ob quam eadem Virgo nondum Fidelibus palàm fecerat dialogos, & colloquia ſe inter, & puerum Ieſum habita: reſpondit,(t) quod *non decuit Margaritas pratioſas omnibus palam fieri,& ſacramenta cæleſtia, quæ non licet homini loqui, coram omnibus publicari, ac propterea non edita ſunt. Quæ enim nobis edidit Salvatorem, quando ſi deceret, vtilem populo celaret Sermonem?* (t) *Vbi ſuprà.*

45 Præſparſas demùm comprobationes confirmet, & illuſtret diſcurſus ex Sancti Thomæ doctrina deductus. Ioannes Baptiſta, (u) dum vixit, nullum patravit miraculum, vt ex verbis Evangelij, *Ioannes quidem ſignum fecit nullum*, communis DD. ſenſus probat: huius autem congruentem quærens rationem Angelicus Magiſter, (x) reſpondet. *Si Ioannes ſigna feciſſet, homines ex æquo Ioanni,& Chriſto attendiſſent; & ideò vt homines principaliter Chriſto intenderent, non eſt datum Ioanni, vt faceret ſignum.* Potiori ergo iure oportuit, vt myſteria Mariæ Virginis, de quibus hìc loquitur Abbatiſſa Venerab. à Fidelium diſcuſsione in primitiva Eccleſia arcerentur, ne his examinandis, & perſpiciendis nimiùm intenti, quodammodò diſtraherentur à curis, & laboribus neceſſariis, ad fundandam,& ſtabiliendam novam legem, fidemque Chriſti, Legiſlatoris, & Eccleſiæ capitis. Tantò itaque hoc magis tunc congruebat, quantò ſublimiora ſunt inſignia Mariæ, quàm Ioannis,& honorabiliores dotes Matris Redẽptoris, quàm ipſius Præcurſoris.

(u) *Ioann. 10. v. 41.*

(x) *3. p. quæſt. 38. art. 2. ad 2.*

§. VLTIMVS.

CONFICITVR SVMMA VITIORVM, QVIBVS vtraque ſcatet Cenſura.

46 Liquet ex dictis, iniuſte Pariſienſes Cenſores confixiſſe V. Authoris doctrinam, vel ſe ipſa ſatis firmam, & vlteriùs allegatis teſtibus valide roboratam, eam incuſando falſitatis, temeritatis, prophanæque novitatis: cuius quidem qualificationis nec afferunt, nec vnquam producent firmum aliquod fundamentum, niſi putent ſufficere, ſe ita dixiſſe; id quod cæteri meritò ridebunt: quare cum moderamine inculpatæ tutelæ talibus Cenſo-

ribus aptata velim, quæ per innocuos, calumniam paſſos, dicta repreſentat (*a*) Auguſtinus. *Vos, qui nihil vultis, quàm dicere quod probare omninò non poteſtis, quid aliud quàm os veſtrum maledictione, & amaritudine plenum eſt?* Hinc notum eſt cunctis, vel medriocriter Theologis, Cenſuras incurrere Theologicas, qui eas abſque ſufficienti ratione alicui doctrinæ impingunt: ergo rubore ſuffuſi abeant Cenſores, & latibula quærant, vbi culpam deplcrent, non immemores protriti illius dicti,

(*a*) *Lib.* 2. *cont. Petilia. cap.* 14

Turpe eſt Doctori, cùm culpa redarguit ipſum.

47 Præterea. Deputatorum Cenſura gravi afflictatur ambiguitate, vt expoſui num. 6. *Hæc propoſitio*, inquiunt, cùm textus multas, & planè diverſa ſignificantes complectatur propoſitiones, quæ quidem, nec ſub dictione aliqua copulante, damnatæ apparent, niſi interderint Cenſores notare verba illa: *Et quanquàm id incompoſſibile non fuiſſet*: hac via Dei Omnipotentiam coarctantes, & de ipſa malè ſentientes. Vnde duo alia pullulaſcunt vitia: alterum, quòd Cenſura doctrinalis non eſt, cùm non ſatis conſtet, quid proſcribat: alterum verò, quòd ob eandem cauſàm quælibet pars textus, etiam ex animo non condemnata, in perverſæ doctrinæ ſuſpicionem trahitur.

48 Deinde. Dicunt, doctrinam Venerab. Authoris novitatem inducere: fateor ſiquidem nova, id eſt, antea Fidelibus non aperta, de SS. Virgine efferre; ſed inficior, novitate illa tabeſcere, ob quam dehoneſtantem novitatis Cenſuram amaverit, quæ inter notas Theologicas computatur; cùm potiùs adumbraverit laudabilem, ac pervetuſtam nova cudendi normam, innitendo nempe non minori, quàm gravi divinæ revelationis momento: quo protritæ manent, & novitatis, & temeritatis calumnioſæ accuſationes. Certè enim, quæ, prædicta revelatione tradit Venerab. Author, evenire potuerunt, & aliunde non conſtat, ſic non accidiſſe: ergo ea revelatio ex obiecto impugnari nequit, niſi priùs ſaltem infirmetur ex aliis capitibus, concernentibus ſigna veras revelationes à falſis diſcernendi: quod hactenus deſideratur.

49 Denique. Cenſura Facultatis, his fere omnibus laborans vitiis, alio irretitur minimè conticendo. Ea nempè talibus efformata eſt verbis, quibus, vt æquum erat, non omninò apertè diſtat ab impugnatione novæ cuiuſvis privatæ revelationis, alio vel titu-

lo

Digitized by Google

lo ad id non exacto, præterquàm eiuſdem revelationis novitate; quaſi abbreviata fuerit manus Domini, ne quid novum revelare poſsit. Relegatur num. 3. & 5. Qui nefarius error affinis eſt alij Socinianorum, & Deiſtarum, contendentium, omni Divino teſtimonio ſublato, naturæ dictamen duntaxat eſſe ſectandum. Quapropter Cenſores admoneo, ne ſic nova horreant, vt, amore antiquitatis nimiùm perculſi, adnumerandi veniant illis, qui inſipiéter hæc occinunt. *Si citiùs illuxiſſes ò veritas, fortè noſtros habuiſſes amplexus. QVIA SERIVS ADVENISTI, REPVLSAM PATIERE, ET NE VERITATIS QVIDEM APPELLATIONEM MEREBERE.*

ARTICVLVS IIJ.

EOdem num. 10. *Propterea Verbum homo factum dixit Diſcipulis ſuis in vltima cœna: multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò.*

CENSVRA DEPVTATORVM.

HÆc propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & Hæreticis favens, qui hac Evangelica ſententia abuſi ſunt, vt novitates, & audacias figmentorum ſuorum colorarent.

CENSVRA FACVLTATIS.

HÆ propoſitiones, quibus Author aſſerit, veritates ſibi fuiſſe revelatas, ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis incognitas, imò & de ipſarum numero, quas Apoſtoli ipſi portare non poterant, &c. Falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ, fanaticis, & Hæreticis favent, ad omnes novitates viam aperiunt, &c.

DIS-

DISSERTATIO III.

CRISIM CENSVRARVM CVM EARVNDEM caſtigationibus exhibeo.

(a) *De Trinit. in argum. lib. 8.*

P*Arum eſt*, inquit (*a*) Hilarius, *ſola ea ad ſatisfactionem afferre, quæ propria ſunt: quia plerunque blandientes ſenſum fallunt dictorum noſtrorum inexploratæ aſſertiones, niſi etiam propoſitionum adverſarum demonſtratæ inanitates, fidem noſtram in eo ipſo, quod ipſæ ridiculæ eſſe arguantur, affirment.* Quod vt abundantiùs adimpleam, ab argumentis Adverſariorum incipiendũ duxi; vt illorum demonſtratis inanitatibus, ſtatim omnibus in aperto ſit, quàm irridendas, quàmque exleges tulerint Cenſuras adverſus propoſitam doctrinam Venerab. Abbatiſſæ.

§. I.

ARGVMENTVM EX S. AVGVSTINO DESVMPtum diluitur, & in Cenſores regeritur.

(b) *Tract. 96. in Ioã.*

1 PARENS Auguſtinus (*b*) ſuper verba illa Ioann. 16. v. 12. *Multa habeo vobis dicere, ſed modò portare non poteſtis*: ſcripſit. *Nunc ergo quæ iſta ſint, quæ Apoſtoli tunc portare non poterant, vultis forſitan ſcire. Sed quis Noſtrum audeat eorum ſe dicere iam capacem, quæ illi capere non valebant? Ac per hoc, nec à me expectanda ſunt, vt dicantur.* Et aliquibus interiectis iterum habet. *Sed quænam ſint iſta, quæ ipſe non dixit, temerarium eſt velle præſumere, & dicere.* Et poſt alia iterum repetit. *Quæ cùm ipſe tacuerit, quis Noſtrum dicat, iſta vel illa ſunt? Aut ſi dicere audeat, vnde probat?* Ergo Venerab. Abbatiſſa temerario auſu profert, myſteria SS. Virginis ſibi recèns revelata de numero eſſe eorum, quæ Chriſtus nocte cœnæ non dixit Apoſtolis, & ipſis dicere habuit.

En

Digitized by Google

2 En fundamentum, quo, quantùm coniectare licet, innituntur Cenſores: verùm novum non eſt, id de more ſuo eruditè adnotante Raynaudo, (c) vt quæ D. Auguſtinus aptè in loco dixit, detorqueantur ad ſenſus à D. Auguſtini mente maximè alienos. Fecit hoc Fauſtus Rhegienſis. Fecit & Claudius Taurinenſis, qui, cum omnes deſpueret SS. Patres, & nominatim de S. Hieronymo fœde obloqueretur, Sanctum tamen Auguſtinum iactabat vt ſuum. Fecit & Berengarius, cum aſſeclis, vnius fere Auguſtini authoritate ſeſe tegens. Fecit & Ioannes Vvicleffus, adeò vt à ſuis diceretur, *Ioannes Auguſtini*. Fecerunt, & tandem, vt mittam alios, Calvinus, & Ianſenius, quos ſui imitantur. Præſtiterunt ne idipſum, qui prædictæ obiectioni ſubſcribunt? Præſtiterunt profectò: & falſiloquus habear, niſi demonſtravero.

(c) *In nove libertatis Gibeuſianæ explicatione, cap. 8. nu.* 10.

3 Reſpondeo primò, Auguſtinum ſolum putaſſe temerarium, affirmare hæc, aut illa, quamvis aliàs vera, de eorum eſſe numero quæ tunc Dominus dicere noluit, ſi hoc, quod de eorum numero ſint, divino teſtimonio non etiam confirmatur. Sic enim proſequitur poſt vltimò obiecta verba. (d) *Quis eſt tam vanus, aut temerarius, qui, cùm dixerit etiam vera, quibus voluerit, quæ voluerit, ſine vllo teſtimonio Divino affirmet ea eſſe, quæ tunc Dominus dicere noluit? Quis hoc noſtrum faciat, & non maximam culpam temeritatis incurrat? In quo nec Apoſtolica excellit Authoritas. Nam profectò, ſi eorum aliquid legiſſemus in libris, Canonica authoritate firmatis, qui poſt Aſcenſionem Domini ſcripti ſunt, parum fuerat hoc legiſſe, niſi illic etiam legeretur, hoc ex eis eſſe, quæ tunc Dominus noluit Diſcipulis ſuis dicere: quia non poterant illa portare.*

(d) *Vbi ſuprà.*

4 Modò interrogo: an Venerab. Abbatiſſa myſteria SS. Virginis, quibuſde loquitur, iis connumeraverit, quæ Chriſtus Dominus habuit Diſcipulis dicere, ſed tunc noluit, abſque divino teſtimonio, vtique hoc idem revelante, quod myſteria illa de tali numero ſint? Minimè ita fecit, ſed divina illuſtratione prælucente: ſiquidem verba illa: *propterea Verbum, &c.* non vt ſua, ſed nomime Dei, & vt ab eodem ſibi revelata ſcripſit. Ab ipſo enim Deo, & Domino, qui dixerat, *non manifeſtavi hæc in primitiva Eccleſia, &c.* immediatè ſubiunctum eſt. *Et propterea Verbum homo factum, &c.* Ergo Auguſtini textus diſtortè, & in ſenſu maximè alieno ab Auguſtini mente, trahuntur contra Venerab. Antiſtiæ aſſertum, cùm ipſi potiùs omninò congruant. Quapropter quæ Guitmundus (e) Berengarianis obiiciebat, meritò, nomine mutato, in

(e) *Lib. 3. in ...*

Pari-

Digitized by Google

Pariſienſes ſugillatores retorqueo. *Si ergo vobis,* ò Pariſienſes Cenſores, *B. Auguſtinus, ita vt ſolet, clariſſimus eſt, iudicium eius ſequimini* : & ita iudicium veſtrum omnino condemnatum relinquetur.

5 Solutione hac ſatis ſuperque enervata eſt obiectio, & ſimul roborata doctrina Venerab. Authoris; nihilominùs verò non gravabor ad pleniorem rei diſcuſsionem, alteram adhibere reſponſionem. Reſpondeo ergo ſecundò: frequentiſsimè DD. de aliquibus determinare rebus, inter eas eſſe, quas Chriſtus Dominus non dixit, & dicere habebat Diſcipulis; quin temerè procedant: quia eſtò non habeant expreſſum, & omninò clarum Dei teſtimonium, quale exigebat Auguſtinus, de hoc, quod illæ ex earum numero ſint, valde tamen rationabiliter ita inferunt ex verbis Chriſti: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò* : adiunctis ſequentibus, *cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

(f) *In Ioan. cap. 16.*

6 Quæ ſic exponunt Cardinalis Toletus. (f) *Multa inquit ſunt, quæ non poteſtis portare modò: cùm autem venerit ille, nempè Paracletus, qui eſt Spiritus veritatis, docebit vos omnia, quæ dicenda ſuperſunt. Hic eſt verus ſenſus : Docebit vos omnem veritatem, nempè ea omnia manifeſtabit, quæ modò habeo dicenda, & quæ, quia portare non poteſtis modò, non dico.*

(g) *Ibidē.*

7 Et P. Maldonatus (g) explicans energiam illorum verborũ, *habeo dicere. Habere dicenda, id eſt, decreviſſe illis dicere. Sed quia ferre non poſſent, in aliud differre tempus per Spiritum Sanctum, non meliorem quidem, quàm ſe Magiſtrum, ſed commodiori tempore dicenda.* Cùmque multa pòſt à Spiritu Sancto manifeſtata, iuxta promiſsionem Chriſti, agnoſcant DD, nihil mirum ſi affirment, ea de illorum eſſe numero, quæ Chriſtus in vltima cœna noluit dicere Diſcipulis, ſed dicere habebat poſteriori tempore per Spiritum Sanctum.

(h) *Orat. 37.*

8 Ab huius ſolutionis confirmatione ſtat S. Gregorius Naziãzenus (g) hæc ſcribens. *Enimverò id, quod quibuſdam quoque aliis fortaſſe in mentem venit, ego tamen animi mei fœtum eſſe exiſtimo, ſuperioribus adiungam. Habebat quædam Salvator, quæ à Diſcipulis, licèt alioqui multiplici doctrina implerentur, tunc tamẽ portari poſſe negabat ob eas fortaſſe, quas attuli, cauſas* (verbis inferiùs referendis comprehenſas) *atque idcircò ea ipſis occultabat. Ac rursùs dicebat forè, vt ab adveniente Spiritu omnia edocerentur. Ergo vnum ex*

eo-

Digitized by Google

eorum numero eſſe cenſeo, ipſam Spiritus Sancti Deitatem in poſterum apertiùs declarandam.

9 Stant etiam, pariter numerum extendentes, Iuſtinus, (*i*) ad Regnum ſpirituale Chriſti, quod terreſtre futurum putabant Apoſtoli, Origines, (*k*) & Didymus (*l*) ad ſpirituale legis antiquæ obſervantiam; quos omnes in idem coacervat advocatus Toletus, (*m*) hæc addens. *Excuſandus eſt autem Auguſtinus, quia populo rudi loquebatur, cuius non eſt alta myſteria inquirere, nec recordatus eſt, tam graves DD. iſta inquiſiviſſe, quos temeritatis arguere, modeſtia, & mira Auguſtini humilitas non pateretur.* Quibus in gratiam eiuſdem S. Auguſtini explicatiùs addo, eum nunquam exiſtimaturum temerarium aliquem Doctorem Catholicum, ſi is, vt graves alij aſſueſcunt, nonnulla determinaret dicenda ex eorum numero, quæ Chriſtus noluit in vltima cœna Diſcipulis aperire; ſed ſibi ſoli, præ magna ſua humilitate, & modeſtia, comminatum fuiſſe temeritatis notam, ſi illorum quædam deſignaret. Quam expoſitionem in reverentiam tanti Doctoris non obſcurè indicavit etiam Cardinalis Lauræa. (*n*)

10 Subſcribunt præterea, Angelicus Doctor (*o*) inquiens. *Sic ergo, quæ portare non poterant, ſunt plena cognitio Divinorum, quam non habebant tunc, putà æqualitatis Filij ad Patrem, & huiuſmodi.*

11 Anſelmus Havelsburgenſis Epiſcopus, qui in ea diſputatione, (*p*) quam cũ Nechita Archiepiſcopo Nicomediæ habuit, (nondum edita tempore Cardinalis Hoſij, (*q*) illum laudantis,) adferens verba Chriſti, *multa habeo vobis dicere, &c.* ea mirè explicat, deſignans aliqua, quæ ex illorum numero eſſe, atque à Spiritu Sancto, iure ſibi concrediti magiſterij, ſucceſſu temporum edoceri, ait. Sufficiat hæc referre. *Miſſarum ſolemnia, & cætera divina officia in laudem Dei appoſuit,* vtique Spiritus Sanctus: *per Catholicos Doctores, quaſi per organum ſuum Sacras Scripturas veteris, & novi Teſtamenti, nobis tãquàm extrinſecùs fluendo aperuit: arcana quoque, divino ſub ſigillo divinarum Scripturarum myſterialiter clauſa, familiari inſpiratione nobis inſinuando, tanquàm intrinſecùs rorando innotuit.*

12 Cardinalis Toletus aiens. *Probabile etiam eſt, multa, quæ ad regimen Eccleſiæ, & ſtatum eius pertinebant, de eorum eſſe numero. Denique, quæcumque poſteà Apoſtoli, Spiritu Sancto revelante, dixerunt, tum quantùm ad dogmata, tum quantùm ad ſtatum, & regimen Eccleſiæ ordinandum, & diſponendum, credibile, & probabile*

(*i*) *In Explicat. qq. Gen. Reſponſ.* 112.
(*k*) *Lib.* 2. *cont. Celſ.*
(*l*) *Lib.* 2. *de Spiritu Sancto.*
(*m*) *Vbi ſuprà.*
(*n*) *Tom.* 3. *in* 3. *lib. Sentent. diſp.* 3. *artic.* 4. §. *Vnico. nu.* 119.
(*o*) *Super dictum locum Ioan.*
(*p*) *Lib.* 2. *Cõtrapoſitorũ. cap.* 23.
(*q*) *De Traditionibus cap.* 22.

Digitized by Google

eſt eſſe iſta, de quibus nunc loquutus eſt Dominus. Cardinalis Lauræa, (r) & alij pene omnes, qui de hac re ſcripſerunt. Concluditur ergo ex dictis, perperam Venerab. Antiſtiam temeritatis inſimulari: eò quòd multa de SS. Virgine, ſibi inſpirante Divino Spiritu revelata, inter ea, quæ Chriſtus dicere habebat Diſcipulis, & per ſe dicere noluit, collocat.

(r) *Vbi ſuprà n.* 120. *& diſp.* 4. *art.* 1. *& 6*

13 Neque diſſonum eſt; ea ex illorum numero dici, quæ modò nos portare poſſumus, & tunc Apoſtoli portare non poterant: quia Diſcipuli tunc imbecilles, & imperfecti in Fide erant, vt ex hiſtoria Evangelica conſtat; & comparatio obiecta inſtituitur inter diverſos longè ſtatus: etenim tunc temporis nondum advenerat Spiritus Sanctus, poſt cuius adventum nos iam exiſtimus: vnde abſonum non eſt, nunc dari Fideles capaciores, & multò robuſtiores, quàm tunc fuerint Diſcipuli: ſicut Petrus tunc portare non auſit pro confeſsione IeſuChriſti, quæ poſtmodùm Chriſtiani benè multi hilari animo ſuſtinuerunt: vti bellè expendit S. Auguſtinus, (s) ideò graviter hæc adiiciens. *Poſſe inventæ ſunt poſtea oves, quod tunc, quando iſta Dominus loquebatur, nondum poterant portare paſtores.* Cenſores igitur Pariſienſes adhortor ad ſanam hanc doctrinam pacato, atque tranquillo corde, portandam, & ſuſcipiendam.

(s) *Vbi ſuprà.*

§. II.

ALIVD ARGVMENTVM PROPONITVR, CVIVS ſolutione præcedentia ampliùs declarantur, & illuſtrantur.

14 CHriſtus Dominus promiſit Apoſtolis, poſtea ipſos cognoſcituros, quæ tunc non aperiebat: id enim ſignificant, & vis adverbij *modò*, & verba, *multa habeo vobis dicere*, & denique ſubſequentia: *cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: ergo abſcondita Virginis Myſteria, & modò manifeſtata Venerab. Abbatiſſæ de Agreda, ex eorum numero non ſunt, quæ Chriſtus Diſcipulis dicere habuit, & cœnæ nocte non detegit. Conſequentia probatur: quia prædicta Virginis myſteria, vt ex eadem Venerab. Abbatiſſa conſtat, & Diſſertat. præced. dixi, non manifeſtavit Deus in primitiva Eccleſia.

15 Augetur difficultas. Referente (a) Auguſtino: *omnes inſipien-*

(a) *Tract.* 97. *in Ioã.*

Digitized by Google

pientiſſimi Hæretici, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, audacias figmentorum ſuorum, quas maximè exhorret ſenſus humanus, occaſione Evangelicæ ſententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait: adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Quem ſacri textus abuſum ex ipſius textus verbis confringunt Catholici Doctores, quos inter Guillelmus Eſtius (*b*) ſic arguit. *Non enim dicit Dominus: non poteſtis portare, ſed addit, modò: ſignificans, eos portaturos poſtea; quod & promittit ſequentibus verbis: cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Cùm ergo ne poſtea quidem illa Gnoſticorum dogmata ab Apoſtolis tradita ſint; conſtat, ea non eſſe, de quibus dictum eſt: non poteſtis portare modò.* Quibus verbis idem, quod num. anteced. opponitur argumentum, comprehenditur: ergo vel myſteria illa SS. Virginis manifeſtavit Deus in primitiva Eccleſia, vel falsò Abbatiſſa de Agreda inter ea reponit, quæ Chriſtus in vltima cœna non dixit, & dicere habebat Diſcipulis; atque ſacro textu perversè vtitur.

(*b*) *In eundem locum Ioann.*

16 Ante argumẽti ſolutionem animadvertere nonnulla oportet. Primùm, quòd veritates abſconditæ, & ſecundum promiſſionem Chriſti poſtea per Spiritum Sanctum manifeſtandæ, aliæ non ſunt præter eas, quas Chriſtus dicere habebat Diſcipulis, & per ſe non manifeſtavit. Conſtat hoc ex num. 6. & 7. quibus denuo addo perſpicuum prorſus teſtimonium Patris Ioannis Maldonati, (*c*) iam ibidem advocati. *Apoſtolorum* (inquit) *ſtudiũ excitavit* (Chriſtus) *vt quæ illis Spiritus Sanctus dicturus erat, avidiùs exciperent, SCIENTES EA ESSE, QVÆ CHRISTVS TANQVAM ALTIORA IPSORVM INGENIO MYSTERIA DICERE NOLVISSET.*

(*c*) *Vbi ſuprà.*

17 Deinde, quòd promiſſio illa, & conſequenter verba antecedentia, *multa habeo, &c.* à Chriſto Domino dirigebantur, nedum ad Apoſtolos, ſed, & in ipſis, ad totam Eccleſiam, & ſequentium ſæculorum Fideles. Tenet id communis DD. ſenſus, & ſatis explicat Eccleſia in oratione quadã (*d*) dicens. *Mentes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.* Favet etiam, quod ſimilia alia verba, nempè, (*e*) *ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum:* & illa, (*f*) *ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*, intelliguntur dicta Eccleſiæ à Chriſto in Diſcipulis, nedum pro ipſorum tempore, ſed etiam pro ſequentibus eiuſdem Eccleſiæ ſæculis. Pariter ac cum Dominus dixit: (*g*) *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit,*

(*d*) *Quarta die Infra octav. Pẽtecoſtes.*
(*e*) *Ioann. 14. v. 16.*
(*f*) *Matth. 28. v. 20.*
(*g*) *Lucæ 10. v. 16.*

Digitized by Google

nis hac in Myſtica Civitate contenta; ſed quia Fideles, (ob rationes Diſſertat.præced.) *tunc,id eſt,tempore naſcentis Eccleſiæ,illa ferre.nõ poterant; Spiritus Sanctus, tanquàm Magiſter mittendus,& promiſſus, vt omnem edoceret veritatem, quàm Chriſtus determinaverat Eccleſiæ ſuæ patefacere, revelaturus erat prædicta Virginis myſteria tempore congruo,& opportuno.* Qui ſenſus nihil obiurgatione dignum præſefert.

24 Magnum hæc robur accipiunt ex verbis Conſalui Duranti,(*t*) in ſimili differentis de quibuſdam Virginis Mariæ privilegijs. Ait enim,noluiſſe Deum in principio naſcentis Eccleſiæ palàm facere omnibus Matris ſuæ Conceptionem,& ad cœlos anima,corporeq; Aſſumptionẽ,*ALIAQVE SINGVLARIA PRIVILEGIA ILLI DIVINITVS CONCESSA:quoniã nõ expediebat cuncta Eccleſiæ divina arcana ſimul reſerare, & Fidelibus ſuis omnia ſimul aperire,quod inſinuavit Chriſtus Dominus Ioan.16. qui poſtquàm in ſermone vltima cœna plura Diſcipulos docuiſſet,adhuc multa habeo,inquit,vobis dicere,ſed non poteſtis portare modò.* Proficit namq; Eccleſia,vt in virtutibus,& bonitate,ita in ſcientia & doctrina, Deo eam pleniùs quotidie illuſtrante: eaque de cauſa *Cantic.* 6. *comparatur auroræ,dũ dicitur,quæ eſt iſta,quæ progreditur quaſi aurora:* aurora quippè temporis proceſſu magis ſplendet, rutilat vehementiùs.

(*t*) *Lib.* 6. *revelat. S. Brigittæ cap.* 55. *in notis.*

25 Neque vrget, quòd Apoſtolis dicantur poſtea manifeſtanda,quæ tunc Chriſtus, quia ab illis eo tempore portari nequibant, non aperuit. Primò: nam quamvis Apoſtoli explicitè noviſſent omnia myſteria SS. Virginis; quæ in Myſtica Civitate deſcribit Venerab. Abbatiſſa, quemadmodùm illorum multa agnoverunt, vt ex 2. & 3. parte eiuſdem operis conſtat; adhuc verùm eſſet, prædicta myſteria primitivæ Eccleſiæ manifeſta non fuiſſe, vt eadem Author docet: quippè his verbis, vt verè affirmentur, ſatis conſulitur, excludendo, myſteria illa tunc in vulgus prodiiſſe,aut communi aliorum Fidelium, præterquàm Apoſtolorum, notitiæ expoſita fuiſſe: ea enim Apoſtolos aliis Fidelibus celaſſe, maximè congruit propter rationes præced. Diſſertat. expenſas;& vel indè facile creditu fit, quòd plura alia divina arcana, ab ipſis expreſsè intellecta, cæteris minimè manifeſtaverint: vt advertit Maldonatus (*u*) dicens:*Idem ab Apoſtolis factum,vt non omnia ſcripta,multa etiam ne viva quidem voce nobis traderent, illud ipſi teſtantur: hoc rationi conſentaneum eſt, ſive quia Chriſti, & Spiritus Sancti exemplum imitari voluerunt, ſive quòd nedum homines omnia poterant ferre, &c.*

(*u*) *Vbi ſuprà.*

Se-

26 Secundò, in Apoſtolis & conſiderandi ipſi ſunt, & cæteri Fideles, quorum perſonas tunc gerebant: vt etiam explicuit Venerab. Author, verbis textui reprehéſo immediatè ſubiunctis, quę, par erat, non reticuiſſe Pariſienſes. *Propterea*, inquit, *Verbum homo factum, dixit Diſcipulis ſuis in vltima Cœna: multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Loquutum eſt in illis toti mundo, qui, niſi priùs firmiter ſtabilita lege gratiæ, & Filij Fide, ineptus fuit ad hæc Myſteria ſuſcipienda, &c.* Vnde verba, *docebit vos omnem veritatem*, diſtributione hac intelligenda ſunt, vt ſcilicet Apoſtolis quàmplures veritates, Spiritu Sancto illuminante, affulſerint, alijs, quæ ſupererant, ſequentibus Eccleſiæ temporibus revelandis: ideòque ſacer textus non cogit, quominùs aſſeratur, Apoſtolos non cognoviſſe omnia SS. Virginis myſteria, quæ à Venerab. Abbatiſſa de eorum numero dicuntur, quæ Chriſtus nocte cœnæ aperire noluit, & promiſit, à Spiritu Sancto poſtea manifeſtanda.

27 Præterea: verba illa, *docebit vos omnem veritatem*, comprehendere omnes veritates, progreſſu temporum ab Eccleſia in Canonem Fidei relatas, & referendas, ſentiunt omnes Interpretes, ac Polemici, & nihilominùs ipſi aſſerunt, quod Apoſtoli non cognoverunt explicitè omnes has veritates, quamvis eas cognoverint implicitè, id eſt, quamvis ita inſtructi fuerint circa principia Fidei, vt propoſita illis qualibet dictarum veritatum, ac de ea interrogatis, protinus infallibili aſſenſu iudicaſſent id ipſum, quod explicitè definivit, aut definiet Eccleſia. Legantur Guillelmus Eſtius, (*x*) & Cardinalis Laurea (*y*) dilucidè admodùm loquentes in hunc ſenſum. Quid nunc mirum, ſi Apoſtolis non manifeſta dicantur plura SS. Virginis myſteria adhuc ab Eccleſia non definita, & nunquam forſan definienda?

(*x*) *Vbi ſuprà.*

(*y*) *Vbi ſuprà diſp.* 3 *art.* 4. §. *Vnico, & diſp.* 6. *art.* 3. §. 2. *nu.* 105.

28 Augmentum difficultatis num. 15. propoſitum, nullius roboris eſt. Ideò enim Hæritici illi accuſantur, & quidem iuſtiſsimè: quia Sacro Textu colorabant dogmata falſa, Fidei adverſa, & eouſquè horrenda, vt vel immundum ipſum Spiritum puderet, talia evomiſſe. Audiatur S. Auguſtinus, (*z*) qui poſt obiecta verba, in hæc ſe effundit. *Quaſi hæc ipſa ſint, quæ tunc Diſcipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus Sanctus, quæ palàm docere, atque prædicare, quantalibet feratur audacia, Spiritus erubeſcit immundus.*

(*z*) *Vbi ſuprà.*

29 Audiatur inſuper S. Thomas. (*aa*) *Ex hoc tamen quod dicit, non poteſtis portare modò, diverſi Hæretici aſſumunt ſui erroris vela-*

(*aa*) *Vbi ſuprà.*

men-

ſuæ: quia corda hominũ difficilia, & dura erant ad credendum Aſcẽſionem eius: quantò magis, ſi prædicata fuiſſet ſtatim in initio Fidei

(i) *In ſua Apocalip.*

Aſſumptio mea. Conſentit Amadeus Franciſcanus, (i) de eodem tempore inquiens. *Non fuit tempus prædicandi gloriam Matris, quando vix ſuaderi poterat gloria Filij.*

(k) *Vbi ſuprà.*

38 Conſaluus Durantus diſertiſsimis verbis (k) idem docet. *Quod ergo, ait, Mater Dei ab originali peccato fuerit præſeruata, aut in cœlos anima corporeque aſſumpta, non omnibus fuit notum; ſi enim hoc, & publicè, & palam fuiſſet pronunciatum, & tunc maximè, quando fidei fundamenta nondum ſatis firmè, & conſtanter iacta fuerant, contingere potuiſſet; vt devotione, quæ eximia eſt, ſemperque fuit Chriſtianorum omnium erga tantam Virginem, adeò aliqui afficerentur, vt ipſam non vt creaturam, ſed velut Creatorem, non vt Dei Genitricem, ſed vt Deum adoraſſent.* Et paucis interiectis proſequitur. *Et ſanè Dionyſius Areopagita, cùm ad Mariam veniſſet, & corporis pulchritudinem, morum ſanctitatem, & neſcio quem in ea divinum fulgorem ſpectaſſet, hoc dixiſſe fertur: niſi mihi de Filio tuo fuiſſet revelatum, quod Deus eſſet, facilè crederem alium præter te non eſſe Deum.* Et tandem ſubiungit. *Quo factum eſſe cenſeo, vt propter EXIMIA, ET INNVMERA PRIVILEGIA, & maximè ob originalis peccati immunitatem, quibus, quantum puræ creaturæ licet, ad Chriſti Domini eius Filij acceſsit dignitatem; noluerit idem Filius, conſulens imbecillitatis, ac fragilitatis noſtræ ſtatui, niſi longo temporis curſu notum hoc fieri, & publicè omnibus prædicari, vt fideles tutiùs cognoſcerent, &c.* Quæ omnia, eſtò præcipuè videantur dicta ob Conceptionem, & Aſſumptionem Virginis, eodem iure applicari valent cæteris eiuſdem myſterijs, primis Eccleſiæ temporibus non manifeſtatis, ſed poſtea revelatis, aut revelandis; imò & mens præfati Authoris ea complectitur, vt ſatis indicant poſtrema verba, & alia ex ipſo tradita num. 18. poſt quæ modò tranſcripta dedit.

(l) *Præfat. tom. 2. in 3. p.*

(m) *3. p. q. 49. diſp. 49. ſect. 1. v. Optimè Anſelmus.*

39 P. Franciſcus Soarius, explicans cauſam, ob quam in novo teſtamento pauca verba de SS. Virgine ſcripta ſunt, (l) hæc habet. *Quoniam tota Evangeliſtarum, & Apoſtolorum intentio ad Chriſtum referebatur: quia illo cognito, eiuſque fide ſatis fundata, non poterat Matris eius excellentia, aut ignorari, aut occultari. In illis verò paucis verbis, eiſque graviſsimis, quædam præcipua capita indicata ſunt, quæ omnia, quæ de Virgini dici poſſunt, virtute continent.* Et (m) iterum. *Non enim aſſumpſerunt* (Evangeliſtæ) *onus ſcri-*

bendi

Digitized by Google

bendi omnia, quæ Christus geſsit, neque omnia ſingularia officia, quæ Matri exhibuit, ſed ea tantum, quæ ad myſteria fidei confirmanda, & referenda ſufficere viſa ſunt. His ſatis denotat Graviſsimus Author, non oportuiſſe cum erectione Chriſtianæ Religionis omnia SS. Virginis encomia prædicari; quippè huiuſmodi manifeſtatio, alioqui tunc non neceſſaria ſtabiliendis fidei, & novæ legi, eidem ſcopo quodammodò impedimento eſſe poterat, propter imbecillitatem nempè, ac debilitatem audientium, vt ſupra expendi.

40 Certè quidem, docente Eximio ipſo Doctore, (n) *non ſine ſingulari Spiritus Sancti conſilio factum eſt, vt nonnulla Virginis myſteria, & privilegia, nec ſcripta ſint, nec certa traditione recepta, vt occaſio daretur fidelibus ampliùs meditandi, & recogitandi hæc myſteria, loquendique, ac ſcribendi de Virgine, ex principiis traditis plura ratiocinando, & colligendo.* Si ergo Deus, hac pia exercitatione allectus, ad poſteriora vſque tempora diſtulit manifeſtationem illorum Virginis myſteriorum, potiori iure potuit, ideò non palàm facere primitivæ Eccleſiæ ea, quibuſde loquitur Venerab. Abbatiſſa de Agreda: quòd occaſione huius manifeſtationis, æſtimatis temporis, & credentium circumſtantiis, experta fuiſſent mala, quæ refert, aut ſaltem ipſorum inſtaſſet periculum.

(n) *Præfat. eiuſd. tom. 2. v. Quarto.*

41 Hadrianus Liræus, Antimarianos expugnans, (o) præcedentibus conſonat teſtimonijs. *De qua* (Virgine Maria) *multa*, inquit, *in ſanctioribus paginis, vel ideò prætermiſſa non neſciunt, etiam hi, qui abſque ære lavantur, vt Chriſti Salvatoris virtute, divinaque natura antè confirmatis: deinde, poſtquàm imber perſecutionum iam abiiſſet, flores Virginei decoris, Spiritus Sancti aura eos educante, apparerent.* Quibus non obſcurè ſignificatur, multa, eaque inſignia, Virginis ornamenta, idcircò Deum non ſimul, ſed poſt validam, & confirmatam iam fidem Salvatoris Noſtri Ieſu Chriſti reſeraſſe; vt hac via placidè apparerent, & abſque Fidei diſpendio ſuſciperentur. Colophonem addit communis ſenſus DD, qui quidem docent, Deum, vtique inter alia penſando capacitatem Fidelium, ſenſim, & non ſimul illuminare Eccleſiam: quoniam, ſicut nocte cœnæ multa Apoſtolis celavit Chriſtus, (p) quæ tunc portare non poterant, & poſtea, adveniente Spiritu Sancto, perceperunt, ſic & aliquibus Eccleſiæ ſæculis plura non manifeſtantur, quæ aliis revelantur: eòquòd iſtorum, & non illorum ſæculorum, Fideles, rectis illis veritatibus amplexandis, apti, & idonei, à Deo iudicati ſunt.

(o) *Proœm. Triſagij Mariani. Intervallo 6.*

(p) *Ioann. 16. v. 12. & 13.*

42 Hæc cum ita ſint, quo iure Pariſienſes Iudices, Cenſoria relegatione, publico viduant honore pronunciatum Venerab. Abbatiſſæ? Sanè huc facit celebre Ammiani (q) dictum: *Quis innocens eſſe poterit, ſi accuſare ſufficiat?* Quippè temeritatis, probroſæque novitatis, accuſant Venerab. Authoris doctrinam, ſeipſa defenſam, & ampliſsimis, quæ dedi, comprobationibus largè confirmatam. Quid ſuffixione dignum in textu illo: *Non manifeſtavi hæc in primitiva Eccleſia: quia continent myſteria tam alta, tamque ſublimia, vt Fideles illis penetrandis, & admirandis, intenti fuiſſent, cùm neceſſe erat, &c. Et quanquam id incompoſſibile non fuiſſet, attamen ingenium humanum, oppletum ignorantia, pati poterat nonnihil turbationis, & dubitationis, &c?* Nihil revera. Quamobrem Cenſores longè abiere à laude, quam primam nominat Auguſtinus, (r) atque pariter à ſecunda abibunt, niſi latam revocent ſententiam. *Sententiam falſam,* ait Doctor Sanctiſſ. *nunquam tenere, prima laus eſt: ſecunda, mutare.* Quod aliter (s) dixit Caſsianus. *Primum eſt, errorem penitùs non incurrere: ſecundum, benè repudiare.*

(q) Lib. 18

(r) Lib. 3. cõtra Creſco. cap. 3.

(s) Lib. 1. de Incarn. cap. 4.

43 Inſtare poterunt Cenſores. Rationes inductæ ab Authore, ſi momenti ſunt, vrgentiùs moviſſent Deum, ne ab initio novæ legis, & in primitiva Eccleſia, manifeſtaret Virginis SS. Maternitatem, prærogativam adeò excelſam, & ſublimem, vt ipſi, iuxta pervulgatam Theologiam, admetiendæ ſint reliquæ eiuſdem Virginis ſpeciales perfectiones; ſed nihilominùs Maternitas initio Eccleſiæ cum Evangelio, & in ipſo iam prædicata fuit: ergo rationes illæ falſæ ſunt, & nullo nixæ fundamento.

44 Reſpondeo. Inſtantia redarguitur teſtimonijs nuper advocatis. Præterea: Fides Maternitatis eo tempore iam neceſſaria erat: tum, vt Fideles, invaleſcente Eccleſia, & fide, inde quaſi ex fonte, ac radice, ſenſim eruerent plura Virgine Maria digniſsima encomia, pro temporum ſucceſsione, iuxta divinam præordinationem, opportune cognoſcenda: tum, ad fidem Incarnationis, & Humanitatis Chriſti, vtque faciliùs ipſe crederetur verus homo, veroque corpore conſtans, ſicut cæteri homines: & quamvis magni à Fidelibus habita ſit Virgo Maria propter excellentiam Maternitatis; ea verò primis Eccleſiæ diebus rudi Minerva propoſita, & cognita, abſconditis eiuſdem perfectionum iuſtiſsimis quampluribus ſequelis, non ſic imminebant incommoda, de quibus loquitur Venerab. Author, vti inſtaſſent, prædictis perfectionibus dilucidè, & explicatè propoſitis eodem tempore; quas quidem noſtro dig-

natus

natus eſt Dominus ipſi Authori expreſsè revelare. Sic Beatus Thomas à Villanova, non ignorans Maternitatem Virginis in Evangelio, & cum eo prædicatam, nec ipſius excellentiam, cum cauſam inquireret, ob quam eadem Virgo nondum Fidelibus palàm fecerat dialogos, & colloquia ſe inter, & puerum Ieſum habita: reſpondit, (t) quod *non decuit Margaritas pretioſas omnibus palàm fieri, & ſacramenta cæleſtia, quæ non licet homini loqui, coram omnibus publicari, ac propterea non edita ſunt. Quæ enim nobis edidit Salvatorem, quando ſi deceret, vtilem populo celaret Sermonem?* (t) *Vbi ſuprà.*

45 Præſparſas demùm comprobationes confirmet, & illuſtret diſcurſus ex Sancti Thomæ doctrina deductus. Ioannes Baptiſta, (u) dum vixit, nullum patravit miraculum, vt ex verbis Evangelij, *Ioannes quidem ſignum fecit nullum*, communis DD. ſenſus probat: huius autem congruentem quærens rationem Angelicus Magiſter, (x) reſpondet. *Si Ioannes ſigna feciſſet, homines ex æquo Ioanni, & Chriſto attendiſſent; & ideò vt homines principaliter Chriſto intenderent, non eſt datum Ioanni, vt faceret ſignum.* Potiori ergo iure oportuit, vt myſteria Mariæ Virginis, de quibus hîc loquitur Abbatiſſa Venerab. à Fidelium diſcuſſione in primitiva Eccleſia arcerentur, ne his examinandis, & perſpiciendis nimiùm intenti, quodammodò diſtraherentur à curis, & laboribus neceſſariis, ad fundandam, & ſtabiliendam novam legem, fidemque Chriſti, Legiſlatoris, & Eccleſiæ capitis. Tantò itaque hoc magis tunc congruebat, quantò ſublimiora ſunt inſignia Mariæ, quàm Ioannis, & honorabiliores dotes Matris Redêptoris, quàm ipſius Præcurſoris.

(u) *Ioann. 10. v. 41.*

(x) *3. p. quæſt. 38. art. 2. ad 2.*

§. VLTIMVS.

CONFICITVR SVMMA VITIORVM, QVIBVS vtraque ſcatet Cenſura.

46 Liquet ex dictis, iniuſte Pariſienſes Cenſores confixiſſe V. Authoris doctrinam, vel ſe ipſa ſatis firmam, & vlteriùs allegatis teſtibus valide roboratam, eam incuſando falſitatis, temeritatis, prophanæque novitatis: cuius quidem qualificationis nec afferunt, nec vnquam producent firmum aliquod fundamentum, niſi putent ſufficere, ſe ita dixiſſe; id quod cæteri meritò ridebunt: quare cum moderamine inculpatæ tutelæ talibus Cenſo-

Digitized by Google

ribus aptata velim, quæ per innocuos, calumniam paſſos, dicta repreſentat (*a*) Auguſtinus. *Vos, qui nihil vultis, quàm dicere quod probare omninò non poteſtis, quid aliud quàm os veſtrum maledictione, & amaritudine plenum eſt?* Hinc notum eſt cunctis, vel medriocriter Theologis, Cenſuras incurrere Theologicas, qui eas abſque ſufficienti ratione alicui doctrinæ impingunt: ergo rubore ſuffuſi abeant Cenſores, & latibula quærant, vbi culpam deplorent, non immemores protriti illius dicti,

(*a*) *Lib.2. cont. Petilia. cap.14*

Turpe eſt Doctori, cùm culpa redarguit ipſum.

47 Præterea. Deputatorum Cenſura gravi afflictatur ambiguitate, vt expoſui num. 6. *Hæc propoſitio*, inquiunt, cùm textus multas, & planè diverſa ſignificantes complectatur propoſitiones, quæ quidem, nec ſub dictione aliqua copulante, damnatæ apparent, niſi intenderint Cenſores notare verba illa: *Et quanquàm id incompoſſibile non fuiſſet*: hac via Dei Omnipotentiam coarctantes, & de ipſa malè ſentientes. Vnde duo alia pullulaſcunt vitia: alterum, quòd Cenſura doctrinalis non eſt, cùm non ſatis conſtet, quid proſcribat: alterum verò, quòd ob eandem cauſam quælibet pars textus, etiam ex animo non condemnata, in perverſæ doctrinæ ſuſpicionem trahitur.

48 Deinde. Dicunt, doctrinam Venerab. Authoris novitatem inducere: fateor ſiquidem nova, id eſt, antea Fidelibus non aperta, de SS. Virgine efferre; ſed inficior, novitate illa tabeſcere, ob quam dehoneſtantem novitatis Cenſuram amaverit, quæ inter notas Theologicas computatur; cùm potiùs adumbraverit laudabilem, ac pervetuſtam nova cudendi normam, innitendo nempe non minori, quàm gravi divinæ revelationis momento: quo protritæ manent, & novitatis, & temeritatis calumnioſæ accuſationes. Certè enim, quæ, prædicta revelatione tradit Venerab. Author, evenire potuerunt, & aliunde non conſtat, ſic non accidiſſe: ergo ea revelatio ex obiecto impugnari nequit, niſi priùs ſaltem infirmetur ex aliis capitibus, concernentibus ſigna veras revelationes à falſis diſcernendi: quod hactenus deſideratur.

49 Denique. Cenſura Facultatis, his fere omnibus laborans vitiis, alio irretitur minimè conticendo. Ea nempè talibus efformata eſt verbis, quibus, vt æquum erat, non omninò apertè diſtat ab impugnatione novæ cuiuſvis privatæ revelationis, alio vel titu-

lo

Digitized by Google

lo ad id non exacto, præterquàm eiuſdem revelationis novitate; quaſi abbreviata fuerit manus Domini, ne quid novum revelare poſsit. Relegatur num. 3. & 5. Qui nefarius error affinis eſt alij Socinianorum,& Deiſtarum, contendentium, omni Divino teſtimonio ſublato, naturæ dictamen duntaxat eſſe ſectandum. Quapropter Cenſores admoneo, ne ſic nova horreant, vt, amore antiquitatis nimiùm perculſi,adnumerandi veniant illis,qui inſipiĕter hæc occinunt. *Si citiùs illuxiſſes ò veritas, fortè noſtros habuiſſes amplexus. QVIA SERIVS ADVENISTI, REPVLSAM PATIERE, ET NE VERITATIS QVIDEM APPELLATIONEM MEREBERE.*

ARTICVLVS IIJ.

EOdem num.10.*Propterea Verbum homo factum dixit Diſcipulis ſuis in vltima cœna : multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò.*

CENSVRA DEPVTATORVM.

HÆc propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & Hæreticis favens, qui hac Evangelica ſententia abuſi ſunt, vt novitates,& audacias figmentorum ſuorum colorarent.

CENSVRA FACVLTATIS.

HÆ propoſitiones, quibus Author aſſerit,veritates ſibi fuiſſe revelatas, ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis incognitas, imò & de ipſarum numero, quas Apoſtoli ipſi portare non poterant,&c.Falſæ ſunt, temerariæ,ſcandaloſæ,fanaticis, & Hæreticis favent, ad omnes novitates viam aperiunt,&c.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

CRISIM CENSVRARVM CVM EARVNDEM caſtigationibus exhibeo.

(a) *De Trinit. in argum. lib. 8.*

PArum eſt, inquit (a) Hilarius, *ſola ea ad ſatisfactionem afferre, quæ propria ſunt: quia plerunque blandientes ſenſum fallunt dictorum noſtrorum inexploratæ aſſertiones, niſi etiam propoſitionum adverſarum demonſtratæ inanitates, fidem noſtram in eo ipſo, quod ipſæ ridiculæ eſſe arguantur, affirment.* Quod vt abundantiùs adimpleam, ab argumentis Adverſariorum incipiendũ duxi; vt illorum demonſtratis inanitatibus, ſtatim omnibus in aperto ſit, quàm irridendas, quàmque exleges tulerint Cenſuras adverſus propoſitam doctrinam Venerab. Abbatiſſæ.

§. I.

ARGVMENTVM EX S. AVGVSTINO DESVMPtum diluitur, & in Cenſores regeritur.

(b) *Tract. 96. in Ioã.*

1 PARENS Auguſtinus (b) ſuper verba illa Ioann. 16. v. 12. *Multa habeo vobis dicere, ſed modò portare non poteſtis*: ſcripſit. *Nunc ergo quæ iſta ſint, quæ Apoſtoli tunc portare non poterant, vultis forſitan ſcire. Sed quis Noſtrum audeat eorum ſe dicere iam capacem, quæ illi capere non valebant? Ac per hoc, nec à me expectanda ſunt, vt dicantur.* Et aliquibus interiectis iterum habet. *Sed quænam ſint iſta, quæ ipſe non dixit, temerarium eſt velle præſumere, & dicere.* Et poſt alia iterum repetit. *Quæ cùm ipſe tacuerit, quis Noſtrum dicat, iſta vel illa ſunt? Aut ſi dicere audeat, vnde probat?* Ergo Venerab. Abbatiſſa temerario auſu profert, myſteria SS. Virginis ſibi recens revelata de numero eſſe eorum, quæ Chriſtus nocte cœnæ non dixit Apoſtolis, & ipſis dicere habuit.

En

Digitized by Google

2 En fundamentum, quo, quantùm coniectare licet, innituntur Cenſores: verùm novum non eſt, id de more ſuo eruditè adnotante Raynaudo, (*c*) vt quæ D. Auguſtinus aptè in loco dixit, detorqueantur ad ſenſus à D. Auguſtini mente maximè alienos. Fecit hoc Fauſtus Rhegienſis. Fecit & Claudius Taurinenſis, qui, cum omnes deſpueret SS. Patres, & nominatim de S. Hieronymo fœde obloqueretur, Sanctum tamen Auguſtinum iactabat vt ſuum. Fecit & Berengarius, cum aſſeclis, vnius fere Auguſtini authoritate ſeſe tegens. Fecit & Ioannes Vvicleffus, adeò vt à ſuis diceretur, *Ioannes Auguſtini*. Fecerunt, & tandem, vt mittam alios, Calvinus, & Ianſenius, quos ſui imitantur. Præſtiterunt ne idipſum, qui prædictæ obiectioni ſubſcribunt? Præſtiterunt profectò: & falſiloquus habear, niſi demonſtravero.

(*c*) *In nove libertatis Gibeuſianæ explicatione, cap.* 8. *nu.* 10.

3 Reſpondeo primò, Auguſtinum ſolum putaſſe temerarium, affirmare hæc, aut illa, quamvis aliàs vera, de eorum eſſe numero quæ tunc Dominus dicere noluit, ſi hoc, quod de eorum numero ſint, divino teſtimonio non etiam confirmatur. Sic enim proſequitur poſt vltimò obiecta verba. (*d*) *Quis eſt tam vanus, aut temerarius, qui, cùm dixerit etiam vera, quibus voluerit, quæ voluerit, ſine vllo teſtimonio Divino affirmet ea eſſe, quæ tunc Dominus dicere noluit? Quis hoc noſtrum faciat, & non maximam culpam temeritatis incurrat? In quo nec Apoſtolica excellit Authoritas. Nam profectò, ſi eorum aliquid legiſſemus in libris, Canonica authoritate firmatis, qui poſt Aſcenſionem Domini ſcripti ſunt, parum fuerat hoc legiſſe, niſi illic etiam legeretur, hoc ex eis eſſe, quæ tunc Dominus noluit Diſcipulis ſuis dicere: quia non poterant illa portare.*

(*d*) *Vbi ſuprà.*

4 Modò interrogo: an Venerab. Abbatiſſa myſteria SS. Virginis, quibuſde loquitur, iis connumeraverit, quæ Chriſtus Dominus habuit Diſcipulis dicere, ſed tunc noluit, abſque divino teſtimonio, vtique hoc idem revelante, quod myſteria illa de tali numero ſint? Minimè ita fecit, ſed divina illuſtratione prælucente: ſiquidem verba illa: *propterea Verbum, &c.* non vt ſua, ſed nomime Dei, & vt ab eodem ſibi revelata ſcripſit. Ab ipſo enim Deo, & Domino, qui dixerat, *non manifeſtavi hæc in primitiva Eccleſia, &c.* immediatè ſubiunctum eſt. *Et propterea Verbum homo factum, &c.* Ergo Auguſtini textus diſtortè, & in ſenſu maximè alieno ab Auguſtini mente, trahuntur contra Venerab. Antiſtiæ aſſertum, cùm ipſi potiùs omninò congruant. Quapropter quæ Guitmundus (*e*) Berengarianis obiiciebat, meritò, nomine mutato, in

(*e*) *Lib.* 3. [illegible]

Digitized by Google

Pariſienſes ſugillatores retorqueo. *Si ergo vobis,* ò Pariſienſes Cenſores, *B. Auguſtinus, ita vt ſolet, clariſſimus eſt, iudicium eius ſequimini* : & ita iudicium veſtrum omnino condemnatum relinquetur.

5 Solutione hac ſatis ſuperque enervata eſt obiectio, & ſimul roborata doctrina Venerab. Authoris; nihilominùs verò non gravabor ad pleniorem rei diſcuſsionem, alteram adhibere reſponſionem. Reſpondeo ergo ſecundò: frequentiſsimè DD. de aliquibus determinare rebus, inter eas eſſe, quas Chriſtus Dominus non dixit, & dicere habebat Diſcipulis; quin temerè procedant: quia eſtò non habeant expreſſum, & omninò clarum Dei teſtimonium, quale exigebat Auguſtinus, de hoc, quod illæ ex earum numero ſint, valde tamen rationabiliter ita inferunt ex verbis Chriſti: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò* : adiunctis ſequentibus, *cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

(f) *In Ioan. cap. 16.*

6 Quæ ſic exponunt Cardinalis Toletus. (f) *Multa inquit ſunt, quæ non poteſtis portare modò: cùm autem venerit ille, nempè Paracletus, qui eſt Spiritus veritatis, docebit vos omnia, quæ dicenda ſuperſunt. Hic eſt verus ſenſus: Docebit vos omnem veritatem, nempè ea omnia manifeſtabit, quæ modò habeo dicenda, & quæ, quia portare non poteſtis modò, non dico.*

(g) *Ibidē.*

7 Et P. Maldonatus (g) explicans energiam illorum verborū, *habeo dicere. Habere dicenda, id eſt, decreviſſe illis dicere. Sed quia ferre non poſſent, in aliud differre tempus per Spiritum Sanctum, non meliorem quidem, quàm ſe Magiſtrum, ſed commodiori tempore dicenda.* Cùmque multa pòſt à Spiritu Sancto manifeſtata, iuxta promiſsionem Chriſti, agnoſcant DD, nihil mirum ſi affirment, ea de illorum eſſe numero, quæ Chriſtus in vltima cœna noluit dicere Diſcipulis, ſed dicere habebat poſteriori tempore per Spiritum Sanctum.

(h) *Orat. 37.*

8 Ab huius ſolutionis confirmatione ſtat S. Gregorius Naziãzenus (g) hæc ſcribens. *Enimverò id, quod quibuſdam quoque aliis fortaſſe in mentem venit, ego tamen animi mei fœtum eſſe exiſtimo, ſuperioribus adiungam. Habebat quædam Salvator, quæ à Diſcipulis, licèt alioqui multiplici doctrina implerentur, tunc tamē portari poſſe negabat ob eas fortaſſe, quas attuli, cauſas* (verbis inferiùs referendis comprehenſas) *atque idcircò ea ipſis occultabat. Ac rursùs dicebat forè, vt ab adveniente Spiritu omnia edocerentur. Ergo vnum ex eo-*

Digitized by Google

eorum numero eſſe cenſeo, ipſam Spiritus Sancti Deitatem in poſterum apertiùs declarandam.

9 Stant etiam, pariter numerum extendentes, Iuſtinus, (*i*) ad Regnum ſpirituale Chriſti, quod terreſtre futurum putabant Apoſtoli, Origines, (*k*) & Didymus (*l*) ad ſpirituale legis antiquæ obſervantiam; quos omnes in idem coacervat advocatus Toletus, (*m*) hæc addens. *Excuſandus eſt autem Auguſtinus, quia populo rudi loquebatur, cuius non eſt alta myſteria inquirere, nec recordatus eſt, tam graves DD. iſta inquiſiviſſe, quos temeritatis arguere, modeſtia, & mira Auguſtini humilitas non pateretur.* Quibus in gratiam eiuſdem S. Auguſtini explicatiùs addo, eum nunquam exiſtimaturum temerarium aliquem Doctorem Catholicum, ſi is, vt graves alij aſſueſcunt, nonnulla determinaret dicenda ex eorum numero, quæ Chriſtus noluit in vltima cœna Diſcipulis aperire; ſed ſibi ſoli, præ magna ſua humilitate, & modeſtia, comminatum fuiſſe temeritatis notam, ſi illorum quædam deſignaret. Quam expoſitionem in reverentiam tanti Doctoris non obſcurè indicavit etiam Cardinalis Lauræa. (*n*)

10 Subſcribunt præterea, Angelicus Doctor (*o*) inquiens. *Sic ergo, quæ portare non poterant, ſunt plena cognitio Divinorum, quam non habebant tunc, putà æqualitatis Filij ad Patrem, & huiuſmodi.*

11 Anſelmus Havelsburgenſis Epiſcopus, qui in ea diſputatione, (*p*) quam cũ Nechita Archiepiſcopo Nicomediæ habuit, (nondum edita tempore Cardinalis Hoſij, (*q*) illum laudantis,) adferens verba Chriſti, *multa habeo vobis dicere, &c.* ea mirè explicat, deſignans aliqua, quæ ex illorum numero eſſe, atque à Spiritu Sancto, iure ſibi concrediti magiſterij, ſucceſſu temporum edoceri, ait. Sufficiat hæc referre. *Miſſarum ſolemnia, & cætera divina officia in laudem Dei appoſuit,* vtique Spiritus Sanctus: *per Catholicos Doctores, quaſi per organum ſuum Sacras Scripturas veteris, & novi Teſtamenti, nobis tãquàm extrinſecùs fluendo aperuit: arcana quoque, divino ſub ſigillo divinarum Scripturarum myſterialiter clauſa, familiari inſpiratione nobis inſinuando, tanquàm intrinſecùs rorando innotuit.*

12 Cardinalis Toletus aiens. *Probabile etiam eſt, multa, quæ ad regimen Eccleſiæ, & ſtatum eius pertinebant, de eorum eſſe numero. Denique, quæcumque poſteà Apoſtoli, Spiritu Sancto revelante, dicerunt, tum quantùm ad dogmata, tum quantùm ad ſtatum, & regimen Eccleſiæ ordinandum, & diſponendum, credibile, & probabile*

(*i*) *In Explicat. qq. Gen. Reſponſ.* 112.
(*k*) *Lib.* 2. *cont. Celſ.*
(*l*) *Lib.* 2. *de Spiritu Sancto.*
(*m*) *Vbi ſuprà.*
(*n*) *Tom.* 3. *in* 3. *lib. Sentent. diſp.* 3. *artic.* 4. §. *Vnico. nu.* 119.
(*o*) *Super dictum locum Ioan.*
(*p*) *Lib.* 2. *Cõtrapoſitorũ. cap.* 23.
(*q*) *De Traditionibus cap.* 22.

Digitized by Google

eſt eſſe iſta, de quibus nunc loquutus eſt Dominus. Cardinalis Lauræa, (r) & alij pene omnes, qui de hac re ſcripſerunt. Concluditur ergo ex dictis, perperam Venerab. Antiſtiam temeritatis inſimulari: eò quòd multa de SS. Virgine, ſibi inſpirante Divino Spiritu revelata, inter ea, quæ Chriſtus dicere habebat Diſcipulis, & per ſe dicere noluit, collocat.

(r) *Vbi ſuprà n.* 120. *& diſp.* 4. *art.* 1. *&* 6

13 Neque diſſonum eſt; ea ex illorum numero dici, quæ modò nos portare poſſumus, & tunc Apoſtoli portare non poterant: quia Diſcipuli tunc imbecilles, & imperfecti in Fide erant, vt ex hiſtoria Evangelica conſtat; & comparatio obiecta inſtituitur inter diverſos longè ſtatus: etenim tunc temporis nondum advenerat Spiritus Sanctus, poſt cuius adventum nos iam exiſtimus: vnde abſonum non eſt, nunc dari Fideles capaciores, & multò robuſtiores, quàm tunc fuerint Diſcipuli: ſicut Petrus tunc portare non auſit pro confeſsione IeſuChriſti, quæ poſtmodùm Chriſtiani benè multi hilari animo ſuſtinuerunt. vtì bellè expendit S. Auguſtinus, (s) ideò graviter hæc adiiciens: *Ipſe inventæ ſunt poſtea oves, quod tunc, quando iſta Dominus loquebatur, nondum poterant portare paſtores.* Cenſores igitur Pariſienſes adhortor ad ſanam hanc doctrinam pacato, atque tranquillo corde, portandam, & ſuſcipiendam.

(s) *Vbi ſuprà.*

§. II.

ALIVD ARGVMENTVM PROPONITVR, CVIVS ſolutione præcedentia ampliùs declarantur, & illuſtrantur.

14 CHriſtus Dominus promiſit Apoſtolis, poſtea ipſos cognoſcituros, quæ tunc non aperiebat: id enim ſignificant, & vis adverbij *modò*, & verba, *multa habeo vobis dicere*, & denique ſubſequentia: *cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: ergo abſcondita Virginis Myſteria, & modò manifeſtata Venerab. Abbatiſſæ de Agreda, ex eorum numero non ſunt, quæ Chriſtus Diſcipulis dicere habuit, & cœnæ nocte non detegit. Conſequentia probatur: quia prædicta Virginis myſteria, vt ex eadem Venerab. Abbatiſſa conſtat, & Diſſertat. præced. dixi, non manifeſtavit Deus in primitiva Eccleſia.

15 Augetur difficultas. Referente (a) Auguſtino: *omnes inſipien-*

(a) *Tract.* 97. *in Ioã.*

Digitized by Google

pientiſſimi Hæretici, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, audacias figmentorum ſuorum, quas maximè exhorret ſenſus humanus, occaſione Evangelicæ ſententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait: adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Quem ſacri textus abuſum ex ipſius textus verbis conſtringunt Catholici Doctores, quos inter Guillelmus Eſtius (*b*) ſic arguit. *Non enim dicit Dominus: non poteſtis portare, ſed addit, modò: ſignificans, eos portaturos poſtea; quod & promittit ſequentibus verbis: cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Cùm ergo ne poſtea quidem illa Gnoſticorum dogmata ab Apoſtolis tradita ſint; conſtat, ea non eſſe, de quibus dictum eſt: non poteſtis portare modò.* Quibus verbis idem, quod num. anteced. opponitur argumentum, comprehenditur: ergo vel myſteria illa SS. Virginis manifeſtavit Deus in primitiva Eccleſia, vel falsò Abbatiſſa de Agreda inter ea reponit, quæ Chriſtus in vltima cœna non dixit, & dicere habebat Diſcipulis; atque ſacro textu perversè vtitur.

(*b*) *In eundem locum Ioann.*

16 Ante arguméti ſolutionem animadvertere nonnulla oportet. Primùm, quòd veritates abſconditæ, & ſecundum promiſsionem Chriſti poſtea per Spiritum Sanctum manifeſtandæ, aliæ non ſunt præter eas, quas Chriſtus dicere habebat Diſcipulis, & per ſe non manifeſtavit. Conſtat hoc ex num. 6. & 7. quibus denuo addo perſpicuum prorſus teſtimonium Patris Ioannis Maldonati, (*c*) iam ibidem advocati. *Apoſtolorum* (inquit) *ſtudiũ excitavit* (Chriſtus) *vt quæ illis Spiritus Sanctus dicturus erat, avidiùs exciperent, SCIENTES EA ESSE, QVÆ CHRISTVS TANQVAM ALTIORA IPSORVM INGENIO MYSTERIA DICERE NOLVISSET.*

(*c*) *Vbi ſuprà.*

17 Deinde, quòd promiſsio illa, & conſequenter verba antecedentia, *multa habeo, &c.* à Chriſto Domino dirigebantur, nedum ad Apoſtolos, ſed, & in ipſis, ad totam Eccleſiam, & ſequentium ſæculorum Fideles. Tenet id communis DD. ſenſus, & ſatis explicat Eccleſia in oratione quadã (*d*) dicens. *Mentes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.* Favet etiam, quod ſimilia alia verba, nempè, (*e*) *ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum:* & illa, (*f*) *ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*, intelliguntur dicta Eccleſiæ à Chriſto in Diſcipulis, nedum pro ipſorum tempore, ſed etiam pro ſequentibus eiuſdem Eccleſiæ ſæculis. Pariter ac cum Dominus dixit: (*g*) *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit,*

(*d*) *Quarta die Infra octav. Pẽtecoſtes.*

(*e*) *Ioann. 14. v. 16.*

(*f*) *Matth. 28. v. 20.*

(*g*) *Lucæ 10. v. 16.*

(b) *Lib.8. de Locis Theol.cap. 4. Concluſ. 3.* *nit, me ſpernit,*non modò,vtì optimè adnotat Canus, (b) ad primos Theologos, hoc eſt,Apoſtolos, verba illa referebat,quin etiam *ad Doctores in Eccleſia futuros, quandiù paſcendæ eſſent oves in ſcientia, & doctrina.*

18 Præterea, quòd Chriſtus non promiſit Eccleſiæ per verba illa magiſterium Spiritus Sancti,ita vt finiendum eſſet in die Pentecoſtes, & Spiritus ſimul docturus eſſet edocenda omnia, ſed potiùs ſucceſivè,& pro diverſis temporibus, ſpectatis ipſorum neceſsitate,& opportunitate. Tetigi hoc Diſſertatione præcedenti,& tuetur ſic vniverſa Eccleſia, id opportunè advertente Cardinali Laurea,(i) quodque ſatis ſignificavit iam Concilium Tridentinum (k) dicens.*Eccleſia Catholica ab ipſo Ieſu Chriſto Domino Noſtro,& eius Apoſtolis erudita, atque à Spiritu Sancto illi omnem veritatem IN DIES SVGGERENTE edocta,&c.*Hoc etiam ſubinferunt Interpretes,& præcipuè Moderniores,ex textu Græco, qui perinde valet,ac *deducet in omnē veritatem,*pro noſtro,*docebit vos omnem veritatem*: verbo quidem, *deducet,*(l) *inſinuatur* (ait Toletus) *motus quidam,& ſucceſſio: nam non ſimul, & ſtatim omnia aperit, ſed ſucceſſu temporis.*

(i) *Vbi ſuprà diſp.5. art.11. §. Vnico nu. 64.*
(k) *Seſſ.13 in proœm.*
(l) *Vbi ſuprà.*

(m) *Vbi ſuprà.* 19 Et expreſsiùs Maldonatus. (m) *Deducere in omnem veritatem non ſignificat quoquo modo veritatem omnem docere, ſed ita docere, quaſi Magiſter diſcipulum manu ducat,viamque illi accommodatè ad eius ingenium veritatis oſtendat, vt non omnia ſimul, non ordine præpoſtero, priùs, quæ difficiliora, deinde, quæ faciliora ſunt, tradens: ſed contrà,faciliora priùs,mox difficiliora, ſuo quidque tempore, prout proficit, prout poteſt capere.*

20 Huius autem lentæ per Spiritum Sanctum Eccleſiæ inſtitutionis congruentes rationes paucis verbis indicavit ſummus ille Theologus S. Gregorius Nazianzenus, (n) qui, poſt explicatum Spiritui Sancto demandatum magiſterium in prædicto textu, lentamque Eccleſiæ diſciplinam,inde emanantem, ſubdit. *Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes, Theologiæque ordinem, quem nobis præſtiterit, vt nec repentè, neque confertim omnia in lucem efferamus,nec in finem vſque occultemus: illud enim inconſultum,atque ab arte alienum fuerit: hoc impium: illud alienos offendere, ac vulnerare queat: hoc noſtros à nobis abalienare.*

(n) *Orat. 37.*

21 Poſtremò,quòd Spiritus Sanctus ſuum explet magiſteriū, Eccleſiæ à Chriſto promiſſum verbis illis; *docebit vos omnem veritatem*: nedum publicis revelationibus, quin & privatis, nonnullis

Fide-

Fidelibus iã factis,& poſthàc communicandis. Prior pars indubia eſt,& poſterior valde conſonat verbis,*docebit vos omnem veritatẽ*, clarè aſſeritur à Salmeronio,(*o*) & à nemine, quem viderim,poſitivè excluditur:imò,vt reor,perſpicuè probatur ex SacraScriptura: ſiquidem die Pentecoſtes in confirmationem deſcenſus Spiritus S. ipſiuſque magiſterij,refricavit Apoſtolus Petrus (*p*)Ioelis Prophetiam: (*q*) *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem terram,& prophetabunt Filij veſtri, & Filiæ veſtræ.* Cuius ſenſus is eſt, exponente Cornelio à Lapide (*r*) cum communi ſententia DD. *Poſt Chriſtum Doctorem,eiuſque mortem,& aſcenſum in cœlum,ego Deus effundam Spiritum Sanctum in Pentecoſte, ac deinceps; primo Eccleſiæ ſæculo viſibiliter in Apoſtolos,& Chriſti Diſcipulos,ſequentibus verò ſæculis inviſibiliter eundem effundam in omnes,quotquot per Baptiſmum renaſcentur,&c.*

(*o*)*In hunc locũ tom.9 Tract.69.*
(*p*) *Act. Apoſt.* 2. *v.* 17.
(*q*) *Ioelis* 2. *v.* 28.
(*r*) *In Ioelem ibidẽ.*

22 In comprobationemque veritatis illorum verborum , *& prophetabunt Filii veſtri, & Filiæ veſtræ*, adducunt dictus Cornelius,& Pater Lorinus,(*s*) donũ revelationum privatarum à naſcente Eccleſia per omnia ſæcula viguiſſe , futurum atque vſque ad finem mundi: & Doctores omnes Catholici ex iiſdem verbis Ioelis evincunt huiuſmodi revelationum beneficium. Ergo , præſparſas doctrinas ad ſummam redigendo , maniſeſtè intelligitur, conſentaneum valdè eſſe SacræScripturæ,his temporibus privatim aliqua revelari,à Spiritus Sãcti Magiſterio,promiſſo per Chriſtum verbis illis,*docebit vos,&c.* emanantia,ac proinde meritò reponenda inter ea multa, quæ idem Chriſtus Dominus dicere habebat,& non dixit Diſcipulis nocte cœnæ.

(*s*) *In acta Apoſtol. cap.*1.

23 Nunc iam reſpondeo argumento propoſito num. 14. ea, quæ Chriſtus ſuæ Eccleſiæ dicere habebat, & tunc abſcondita retinuit, omnes illas eſſe veritates, quas Spiritus Sanctus ſuccedentibus temporibus, inſpecta ipſorum neceſsitate, & opportunitate, manifeſtat, ſive publicis revelationibus, ſive privatis: cùmque de numero harum veritatum ſint myſteria SS. Virginis privatis revelationibus recèns aperta Venerab. Abbatiſſæ de Agreda ; inde liquet,hæc myſteria inter illa computanda, quæ Chriſtus dicere habebat, & tunc non dixit : ſed commodiori tempore per Spiritum Sanctum reſeranda promiſit : vnde invicem collatis verbis Chriſti,textu,ac contextu Venerab.Abbatiſſæ,is deducitur pro præſenti negotio ſenſus ſincerus , & genuinus. *Quòd Chriſtus decrèverat multa Eccleſiæ ſuæ manifeſtare, inter quæ myſteria etiam SS. Virgi-*

Digitized by Google

nis hac in Myſtica Civitate contenta; ſed quia Fideles, (ob rationes Diſſertat. præced.) *tunc, id eſt, tempore naſcentis Eccleſiæ, illa ferre nõ poterant; Spiritus Sanctus, tanquàm Magiſter mittendus, & promiſſus, vt omnem edoceret veritatem, quàm Chriſtus determinaverat Eccleſiæ ſuæ patefacere, revelaturus erat prædicta Virginis myſteria tempore congruo, & opportuno.* Qui ſenſus nihil obiurgatione dignum præſefert.

24 Magnum hæc robur accipiunt ex verbis Conſalui Duranti, (t) in ſimili differentis de quibuſdam Virginis Mariæ privilegijs. Ait enim, noluiſſe Deum in principio naſcentis Eccleſiæ palàm facere omnibus Matris ſuæ Conceptionem, & ad cœlos anima, corpore; Aſſumptioné, *ALIAQVE SINGVLARIA PRIVILEGIA ILLI DIVINITVS CONCESSA: quoniã nõ expediebat cuncta Eccleſiæ divina arcana ſimul reſerare, & Fidelibus ſuis omnia ſimul aperire, quod inſinuavit Chriſtus Dominus Ioan. 16. qui poſtquàm in ſermone vltimæ cœnæ plura Diſcipulos docuiſſet, adhuc multa habeo, inquit, vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.* Proficit namq; Eccleſia, vt in virtutibus, & bonitate, ita in ſcientia & doctrina, Deo eam pleniùs quotidie illuſtrante: eaque de cauſa *Cantic. 6. comparatur auroræ, dũ dicitur, quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora:* aurora quippè temporis proceſſu magis ſplendet, rutilat vehementiùs.

(t) *Lib. 6. revelat. S. Brigittæ cap. 55. in notis.*

25 Neque vrget, quòd Apoſtolis dicantur poſtea manifeſtanda, quæ tunc Chriſtus, quia ab illis eo tempore portari nequibant, non aperuit. Primò: nam quamvis Apoſtoli explicitè noviſſent omnia myſteria SS. Virginis; quæ in Myſtica Civitate deſcribit Venerab. Abbatiſſa, quemadmodùm illorum multa agnoverunt, vt ex 2. & 3. parte eiuſdem operis conſtat; adhuc verùm eſſet, prædicta myſteria primitivæ Eccleſiæ manifeſta non fuiſſe, vt eadem Author docet: quippè his verbis, vt verè affirmentur, ſatis conſulitur, excludendo, myſteria illa tunc in vulgus prodiiſſe, aut communi aliorum Fidelium, præterquàm Apoſtolorum, notitiæ expoſita fuiſſe: ea enim Apoſtolos aliis Fidelibus celaſſe, maximè congruit propter rationes præced. Diſſertat. expenſas; & vel indè facile creditu fit, quòd plura alia divina arcana, ab ipſis expreſsè intellecta, cæteris minimè manifeſtaverint: vt advertit Maldonatus (u) dicens: *Idem ab Apoſtolis factum, vt non omnia ſcripta, multa etiam ne viva quidem voce nobis traderent, illud ipſi teſtantur: hoc rationi conſentaneum eſt, ſive quia Chriſti, & Spiritus Sancti exemplum imitari voluerunt, ſive quòd nedum homines omnia poterant ferre, &c.*

(u) *Vbi ſuprà.*

Se-

26 Secundò, in Apoſtolis & conſiderandi ipſi ſunt, & cæteri Fideles, quorum perſonas tunc gerebant: vt etiam explicuit Venerab. Author, verbis textui reprehēſo immediatè ſubiunctis, quę, par erat, non reticuiſſe Pariſienſes. *Propterea,* inquit, *Verbum homo factum, dixit Diſcipulis ſuis in vltima Cœna: multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Loquutum eſt in illis toti mundo, qui, niſi priùs firmiter ſtabilita lege gratia, & Filij Fide, ineptus fuit ad hæc Myſteria ſuſcipienda, &c.* Vnde verba, *docebit vos omnem veritatem,* diſtributione hac intelligenda ſunt, vt ſcilicet Apoſtolis quàmplures veritates, Spiritu Sancto illuminante, affulſerint, alijs, quæ ſupererant, ſequentibus Eccleſiæ temporibus revelandis: ideòque ſacer textus non cogit, quominùs aſſeratur, Apoſtolos non cognoviſſe omnia SS. Virginis myſteria, quæ à Venerab. Abbatiſſa de eorum numero dicuntur, quæ Chriſtus nocte cœnæ aperire noluit, & promiſit, à Spiritu Sancto poſtea manifeſtanda.

27 Præterea: verba illa, *docebit vos omnem veritatem,* comprehendere omnes veritates, progreſſu temporum ab Eccleſia in Canonem Fidei relatas, & referendas, ſentiunt omnes Interpretes, ac Polemici, & nihilominùs ipſi aſſerunt, quod Apoſtoli non cognoverunt explicitè omnes has veritates, quamvis eas cognoverint implicitè, id eſt, quamvis ita inſtructi fuerint circa principia Fidei, vt propoſita illis qualibet dictarum veritatum, ac de ea interrogatis, protinus infallibili aſſenſu iudicaſſent id ipſum, quod explicitè definivit, aut definiet Eccleſia. Legantur Guillelmus Eſtius, (*x*) & Cardinalis Laurę̨a (*y*) dilucidè admodùm loquentes in hunc ſenſum. Quid nunc mirum, ſi Apoſtolis non manifeſta dicantur plura SS. Virginis myſteria adhuc ab Eccleſia non definita, & nunquam forſan definienda?

(*x*) *Vbi ſuprà.*
(*y*) *Vbi ſuprà diſp.* 3 *art.* 4. §. *Vnico, & diſp.* 6. *art.* 3. §. 2. *nu.* 105.

28 Augmentum difficultatis num. 15. propoſitum, nullius roboris eſt. Ideò enim Hæritici illi accuſantur, & quidem iuſtiſsimè: quia Sacro Textu colorabant dogmata falſa, Fidei adverſą, & euſque horrenda, vt vel immundum ipſum Spiritum puderet, talia evomiſſe. Audiatur S. Auguſtinus, (*z*) qui poſt obiecta verba, in hæc ſe effundit. *Quaſi hæc ipſa ſint, quæ tunc Diſcipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus Sanctus, quæ palàm docere, atque prædicare, quantalibet feratur audacia, Spiritus erubeſcit immundus.*

(*z*) *Vbi ſuprà.*

29 Audiatur inſuper S. Thomas. (*aa*) *Ex hoc tamen quod dicit, non poteſtis portare modò, diverſi Hæretici aſſumunt ſui erroris velamen-*

(*aa*) *Vbi ſuprà.*

Digitized by Google

mentum : dum his, qui eis adhærent, quædam in occulto dicunt turpiſſima, quæ non audent dicere in manifeſto: quaſi hæc ipſa ſint, quæ tunc Diſcipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus Sanctus, quæ palàm docere, atque prædicare Spiritus hominis erubeſcit.

30 Obiurgatus is abuſus ab Auguſtino, aliſque ex ipſo DD. Catholicis, eo ſubſtruebatur ab Hæreticis, quod in numerum eorum, quæ Chriſtus dicere habebat Apoſtolis, & non dixit, ſed promiſit edocenda à Spiritu Sancto, aliqua adſcriberentur adverſa doctrinis, quas Apoſtoli ipſi docuerunt, & nobis tradiderunt: quam ſubſtructionem prædicti DD. efficaciter inſaniæ coarguunt verbis ipſius textus: *cùm autem venerit Spiritus ille veritatis*: nam cùm Spiritus Sanctus, qui & Apoſtolos erudivit, & Eccleſiæ perpetuò aſsidet, ſit Spiritus veritatis, docere nequit dogmata inter ſe pugnantia, & aberrantia, ſed vera, ac proinde ſibi ipſis conſona: quippè verum vero non contradicit. Vnde Argumentum Eſtij contra Hæreticos imbecille eſt, niſi hoc noſtro iuvetur: quia Eccleſia multa definivit, explicitè ab Apoſtolis non cognita, id etiam Eſtio fatente, (*bb*) quamvis, utpotè à Spiritu Sancto edocta, nihil docere poſsit adverſum Apoſtolorum doctrinis, quippè ab eodem Spiritu inſpiratis. Et hac via omnino confutatur abuſus illorum Hæreticorum, qui ad abſurda ſua dogmata coloranda ſacrum allegabant textum.

(*bb*) *Vbi ſuprà.*

31 At Venerab. Author prorſus diſsidet ab ſpurcitiis Hæreticorum: ea enim, quæ, loquens de SS. Virgine, aſſerit de multis illis eſſe, quæ iuxta Evangelicam lectionem Chriſtus dicere habebat Diſcipulis, & non dixit, ſed manifeſtanda per Spiritum Sanctum promiſit, nihil continent doctrinæ Apoſtolicæ, aut Eccleſiaſticæ repugnans, quinimo omnino congruunt aſſertis, alioqui certis de Beatiſsima Virgine, pietatem Chriſtianam vndequaque redolent, caſtum honorem Almæ Parentis Domini nulla non via ſpirant, ac tandem, ſi, quod futurum ſperamus cuncti ferè Hiſpani, Sedes Apoſtolica annuerit, vt per Vniverſam Eccleſiam inoffenſo pede decurrant, non dubito, quin eximiam vtilitatem Fidelibus omnibus allatura ſint. Quæ igitur conventio horum ad Hæreticorum immunda effata? Qua Dialectica obiicitur iterum, atque iterum Auguſtinus? Inani certè, & non alia, vt meritò contra eam exclamarè poſsim cum Auguſtino ipſo. (*cc*) *Videte acumen, ſed vitreum; quaſi lucet vanitate, ſed frangitur veritate.*

(*cc*) *Serm. 11. de verb Apoſt.*

32 Rurſus. Hæretici proprio ducti ſpiritu ſua effutiebant dogmata:

mata: Venerab. Antiſtita, divina inſpirante aura, dotes Virginis cõſcripſit: Hæretici, ſe iudicio Eccleſiæ ſubducentes, aliud contendebant iacere fundamentum Fidei præter id, quod poſitum eſt: Venerab. Mater, ſe in omnibus ſubmittens Romanæ Sedi, addit ædificium, ſed non relinquit fundamentum: Hæritici, lubricis capti cupiditatibus, prophanum Sacri textus ſenſum invehebant: Venerab. Abbatiſſa, humilitate præventa, à Deo electa eſt, vt piam, & ſolidam eiuſdem textus acciperet intelligentiam. Quare, & Hæretici meritò vapulant ab Auguſtino, & Venerab. Antiſtita adeò ab illis diſtat, vt per omnia obſervaverit ſalutare eiuſdem Auguſtini *(dd)* monitum. *Si quid ergo*, inquit Sanct. Parens, *intellexeris, quod non ſit contra regulam Catholicæ Fidei, ad quam velut viam, quæ te ducat ad Patriam, perveniſti, & ſic intellexeris, vt inde omninò dubitare non debeas, adde ædificium, noli tamen relinquere fundamentum.* Quo nihil aptius dici potuit pro revelationibus privatis.

(dd) Tract. 98. in Ioã.

§. VLTIMVS.

CASTIGANTVR AD VNGVEM CENSVRÆ, earumque vitia ampliùs deteguntur.

33 HÆc *propoſitio* inquiunt Deputati, *falſa eſt, temeraria.* Crediderim, non legiſſe Cenſores inſignem locum Iſidori Peluſiotæ. *(a) Abſurdum eſt*, ait, *vitiis obnoxium eſſe aliquem, quorum accuſet alium, ac medicum (quod aiunt) eſſe aliorum, qui vlceribus ſcateat, velle ea denique committere turpe, quæ acerbè reprehendat.* Si hoc abſurdum, quantò abſurdius, Deputatos eas edidiſſe Cenſuras, quæ Cenſuris eiſdem obnoxiæ ſunt; quia inſontem percellunt doctrinam, atque in piam, & ſanam aſſertionem crudeliter ſæviunt? Tanquam falſam, & temerariam damnant propoſitionem, gravibus nixam fundamentis, vt ex §§. præced. patet, & inſuper nihilo, quod graviter vrgeat, ex adverſo ſtante.

(a) Lib. 5. Epiſt. 196.

34 Certè: aptè potuit Chriſtus Dominus, ſpectata ſignificatione verborũ: *Multa habeo vobis dicere, &c.* ipſis intẽdere ſenſum, quem Antiſtita Venerab. inducit: deinde, non conſtat non intendiſſe eum, nec quidquam efficax pro hac parte militat, cùm pro oppoſita ſuprà appellaverim minimè contemnendam doctrinam, & authoritatem; vnde præfata revelatio impugnari nequit ex obiecto, niſi

Digitized by Google

priùs infringatur ex aliis, quæ ſuperſunt, capitibus ad diſcernendum veras inter, & falſas revelationes: quod hactenus non exhibuere Cenſores: ergo Cenſuræ ipſæ falſitate,& temeritate non vacant, ſic illis verè ſordentes probris, quorum iniquè incuſant Venerab. Authoris placitum: vt iurè in ſingulos Cenſorem quadret, *MEDICE CVRA TE IPSVM.*

35 *Scandaloſa.* Vehementer doleo vſqueadeò facilè ſcandalizari Cenſores in doctrina Venerab. Abbatiſſæ, vt verò ſcandalum à ſe abdicent, notionem propoſitionis ſcandaloſæ repræſento, quam ex communiori Theologorũ ſenſu cõficiunt PP. Salmanticenſes. (*b*) *Propoſitio ſcandaloſa dicitur, quæ in materia morum periculum, & occaſionem ruinæ audientibus affert, quatenus eos aliquo modo retrahit à bono, vel trahit ad malum.* Hæc, niſi per calumniam, qua arte accommodari queunt Venerab. Antiſtitæ placito?

(*b*) *Tract. de Fide. diſp. 9. dub 4. §. 2. nu. 56.*

36 Eximius Soarius, propoſitionem ſcandaloſam, quatenus ſpecialem conſtituit qualitatem, illam eſſe (*c*) dixit. *Quæ in materia doctrinæ, ad Fidem pertinentis, occaſionem errandi vel malè ſentiendi præbet Fidelibus.* Ab hac autem occaſione præſtanda infinitis ſpatiis diſtat Venerab. Abbatiſſæ aſſertio: vt evincunt iam ſuperiùs dicta. Quare, ſi quodnam à Cenſoribus obtruditur ſcandalum, illud reverà non activum, ſed paſsivum, non quidem datum, ſed acceptum erit, quamvis non ex malitia Cenſorum, vt piè exiſtimo, ex ipſorum tamen ſubortum ignorantia: quam aut arcere, aut depellere potuerunt, rem maturè conſiderando, & Authores conſulendo, præſertim Illuſtriſsimum Ximenium à Samaniego, (*d*) (ex quo valde profeci in hac diſſertatione) cum Deputatorum aliqui glorientur, ſe linguam Hiſpanam callere: quibus omnibus prætermiſsis mirum non eſt, abnormes protuliſſe Cenſuras: *Quia*, inquiente (*e*) Hilario, *neceſſe eſt, quod ſtultè ſapitur, ſtultè & prædicetur.*

(*c*) *Diſp. 19. de Fid. ſect. 2. nu. 19.*

(*d*) *Not. 4. in 1. part. oper. Ven. Abbat.*

(*e*) *Lib. 8. de Trinit.*

37 Reponunt Cenſores: placitum Venerab. Matris *Hæreticis favere: qui hac Evangelica ſententia abuſi ſunt, vt novitates, & audacias figmentorum ſuorum colorarent.* Rediviva experior in Cenſoribus ita reponentibus, quæ Gregorius Niſſenus, (*f*) criminationibus ab Adverſariis impetitus, obiiciebat ipſis, nempè: *cùm ab vno aliquo crimine repulſi fuerint, alteri adhærent, & ab illo rurſus aliud accipiunt, etſi omnia crimina diluta fuerint.* Convulſæ in præcedentibus fuere hæ omnes Cenſuræ, ſed tamen iterum addo. Ergo deinceps iam non licebit Catholicis vti Sacræ Scripturæ textibus

(*f*) *Lib. 1. de S. Trin. ad Euſtach. in principio.*

be-

Digitized by Google

benè multis, quibus Hæretici abutuntur, vt ſpurciloquia ſua intrudant? Inſana conſequentia, alioqui admittenda, ſtando dialecticæ Cenſorum: Hæretici quidem damnantur: quia verbo Dei abutuntur: at cur dãnemus, Venerab. Abbatiſſam, alioſq; Authores, eodem verbo Dei ritè, & rectè vtentes; etiamſi ipſorum doctrinam impiè detorqueant Hæretici ad falſa, & malè olida ſua dogmata, fuco mentienda? Sunt itaque Deputati, quos in abuſus crimine deprehendo, utpotè confabricatos poſtremam hanc Cenſuræ partem ex verbis D. Auguſtini in diſsimili, & prorſus adverſo argumento, contra Hæreticos loquentis. Relegatur num. 28.

38 Inſuper: vt benè Maldonatus (g) aiebat, dupliciter Evangelica illa ſententia abuſi ſunt Hæretici. *Alij, dum ex hoc loco omnia ſua commenta probare volunt, dicentes, non eſſe quidem à Chriſto, & Apoſtolis tradita, fuiſſe tamen per Spiritũ Sanctũ, quemadmodùm Chriſtus prædixerat, ipſis revelata. Quod de Gnoſticis neſcio quibus ſcribit Auguſtinus,* vbi ſuprà num. 15. *Contrà verò Lutheranorum, & Calviniſtarum, Interpretes idem nobis, quod illis Auguſtinus, obiiciunt, quòd quidquid nobis licet, præter Verbum Dei ſcriptum in Eccleſiam inducere, hoc loco ſtabilimus.* Ergo cùm Cenſores tollunt, & condemnant in Venerab. Authore, vſum huius loci, propter abuſum Hæreticorum Gnoſticorum, favent Lutheranis, & Calviniſtis, qui Catholica impugnatione Hæretici Gnoſticorum abuſus abutuntur etiam contra Catholicos; ac deinde iidem Cenſores occaſionem præbent Hæreticis, aliiſque itidem ex Catholicis minùs cordatis, contemnendi Traditiones, Eccleſiaſticas quaſdam definitiones, & alia plura in Verbo Dei ſcripto nõ invẽta, & nihilòſecius à Catholicis aſſerta ex illorum numero, quibuſdẽ loquitur Ioannis textus: *Multa habeo vobis dicere, &c.* Intelligentia igitur prædicti textus iudicium diligit, quod non defuit Venerab. Abbatiſſæ. Quid nunc Deputati de Cenſura veſtra? Videtiſne tandem quemadmodùm veſtra iſta *non argumentatio ſed veſica, vt verbis* loquar (h) Auguſtini, *non ſolum inani ſono, SED ETIAM IN CAPITE VESTRO CREPVERIT?*

(g) *Vbi ſuprà.*

(h) *Lib. 2. cont. Litt. Petilia. cap.* 101.

39 Hactenus de peccatis commiſsionis, quibus irretitur Deputatorum Cenſura, pariterque ipſi non diſſentanea Cenſura Facultatis (vtique ſuppoſititia, vtì ſemper intellectum volo) reliquum verò eſt, vt verba faciam de peccatis omiſsionis; quæ duo quidem ſunt, malam fidem Cenſurarum ſatis ſuperque demonſtrantia. Primum: Venerab. Mater propoſitiones huiuſce, & antecedentium

Digitized by Google

articulorum, effert nomine Dei, & tanquàm ipſius verba; quod, etſi expreſſerint Cenſores artic. 1. & 2. ſic repræſentantes materiam iudicio ſubiectam: *inducitur Deus ſic loquens, &c. inducitur Deus ſic loquens, &c.* in præſenti artic. reticuerunt, incipientes à verbis: *propterea Verbum, &c.* quaſi Venerab. Author eam propoſitionem proprio nomine conſcriberet, diceretque. Pariſienſes hos modò rogo, qua fide prætermiſerint animadverſionem illam Dei loquẽtis, qua, vel ſolum adiecta, omninò præcludebatur aditus, & prolatis Cenſuris, & primo argumento ex S. Auguſtino deſumpto, paragraphoque. 1. propoſito?

40 Secundum: poſt taxatam propoſitionem, nullis interpoſitis verbis, hæc ſubiunxit Venerab. Mater: *Loquutus eſt* (Chriſtus) *in illis* (Apoſtolis) *vniverſo Mundo*: quibus iuxta dicta à numero 17. præimpeditur ſecundum argumentum §. 2. obiectum, & pervius, atque irreprehenſibilis indicatur ſenſus Evangelici textus. Quæ etiam verba prætererierunt Cenſores, placitum Authoris tranſcribentes avulſum ab iis, quæ omnem contra illud abalienare poterant difficultatem. Iteratò ergo interrogo ipſos: qua fide contextum omiſerint?

41 Si callidè, vtque inde maior crearetur invidia doctrinæ Venerab. Authoris, omiſerunt, probroſa malæ fidei nota tabeſcunt, & indidem honorabilior iudicabitur Venerab. Matris aſſertio. Si per incogitantiam ſibi accidiſſe dicant, plenè adhuc non detergunt græcæ fidei ſordem: quippè illa in præſenti rerum occurſu creditu difficillima eſt, & in foro Fori, niſi validè probetur, ad excuſationem non admittitur, circa res pręſertim ex munere, & officio concreditas: quilibet enim præſumitur ſcire, & advertere, quæ in ſe ſuſceptæ obligationis ſunt. Atque vt non omnia ignorent Cenſores, agnoſcant ad ipſos ſpectare errata ſua corrigere, ſuaſque extra fines veritatis prorſus oberrantes Cenſuras obliterare; & palinodiam canere, hæc ſimul (ex Cypriano (*i*)) occinendo: *cùm nobis meliora offeruntur, non vincimur, ſed inſtruimur.*

(*i*) *Epiſt.* 71.

42 Demùm ipſis reſpondeo verbis, quibus olim Auguſtinus reſpondit nonnullis, priorem partem ſui operis de Civitate Dei iã editam (*k*) malè inſequentibus. *Conſiderent*, aiebat, *omnia diligenter, & fortè SINE ELVDIO PARTIVM IVDICANTES, talia eſſe perſpexerint, quæ potiùs exagitari, quam convelli poſſint, garrullitate impudẽtiſſima, & quaſi Satyrica, vel mimica levitate: COHIBEANT SVAS NVGAS, ET POTIVS A PRVDENTIBVS EMENDARI,*

(*k*) *Lib. 5. de Civit. cap. 27.*

QVAM

ARTICVLVS IV.

EOdem num.10. *Nolo ea ſpectari ab hominibus, tanquàm opiniones, aut ſimplices viſiones, ſed tanquàm conſtantem, & infallibilem veritatem.*

CENSVRA DEPVTATORVM.

CVm ad Eccleſiam pertineat Fidelibus proponere veritates, tanquàm conſtantes, & infallibiles ex verbo Dei ſcripto, vel non ſcripto, per Apoſtolos ad nos transmiſſo : hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, & Authoritati Eccleſiæ derogans.

SVPPOSITIA CENSVRA FACVLTATIS.

HÆ propoſitiones, quibus Author aſſerit, veritates ſibi fuiſſe revelatas, ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis incognitas, imò, & de ipſarum numero, quas Apoſtoli ipſi portare non poterant, eaſque tanquàm conſtantes, & infallibiles Fidelibus proponit; falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ, Fanaticis, & Hæreticis favent, ad omnes novitates viam aperiunt, & authoritati Eccleſiæ derogant, ad quam pertinet Fidelibus proponere veritates tanquàm conſtantes, & infallibiles, ex verbo Dei ſcripto, per Apoſtolos ad nos transmiſſo. En, prout iacet, Cenſuram Facultatis, ſub vno articulo comprehendentem propoſitiones huius, tertij, ac ſecundi articuli.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

CRISIM CENSVRARAM EXHIBEO CVM earundem caſtigationibus.

ARrogantes viri habere hoc proprium ſolent, vt dum in nimia invectione prodeunt, etiam invehendo mẽtiantur, & cùm non poſſint reprehendere iuſtè quæ ſunt, reprehendunt mentiendo, quæ non ſunt. Hæc S. Gregorius Magnus, (*a*) quæ an Cenſoribus quadrent, ſi non ex arrogantia, quod arbitror, ex ignorantia tamen, ſuborta, diſcuſſioni ſubiicio.

(*a*) *Lib.* 26 *Moral. cap.* 7.

§. I.

VNICVM ARGVMENTVM PROPONITVR, ET variæ aſſertiones ſtatuuntur.

1 TOTVM quantum Cenſuræ fundamentum, in ipſa non obſcurè indicatum, ad hoc devolvitur argumentum: Author myſteria SS. Virginis ſibi recèns revelata, quibuſde loquitur, propoſuit, tanquàm veritates, non opinabiles, ſed certas, conſtantes, & infallibiles ab hominibus ſuſcipiendas; atqui non certitudine evidentiæ, aut alia, medio naturali innixa: quippè nulla huiuſmodi notitia illorum myſteriorum nobis affulget: ergo Fidei divinæ certitudine. Hoc autem abſurdum eſt. Tum, quia non pluris ſed minoris vſque modò habentur hæ revelationes Antiſtitæ de Agreda, quàm revelationes S. Hildegardis, & S. Brigittæ; quæ nihilominùs à Fidelibus divina Fide non creduntur, ſed humana. Tum, quia Fidelibus proponere veritates vt Fide divina credibiles, ad ſolam attinet Eccleſiam, ſoliuſque ipſius eſt: quocircà olim dicebat Auguſtinus. (*b*) *Ego Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoneret authoritas.* Et Angelicus Thomas (*c*) docuit, quod *formalis ratio obiecti Fidei eſt veritas pri-*

(*b*) *Contra Epiſt. Fundam. cap.* 5

(*c*) 2. 2. *quæſt.* 5. *art.* 3.

prima, ſecundum quod manifeſtatur in ſcripturis ſacris, & doctrina Eccleſiæ.

2 Obiectio plura involuit, quæ benè explorata omnem evertunt difficultatem: ideoque ſequentes ſtatuo aſſertiones. Prima aſſertio: Abſque Eccleſiæ propoſitione queunt aliquæ veritates, à Deo privatim revelatæ, ei, cui revelantur, ita ſufficienter credibiles proponi, vt ipſe poſsit firmiter, & abſque omni prorſus formidine de oppoſito, illas credere, & revelationi aſſentiri. In hanc doctrinam conſpirant cuncti Theologi: Deus enim per ſe ipſum valet, quod aliàs facere poteſt per Eccleſiæ propoſitionem, in ordine ad hoc, quod veritas revelata ſufficienter credibilis cuique repræſentetur, & ſit; idque de facto præſtitit cum Angelis, Adamo, Canonicis Prophetis, necnon innumeris aliis; quibus non eſt dedignatus beneficium privatarum revelationum impertiri.

3 Vnde, qui privata revelatione à Deo illuminatur, non rarò tenetur illam, ipſiuſque obiectum affirmatè credere: cùm ſcilicèt revelatio ſatis proponitur veluti ita credibilis, quod multoties evenit: tunc ergo gravis erit irreverentia in Deum, eius dicto reſiſtere, aſſenſumve ſuſpendere, aut formidoloſa adhæſione ſubſcribere; non ſecus ac eſſet, ſi cum publica Dei revelatione ſufficienter propoſita quis ita ſe gereret. Nec huius aſſertionis doctrinam vllatenus infirmat S. Auguſtini dictum: rectè namque aiebat, ſe non crediturum Evangelio, niſi Eccleſia proponeret: quia ipſe non habuerat privatam Evangelij revelationem ſibi ſufficienter propoſitam, quam ſi habuiſſet, vtique credidiſſet.

4 Secunda aſſertio: Veritates reipsà implicitè contētæ in verbo Dei ſcripto, vel tradito, per Apoſtolos ad nos tranſmiſſo, quamvis ab Eccleſia non proponantur expreſsè vt credendæ, credibiles ſunt, & credendæ, Fide Theologica ab aliquo, ſi ipſi Deus privata illuſtratione explicitè illas revelaverit, & ſuam loquutionem ſufficienter propoſuerit. Sic ſentiunt communiter DD. extra Scholam S. Thomæ, quos proinde nominatim non refero. Ex Thomiſtis conſentiunt Auguſtinus Redingus, (*d*) Vicentius Ferre, (*e*) & PP. Salmanticenſes, (*f*) qui alios etiam advocant; & putaverim, nullum Thomiſtarum refragari, ſi de vocibus non contenditur. Quoniam Fides Theologica, revelationi divinæ per Eccleſiam propoſitæ incumbens, implicitè attingit veritates illas: ergo eadem Fides Theologica explicitè attinget eas, ſi à Deo privatim revelante, explicitè proponantur ſufficienter; haud aliter, ac ſi ab Eccleſia diſtinctè pro-

(*d*) *Tom.* 9 *quæſt.* 1. *art.* 1. *controv.* 4.
(*e*) *De Fid. quæſt.* 1. §. 3. *nu.* 21.
(*f*) *De Fid. diſp.* 1. *dub* 4. §. 2. *nu.* 115.

Digitized by Google

proponerentur credendæ: diverſitas equidem iſta propoſitionum non eſt, cur obſtet identitati virtutis, inclinantis in vtroque eventu ad aſſentiendum huiuſcemodi veritatibus propter divinam revelationem.

5 Tertio aſſertio: veritates privatè à Deo revelatæ, etiamſi neque implicitè contentæ in verbo Dei ſcripto, vel tradito, per Apoſtolos ad nos tranſmiſſo, pertinent ad obiectum Fidei Theologicæ, eiuſque aſſenſum natæ ſunt extorquere, præmiſſa ſufficienti propoſitione, ſi Deo vt primo credibili ſubordinantur. Aſſertionem hanc abſolutè, & abſque adiecta limitatione; *ſi Deo, &c.* amplectitur Subtilis Scotus, (*g*) quem frequentiùs ſequuntur ſui diſcipuli. His adhæret maior, & melior pars Authorum Societatis Ieſu. Eandem doctrinam cum limitatione ſubiuncta tuentur, alioqui contrà ſentientes, Thomiſtæ, vt videre licet apud Vincentium Ferre, (*h*) & PP. Salmanticenſes. (*i*)

(*g*) *In 3. diſt. 23. quæſt. vnic.*
(*h*) §. 3.
(*i*) §. 3. *nu.* 115.

6 Verùm quid ſibi velint Thomiſtæ per illam ad Deum, vt primum credibile, ſubordinationem veritatis revelatæ, innuit Ioannes à S. Thoma, (*k*) & lucidè tradit (*l*) præfatus Ferre vbi proximè inquiens. *Deus, & poteſt revelare ea, quæ ad noſtram ſpectant ſalutem, vel poteſt revelare ea, quorum cognitio ſolùm ſpectat ad tollendam ignorantiam à nobis: vt ſi doceret, quot grana arenæ ſunt in littore maris, doceret nos id, quod conduceret ad auferendam ignorantiam circa talem veritatem, non autem quod aliquomodo conduceret ad ſalutem æternam obtinendam. Quando ergo id, quod revelatur, reducitur in Deum primo modo revelantem, tunc credere illud attinet ad Fidem Theologicam; quando autem reduceretur in Deum revelantem ſolùm ſecundo modo, crederetur Fide divina communiter dicta, non verò ea, quæ Theologica virtus eſt.*

(*k*) 2. 2. *quæſt.* 1. *diſp.* 6. §. *Quod vero*
(*l*) *Nu.* 26.

7 Contra quam, & præcedentis num. doctrinam non vrgent verba ex D. Thoma in argumento tranſcripta: quia S. Doctor loquitur de Fide noſtra Theologica, quatenus Fidelibus communis eſt, vel quatenus attingit veritates, quæ ſunt de numero communiter, & ab omnibus credibilium, & hac ratione vltrà appellatur Fides Catholica, adnititurque divinæ revelationi per Eccleſiam duntaxat propoſitæ, eò quòd Deus nolit ſecundum præſentem Eccleſiæ inſtitutionem verba ſua alia via, tanquàm Fide divina credenda, vniverſitati Fidelium ſufficienter proponere. Hoc autem non vetat, quominùs eadem entitativè virtus Fidei Theologicæ inclinet ad aſſentiendum veritatibus ſecretò revelatis, ac ſufficienter

ter

Digitized by Google

ter propoſitis nonnulli, eaſque ſub ſphæra ſui obiecti ambiat, quemadmodùm iiſdem numeris dixi.

8 Quarta aſſertio. Etiam ſpectata præſenti Eccleſiæ à Deo inſtitutione contingere poteſt, vt privata revelatio alicui facta immediatè, quibuſdam aliis, eam audientibus, ita proponatur, vt ſit ipſis evidenter credibilis Fide divina, quamvis huiuſmodi propoſitio ab Eccleſia non effluat. Hoc multis ſuadet Petrus Hurtadus, (*m*) & eventu comprobat: ſiquidem *Sanctus Petrus Alexandrinus fecit evidenter credibilem Achillæ, & Alexandro privatam ſuam revelationem de futura hæreſi Arriana: nam in confirmationem revelationis prædixit, Achillam ſibi ſucceſſurum in Pontificatu, Alexãdrum verò Achillæ. Quod cùm videret Alexander, debuit obedire præcepto Sancti Petri de interdicenda Eccleſia Arrio.*

(*m*) *De Fide diſp.* 9. *ſect.* 3. §. 20.

9 Reddit rationem, & ſimul confirmat Franciſcus Oviedus, (*n*) dicens. *Poteſt Deus prophetiæ donum, vel miraculorum gratiam conferre illi, cui privata revelatio facta eſt, & talia poterit prophetizare, ſeu talia miracula patrare in confirmationem ſuæ revelationis: vt revelatio fiat evidenter credibilis omnibus, qui illa miracula videant, & adimpletiones prophetiarum cognoſcant: vt in caſu de B. Petro Alexandrino, cui facta fuit revelatio de hæreſi Arriana naſcitura, & prophetia facta evidenter credibili.* Quæ doctrina indicatur item ab Eximio Soario, (*o*) nec iuri Eccleſiæ in proponendo credenda aliquomodò derogat: Eccleſiæ enim iure privativo ſolùm eſt demandata propoſitio publica, & vniverſaliter credendorum.

(*n*) *Controv.* 2. *de Fid. punct.* 5. *nu.* 70.

(*o*) *Diſp.* 3. *de Fid. ſect.* 10. *nu.* 6.

10 Vnde illi, quibus privata revelatio, vt præmonitum eſt, fieret evidenter credibilis, non modò poſſent, ſed etiam tenerentur, firmiter divina Fide illam credere: quia tunc Deus ipſis loqueretur, & ſuam loquutionem ſufficienter proponeret ad firmam Fidem extorquendam, quam in huiuſmodi circunſtantiis nemo honeſtè negare, aut ſuſpendere poteſt; vt benè adnotat (*p*) Cardinalis Lùgus. Aſt caſus prædictus rarus eſt, & ideò tanquàm regulam generalem aſtruunt præfati Soarius, (*q*) & Oviedus, (*r*) requiri propoſitionem Eccleſiæ, vt alii credere teneantur; verùm tunc iam revelatio, alioqui privata, tranſiret in publicam.

(*p*) *Diſp.* 1. *de Fid. ſect.* 11. *num.* 229.

(*q*) *Nu.* 7.

(*r*) *Nu.* 77.

Digitized by Google

§. II.

DILVITVR ARGVMENTVM, ET DOCTRINÆ Venerab. Authoris ſenſus, iſque ſanus præſentatur.

11 RESpondeo primò. Textus Venerab. Abbatiſſæ, & Gallica tranſlatio inter ſeſe plurimùm diſsidere inveniuntur: quippè exemplaria Hiſpanica habent. *Y no quiero que ſea eſta deſcripcion, y declaracion de ſu vida, opiniones, ni contemplaciones, ſino la verdad cierta*, id eſt, *nolo iſtam deſcriptionem, & declarationem vitæ ipſius* (Deiparæ) *eſſe opiniones, vel contemplationes, ſed veritatem certam*; atque ita verſionis Gallicanæ Author ex proprio addidit ſenſu verba: *ea ſpectari ab hominibus*, & hæc alia, *conſtantem, & infallibilem*, quæ Cenſoribus vnicè forſan in cauſa fuere, ſuam qualificationem materiandi. Textus ergo Venerab. Abbatiſſæ ad ipſam dirigitur, non ad alios legentes, aut audientes contextam Virginis Mariæ Hiſtoriam, quaſi ij verbis illis adigerentur ad quæcumque in ea narrantur de SS. Maria, aſſenſu omninò certò ſuſcipienda, atque opinionibus circa ipſa viam omnem præcidendam: nullatenùs porrò ſenſum hunc innunt prædicta verba, quæ non Venerab. Authoris, ſed Dei ipſam alloquentis, verba ſunt.

12 Veritas huius expoſitionis ex ſe ipſa liquet, & deinde comprobatur verbis aliis, quæ eadem Venerab. Mater dedit ſecunda parte operis, num. 678. *Hiſce*, inquit, *quas conſcribo, rebus diſputationem inſerere non oportebat: nam à principio operis, vt tunc dixi, intellexi à Domino, ſuæ eſſe voluntatis, me totum hoc conficere opus abſque opinionibus, & ſola ductam veritate, quade à Divina Luce erudienda eram.* Et paulò pòſt eodem numero animadvertens opinionum diverſitatem inter Marianæ Hiſtoriæ, ipſamque concernentium, Scriptores, tàm Veteres, quàm Iuniores ex Veteribus proficientes, inevitabilem pene eſſe; ſubdit. *Verùm, qua vtrique vt plurimùm tradunt, Canonicis exceptis Hiſtorijs, conjecturis nituntur, ac dubiis Authoribus, & ego, utpotè ignara mulier, opera iſta, & arte ſcribere non poteram.* Ideòque procùl ab opinionibus ſe ſcripſiſſe affirmat.

13 Adhæc. Venerabilis Mater ſcientia infuſſa, atque pia contemplatione, eaque eximia, quibus pollebat, quoddammodo in-

intexere potuit ſeriem Hiſtoriæ vitæ SS.Deiparæ, cùm probabiliter procedendo ex principiis per illam ſcientiam cognitis, tum probabiliter contemplando iuxta affectum ſpiritus ſui divina adiuti gratia; at nihilominùs Altiſsimus denunciavit, ſe nolle, vt in componenda hac Hiſtoria opinationibus vteretur, piiſve conſiderationibus acquiſitis, ſive propriis, ſive alienis, quia omnia iſta ſuapte natura fallibilitati, & incertitudini obnoxia ſunt; ſed quòd inſiſteret luci divinæ revelationis, ex ſe tutiſsimæ,& indubiæ veritatis; atque ideò dicit: *nolo iſtam deſcriptionem, & declarationem eſſe opiniones, vel contemplationes, ſed veritatem certam.*

14 Quanquàm ergo eorum, quæ hîc de SS. Deipara narrantur, aut quædam alij pernegent, aut duntaxat ampleꝰantur aſſenſu ex ſuo genere nutante, nec vndequaque firmo: Venerab. tamen Antiſtita tuebatur eadem, velut certas,ſibique à Deo revelatas veritates, ac propterea ſtabili iudicio, & eovſquè ſecuro, vt illarum habuerit evidentiam in atteſtante,vel iuſſa ſit ipſas credere Fide divina:vt infertur ex cap.2. lib.1. huius 1. partis ſui operis,& exponitur (*a*) in Prologo Galeato? (*a*) §. 10.

15 Quæ quidem Fides non erat divina communiter dicta,ſed virtus Theologica.Primò,ex ſecunda aſſertione:quia valde probabile eſt, quàmplures ex dictis veritatibus implicitè contineri in verbo Dei ſcripto, vel tradito, per Apoſtolos ad nos tranſmiſſo. Secundò,ex tertia aſſertione:nam præfatis revelationibus nō modò ratio ſpeculativa, quin & practica, ac prudentialis, Venerab. Matris perficiebatur, veritatibus revelatis ipſi deſervientibus ad perfectionis viam percurrendam.Hoc autem, præterquàm ex toto apparet opere, explicatiſsimè præmiſit eadem Venerab. Author nu. 13.introductionis ad primam hanc partem.Ecquid nunc Pariſienſes? Venerab.Author ſibi à Deo novè revelata proponit Fidelibus tanquàm Fide divina credenda? Haudquaquàm, ſed ſolùm refert, nec illis libertatem opinandi circa ipſa, vt antea licebat, adimit.Igitur nec iura Eccleſiæ temeravit,quæ velut ipſi addictiſſima Filia *nihil vnquam aliud* (vt verbis (*b*) loquar Nazianzeni) *quam piam, orbique vniverſo ſalutarem doctrinam, ſpiravit.* (*b*) *Orat.* 20.

16 Verùm quia Cenſores aiunt, nihil ſibi eſſe cum exemplari Hiſpano, ſed cum verſione Gallicana,huius ſenſum declarandum, atque planè immunem à latis Cenſuris demonſtrandum ſuſcipio, quo hactenus dicta vrgentiùs ſtabiliam.Quare reſpondeo ſecundò obiectioni. Nego maiorem, cui nullum præſtitit fundamentum

H 2 ver-

Digitized by Google

verſio Gallicana probè intellecta: ea enim neutiquam ſignificat, nolle Deum, hanc declarationem, & deſcriptionem acceptari ab hominibus alio, quàm conſtante, & infallibili aſſenſu; ſed ſolùm denotat, nolle Deum, homines exiſtimare prædictam deſcriptioné, & declarationem, compactam fuiſſe à Venerab. Matre ex rebus, quas opinationibus tantum, aliiſve id genus intelligentiis fallibilibus intellexerit, ſed quas, irradiāte luce divinæ revelationis notitia penitùs certa cognoverit, quatenùs explicui numero præced. Idquod vt quis cenſeat, opus nō eſt aſſenſu illo certo, qui obtruditur, ſed ſufficit iudicium probabile à Fidelibus communiter exhibitum privatis revelationibus, non ſibi, ſed aliis factis, iuxta ipſarum merita procedendo, & maiora, vel minora credibilitatis humanæ ſigna pendendo.

17 Explicatiùs rem declaro. In tranſlatione Gallicana habetur, nolle Deum illam deſcriptionem, & declarationem *ſpectari ab hominibus tanquàm opiniones, aut ſimplices viſiones, ſed tanquàm conſtantem, & infallibilem veritatem.* Quibus verbis, niſi ſiniſtrè intellectis, non ſignificatur, homines conſtanter, omnique remota formidine, amplexuros, adſtrictoſve eſſe, vt amplectantur quæcūq; in ea deſcriptione narrantur, ſed duntaxat, hominibus referri, non tanquàm opinationes, aut pias contemplationes, quas Venerab. Author ex proprio ingenio, & affectu deductas, collegerit, & in Hiſtoriæ ſeriem redegerit, ſed vt veritates, quas certiſsimo atque tutiſsimo intellectu agnoverit; relicta hominibus facultate aſſentiendi, aut non aſſentiendi, prout in lectione ſimilium revelationum conſuevit fieri, iuxta Sapientum, Prudentumque, Cenſuram, præſertim cùm nondum ab Eccleſia emanavit poſitiva illarum, approbatio.

18 Nec Iudicium certū neceſſarium eſt, ſed ſufficit probabile, vt pronunciet aliquis, Vener. Authori accidiſſe, quod aſſeritur: non ſecus ac ductus quis opinione probabili pronunciat, concluſionem, de qua hinc inde inter Doctores controvertitur, revelatā eſſe à Deo in Epiſtolis D. Pauli; ac proinde eadem probabilitate determinat, Apoſtolum non probabiliter, ſed certiſsimè illam concluſionem tanquàm veram cognoviſſe. Pariter Angelicus Doctor dixit, (c) quod *aliquis probabiliter ſcire poteſt aliquam propoſitionem eſſe demonſtrabilem, licèt ipſe eam demonſtrativè non cognoſcat.*

(c) 1. p. q. 12. art. 7. ad 3.

19 Quidquòd prædicta verba Interpretis Gallicani vrgentiùs non premunt, quàm ſi induceretur Deus dicens. *Volo te ſcribere*

ex

ex revelatione, hocque ipſum & alia, quæ conſcripſeris, hominibus annuntiare, & eorum lectioni committere, vt audiant verba mea. Nihilominùs autem hæc, aut ſimilia, & equivalentia, identidem leguntur in variis revelationũ libris piorum Authorum abſque vlla offenſione,& quin promeruerint Cenſurarum adluvium,quo inundare tentarunt Pariſienſes præſentis articuli propoſitionem. Proſtant, vel in vnica S.Brigitta exempla plura,quæ libens non excribo, ne in re adeò obvia nimius videar.

20 Specialem verò difficultatem non ingerit (quod potiſsimè forſan Cenſorum animos commovit) in prædictis verbis ſignificari Dei voluntatem de acceptandis ab hominibus revelationibus Venerab. Abbatiſſæ:quoniam non ſignificatur voluntas Dei homines abſolutè præcepto coercens,ſed tantummodò ſimplex quædam inclinatio, aut conſilij voluntas de aliqua fide ab hominibus exhibenda præfatis revelationibus: quod commune eſt ipſis, & aliis privatis revelationibus, Deo annuente quotidie in vulgus editis, vt earum lectione Chriſtiani proficiant: imò nec de ſimplici illa voluntate firmiùs conſtat, quàm conſtet de revelatione ipſa, ſive eiuſmodi voluntatis, ſive aliarum rerum, quas vt recèns revelatas effert Venerab. Author in progreſſu Hiſtoriæ.

21 Quocircà ſicut Venerab. Mater affirmans, ſe ex Dei revelatione aliquid ſcribere, non efficatiùs nos premit ad aſſenſum, quàm ſigna prudentis credibilitatis poſtulaverint, ſic neque aſſerendo Deum revelaſſe, ſuæ eſſe voluntatis, vt aſſentiamur, aliter nos vrget, aut vrgere denotat, ad aſſentiendum, ac prudentis credibilitatis huiuſmodi quaſi reflexæ revelationis argumenta expetiverint.Vnde vniverſi bonæ notæ Theologi docent,infrà aſſenſum omnino firmum, recenſeri alios, quos reſpectivè negare privatis revelationibus, ſæpè vitio imprudentiæ, & cordis duritiæ non vacat:atque ideò tunc Deus præcipit aſſenſum, quemadmodùm pravè operari prohibet.

22 Ex iactis doctrinis compertò deducitur,propoſitionem Authoris,& Interpretis longè diverſum immitere ſenſum ab eo,quem intrudunt Cenſores,& vel in minimo Eccleſiam non exauthorare. Ad eam quidem pertinet, vtî optimè illi dicunt, Fidelibus proponere veritates tanquàm conſtantes, & infallibiles. Sed quomodo? Vt aſſenſu ſcilicèt conſtanti, & infallibili ab omnibus ſuſcipiendas (veritas enim quælibet obiectivè,& prout in re,prorſus certa, ac firma evadit: cùm vnumquodque reipsà aut ſit, aut non ſit) ad

id-

idque præceptum indicendo, imò, & ne oppoſitum dicatur, Anathema interminando, ac tandem alia, ſicut iſta, authoritatem conclamantia exhibendo, ſi opus fuerit, quæ minutatim recitare neceſſarium non duco.

23 Non ſic procedit Venerab. Author, vt dixi, ſed ſibi revelata ſimpliciter narrat, Fidelibus more hiſtorico proponit, & perlegẽda committit: quod eſt cuiuſcumque Perſonæ divinitus inſpiratæ. Magiſtram non agit, nec Eccleſiaſticam vllam authoritatis teſſeram ſibi adornat: legentes audienteſve, vt iudicio ſubſcribant, non conſtringit, ſed narrationem ſuæ fortunæ dimmittit, iuxta propria merita, vel demerita trutinandam: ac denique ſe, ſuaque omnia, Eccleſiæ iudicio, & diſpoſitioni ſubmittit. Quamobrèm poſtquàm num. 13. introductionis ad hanc primam partem præmiſit, *ſe in deſcribenda Deiparæ vita propriam ædificationem primariò, & principaliter intendere*, num. 14. addidit. *Non vt Magiſtram, ſed vt Diſcipulam, non docendi, ſed diſcendi cauſa ſcribere.* Et ibidem. *Fateor me errare poſſe, & id eſſe ignaræ mulieris, &c. & propterea me committo, atque ſubiicio Rectoribus meis, & correctioni Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ, recurrere ad eius Miniſtros in quacumque difficultate volens.*

24 Hæc, à ſuggillata propoſitione, paucis admodùm paginis diſtantia, ſi, vt æquum erat, ponderaſſent Cenſores, nunquam in teterrimas excurriſſent notas: nam ſicut *verbum ex vicinitate vſurpatum* (aiente (d) D. Auguſtino) *cui propinquitas ipſa impetrat intellectum, non eſt velut CENSORIA NOTATIONE CVLPANDVM*; ita nec ſententia Gallicæ tranſlationis, ex propinquitate aliarum ſententiarum ſanum referens ſenſum, Cenſoria damnatione erat configenda; maximè cùm vel ſibi ipſi relicta, vt in præcedentibus explicui, immeritò reprehendatur, & ſolummodò in ſuſpicionem perverſi dogmatis vocari poſſit à Cenſoribus, qui mentiendo reprehendunt, quæ nõ ſunt, ac ſi eſſent, inde graviſſimo hoc lapſu originem trahente, quòd vti *ſcrupuloſi, ne dicam ſuperſtitioſi, verborum aucupes* (quemadmodùm olim de aliis aiebat Pater Caniſius (e)) *nudis hærentes voculis, germano verborum ſenſu neglecto, nihil non rapiunt ad contentionem.*

(d) *Epiſt.* 59. q. 5.

(e) *Lib.* 5. *de Deipara cap.* 12.

25 Sed ne quidquam diſsimulare dicar, difficultatem obiicio, quæ ingenium aliorum, calumniatorum præcipuè, ægrè admodùm præteribit. Ex proximè tranſcriptis textibus Venerab. Abbatiſſæ conſtat, ipſam non adeò certò aſſequutam quæcumque in Mariana Hiſto-

Digitized by Google

Hiſtoria tradit,vt errandi circa ea timorem ab animo ſuo prorſus depelleret: ergo non tali certitudine, qualem ſuprà deſcripſi, ſibi omnia illa manifeſtabantur quatenùs à Deo dicta,& revelata:alioqui abſque gravi contra ipſum Deum irreverentia aberrandi formidine percelli nequiret.

26 Reſpondeo. Vis tota obiectionis declinatur doctrina eiuſdem Venerab. Abbatiſſæ prima parte ſui operis num. 24. vbi exponens diverſos modos, quibus ad Marianam Hiſtoriam literis mandandam deſuper inſtruebatur,dicit.*Sæpè mihi Dominus intelligentiam præſtat,& lucem, ſive eius obiectum, Virgo Puriſſima eam declarat, & Angeli terminos dictant. Frequentiùs hoc totum Deus exhibet, quandoque Regina, & quandoque etiam Angeli; ſed aliquando contingit, vt ſola intelligentia concedatur, & tunc verba ad eam manifeſtandam deſumo ex à me intellectis* (modò attende) *& IN HOC ERRARE POSSEM, SI DEVS PERMITTERET,quoniam mulier ignara ſum, & alioqui auditis vtor; atque vbi difficultate aliqua laboro, vt intellecta explicem, ad Magiſtrum, & ſpiritus mei Rectorem convolo in materiis operoſioribus, & magis arduis.*

27 Ex quibus facile eruetur ſolutio: perſpectum nãque Theologis eſt, dupliciter poſſe aliquem errare, & erroris formidine tangi,in his,quæ ad privatas revelationes pertinent. Primò,ſpectato interno iudicio: vt cùm ſolùm probabiliter determinat ſenſum Verbi Dei, Deo, etſi certò illi loquente, non ſatis revelante ſenſum, quem loquutione ſignificare intendit: tunc quidem errare poteſt, qui ita determinat, errorìſque formidinem à ſe prudenter removere nequit. Secundò, externa ſpectata manifeſtatione, cùm ſcilicèt interna cœleſti illuminatione præmiſſa, qua apprimè,certiſsimèque,intelligit ſibi revelata, non ſubminiſtrantur eadem via verba, ad intus præconcepta externè manifeſtanda,ſed eorum verborum conquiſitio,& delectus propriæ humanæ relinquitur induſtriæ,quæ, potiſsimè in Perſona ex ſuis ignara, ab ſcopo deflectere poteſt, ſeligendo verba ſibi viſa idonea ad ſignificandum ſenſum deſuper acceptum, at reapsè non illum, ſed alium,& quidem longè diverſum,exprimentia:quo pacto dicitur à Theologis,quòd ex verbis inordinatè prolatis aliquando incurritur hæreſis. In hoc eventu pervium eſt erroris periculum,idque prudenter admittitur in exteriùs dictis, ſcriptiſve.

28 Modò nego antecedens argumenti quoàd internam intelligentiam eorum,quæ Venerab.Mater aſſerit divino afflante Numine,

ne,atque ſuperno revelationis lumine accepiſſe,vt illa conſcribendo Marianam Hiſtoriam conficeret: hæc enim omnia firmiſsimo vndequaque intellectu,& errandi timore procùl abiecto perſpiciebat: de qua certitudine in ſuperioribus loquutus fui. Concedo tamen idem antecedens quoàd externam declarationem calamo depictam: ſiquidem nonnunquam eidem Matri verba cœlitus non miniſtrabantur, vt literis intellecta exprimeret, ſed ſuæ induſtriæ id committebatur, & in hoc præſtando, mulier præſertim cùm eſſet ex propriis ignorans, prudentiſsimè humiliterque timebat ſe errare poſſe,prout dixi numero præced.ſub qua diſtinctione exponendum itidem eſt argumenti conſequens. Reſponſionem hanc confirmant verba illa: *& in hoc errare poſſem,&c.* ac etiam, quod Venerab. Mater non ſemel ſignificans aberrandi timorem in eadem Hiſtoria, nunquam ita ſe affectam prodit,niſi habita ratione externæ ſcriptionis,& declarationis.

29 Quanquàm hæc vera ſint, ſentio,Venerab. Abbatiſſam ſolertiæ ſuæ quandoque relictam, vtì ex ipſa præmonui, ab ſcopo non aberraſſe: quoniam tunc, quantùm mihi coniicere licèt ex ſtylo, cæteriſque operis ſui circunſtantiis, ſemper à Domino dirigebatur, ne tandem alia vſurparet verba, quam idonea ad explicandas res interiùs ſuperna illuſtratione aſſequutas; attamen quia ipſam latebat huius aſsiſtentiæ certitudo,meritò timebat,& errandi diſcrimen in ſe ſuſcepiſſe exiſtimabat. Sicut olim Author lib. 2. Machabeorum, quamvis Canonicus,& cui Spiritus Sanctus ſententias verbaque ſuggerebat, non ſibi omnino certus de Hiſtoriæ veritate, eam Authoribus, qui antea ſcripſerant, & è quibus ſuam epitomen concinnavit, concedit, (f) dicens. *Veritatem quidem de ſingulis, Authoribus concedentes,ipſi autem ſecundum datam formam brevitati ſtudentes.* Quæ verba perinde valent ac, *Fides ſit penes illos,mihi enim tantum breviare competit,quæ illi fuſiùs ſcripſerunt.* Deinde fatetur, labi ſe potuiſſe,& lapſus, ſi forſan acciderit, veniam expoſtulat (g) his verbis. *In his faciam finem ſermonis, & ſiquidem benè, & vt Hiſtoriæ competit, hoc & ipſe velim, ſin autem minùs digne, concedendum eſt mihi.* Quæ omnia prudens adiiciebat, quia neſciebat ſe à Domino edoceri,& quamvis nullus excidit error,neque excidere reipsà potuit,ſua tamen ſpectata cura, ſimulque niſi humana, qua inniteretur, authoritate,ſibi affulgente,iurè formidans loquebatur. Legeſis Andræam à Matre Dei.(h)

(f) *Cap. 2. v. 29.*

(g) *Cap. vlt. v. 39.*

(h) *Prælud 1. dub. 2. verſ. Reſpondeo 2.*

§. VI.

§. VLTIMVS.

CENSVRARVM VITIA AMPLIVS deteguntur.

30 HActenus dictis demonſtratum generatim iam eſt, Cenſuras adverſus Articuli præſentis propoſitionem compactas, illam reverà non attingere, quinimò in ſe ipſas quodammodo retorqueri, iuxta ſolidam Theologiam celeri calamo ſuperiùs memoratam,& fuſiori illuſtrandam infrà. Ideòque præſtaſſet, non ita cenſuiſſe Pariſienſes, ſicut (aiente (*a*) Nazianzeno) *liberis carere præſtat, quàm ſtultos ac vecordes Filios procreare*. Nunc ſpeciatim vitia retegam. (*a*)*Tom.* 2. *in collect. ſentent.*

31 Primùm. Muneris Cenſorum erat diſcuſiſſe, quod facilè potuit, an verſio Gallicana fideliter reſponderet exemplari Hiſpano, necne? Et inventa eſſet minùs habens, quia plura habet, propter quæ, vt opinor, ſubiectam propoſitionem confixerunt. Dicent, vti eorum Duces dixiſſe refertur (*b*) in Cenſura Cenſuræ, *nihil ſibi eſſe cùm Authore, cùm editione ve lingua Hiſpanica primò vulgata, ſed verſionem tantummodo Gallicanam, prout iacet in Maſilienſi editione, in Cenſuram adduxiſſe*. At excuſatio hæc in acriorem deformatur accuſationem; quoniam in præfatione Cenſuræ evomerunt iſta. *Mirum eſt, quantum hoc in genere in prædicto libro, cuius vna verſio Gallicana Facultati exhibita eſt, exceſſerit, & aberraverit mulier illa, quæ Hiſtoriam texuit vitæ B. Virginis, tàm abſonam certè, quàm inauditam, &c. vbi fabulas, nugas, commenta, & errores, &c. pro myſteriis divinitus revelatis obtrudit, & velut conſtantes veritates vniverſis proponit*. Sed virulenti, atque infruniti homines, quò hæc ſpectant convicia? Vereor ne inter vos ſint, *qui*, referente, & expugnante Conſalvo Duranto, (*c*) revelationes privatas *velut fabulas, & mulierculárum ſomnia æſtimant, atque ad ſuperſtitiones revocandas eſſe contendunt*. Audite modò, ſi nihil vobis eſt cum Authore, ſi nihil cum exemplari Hiſpano, in quo mens Authoris expreſſa conſpicitur, ſed tantum cum verſione Gallicana, quid ita Authorem tot, tantiſque dehoneſtantibus titulis oneratis? Quæ hæc fides, & conſequentia? Mirabitur nemo, ſi quis vos dicat de illis eſſe, qui nihil penſi habent, vt monuit Doctor quidam,

(*b*)*In notis ad præfationẽ Cenſuræ, verſ. Verum.*

(*c*) *De Viſion. cap. 2. Initio.*

Digitized by Google

quanquàm inconſequenter loquantur, aut in præcipitia ſe ingerant, dummodo Adverſario rectè ſentienti creent moleſtiam. Quod aliter de ijſdem dixit (d) S.Ephręmus. *Linguam duntaxat habent, & non mentem, loquuntur quæ volunt, & non intelligunt, quæ conſequentium ſit intelligentia.* Hoc eſt, nolunt advertere, quàm incohærenter loquantur, & quomodò ſecum ipſi pugnent, & collidantur.

(d) *Serm. de margar pretio.*

32 Deinde. Ab officio ſibi concredito aberrarunt Cenſores, abſque exacta diſcuſsione ſenſus Gallicanæ verſionis ſententiam, & talem quidem ſententiam, proferendo: ius enim expetebat, vt propoſitio ſtudiosè, lentoque examine expenderetur, tum ſeorſim accepta, tum aliis propoſitionibus adiuncta; qua adhibita cura in ſenſum tandem genuinum, eumque irreprehenſibilem incidiſſent, vt ex retro tranſcriptis conſtat. Hoc, quod debitum eſt cuiuſvis Authoris aſſertioni, potiori iure obſervandum cenſent omnes, quando Author nedum Catholicus, quin & inter Catholicos cum fama ſanctitatis ſupremum vitæ diem egit, illaque etiam poſt mortem claret, & ante Sedem Apoſtolicam quaſi conſtitutus iam eſt, vt in Beatarum mentium album referatur, ſi Sanctiſsimo placuerit, cuiuſmodi nunc eſt Venerab. Abbatiſſa de Agreda. Cæterum Iudices prædicti nimiùm cortici verborum: *Nolo ſpectari ab hominibus, &c.* inſiſtentes, ac inde in abſurdiorem declinantes intellectum, ſtatim, vt fas eſt opinari, & abſque mora, propoſitionem declararunt ream læſæ Authoritatis Eccleſiaſticæ, atque vt talem ſuffixerunt; contra venerandum (e) Dionyſij Areopagitæ monitum. *Eſt* (inquit ſummus ille Theologus) *à ratione alienum, vt opinor, & abſurdum, non vim ipſam inſtituti attendere, ſed verba.* Et confeſtim addit, hoc proprium non eſſe *eorum, qui res divinas intelligere cupiunt, ſed eorum, qui ſonos exiles aucupantur, eoſdemque extrinſecùs aure tenus admittunt, neque ſcire volunt, quid huiuſcemodi dictio ſignificet, & quonam modò alijs etiam verbis æquipollentibus, & explanatorijs ſit exponenda.*

(e) *Cap.4. de Divinis nominibus* §. 11.

33 Præterea. Futili æquivocatione, & viro Theologo prorſus indigna, falſis vera confundunt. Quia Fidelibus proponitur (loquamur ita) Hiſtoria Mariana compacta ex veritatibus, quæ aſſeruntur Venerab. Abbatiſſæ conſtanter, & infallibiliter notæ, id eſt, ipſi à Deo revelatæ, illicò reponunt Cenſores, huiuſmodi aſſertum exauthorare Eccleſiam: quoniam ad ipſam *pertinet proponere Fidelibus veritates tanquam conſtantes, & infallibiles, &c.* En termi-

minorum luſum; ſiquidem in Mariana Hiſtoria proponũtur, id eſt, offeruntur Fidelibus ad lectionem, & auditum, veritates, tanquam conſtantes, & infallibiles cognitas ab Authore: at non offeruntur, conſtantem, & infallibilem aſſenſum earum exigendo à Fidelibus, ipſoſque ad illum aſtringendo; quo quidem opus erat, vt propoſitio iurè proſcriberetur veluti Eccleſiæ Authoritati illa in parte derogans. Relegatur §. ſecundus.

34 Nihilominùs non me fugit, etiam abſque propoſitione Eccleſiæ contingere poſſe, vt privatæ revelationes alicui immediatè factæ, exempli gratia, Venerab. Abbatiſſæ, quibuſdam aliis Perſonis fiant evidenter credibiles Fide divina, Deo ad id præſtante ſigna credibilitatis, & veritatis teſtimonia: ſiſtentibus tamen ſemper dictis revelationibus intra terminos privatarum revelationum, & quin proponerentur tanquàm communiter, & Fide Catholica credibilia obiecta: aliter enim neceſſaria eſt propoſitio oriunda ab Eccleſia, præſenti ipſius ſtando inſtitutioni, qua conſiderata loquor. Videatur num. 7.

35 Quare Cenſores mihi videntur quadantenus adumbraſſe ſuo iudicio ſententiam cuiuſdam Theologi, qui, cum Illuſtriſsimus Payus à Ribera, (*f*) Auguſtiniani inſtituti Profeſſor, hanc ſtatuiſſet propoſitionem: *Qui prophetiæ accepit donum, poteſt Eccleſiæ proponere, quod Deus illi revelavit*: eam notavit: *Quia ſolus Summus Pontifex poteſt Eccleſiæ proponere*: quam Cenſuram, & rationem iure optimo riſit, & evaſit Illuſtriſsimus Antiſtes, varias diſtinguendo proponendi normas, prout Theologi docent, de Fide pertractantes. Non diſsimiliter, quia Sanctus Thomas (*g*) ait, *Dæmones revelare*, poſſet Theologaſter aliquis notare dictum Sancti Thomæ, addens. *Revelare ſolius Dei eſt*. Quæ Cenſura, eiuſque ratio ab omnibus meritò irrideretur, non neſcientibus varios, & diverſos revelandi modos. Honoranda æquo iure eſt huiuſce articuli Pariſienſis Cenſura. Nec admiretur quiſquam, me ſic demiſsè ſentire de horum iudicio Pariſienſium, qui, vt de Anteceſſore altero Pariſienſi pronunciavit Sanctus Bernardus (referente (*h*) Raynaudo) *THEOLOGIAM IN STVLTILOGIAM TRANSFORMANT*.

(*f*) *In Apolog. propoſit*. 11. §. 1. *nu*. 6.

(*g*) 2. 2. *q*. 172. *art*. 5.

(*h*) *In Hercule Commod. Serie* 3. *quæſito* 1.

36 Quidquòd ſuppoſititia Facultatis Cenſura, ſi ſeverè expendatur, authoritati Eccleſiæ detrahit: nam propoſitionem damnat: *quia ad Eccleſiam pertinet Fidelibus proponere veritates tanquàm conſtantes, & infallibiles, ex verbo Dei ſcripto per Apoſtolos ad nos*

tranſmiſſo. At qua ratione non addiderunt, *ſive ex verbo Dei tradito*? Nunquid Eccleſia adeò alligata eſt verbo Dei ſcripto, vt alias quàm in ipſo cõtentas veritates proponere nequeat Fidelibus veluti conſtantes,& infallibiles?Profectò tametſi hoc expreſsè non ſignificet Cenſorum propoſitio, ſpectatis verò quæ eam hinc inde circunſtant,non prorſus immunis evadit à ſuſpicione erroris prædicti; id, quoàd ſcrutari licet, Deo permittente ob præpoſterùm iudicium, quo auſi ſunt condemnare aſſertum præſentis articuli, tanquàm reum leſæ authoritatis Eccleſiæ:*Vindex enim Numen* (vt alibi dixi ex Nazianzeno (*i*)) *eadem iiſdem rependit.*

(*i*) *Tom. 2. in collect. Sentent.*

37 Diſſertationem perficio, Cenſores à promulgata ſententia dehortando,quippè omni deſtituta firmamento,vtque ad veritatis tramitem animum inflectant, exoptando; & ne inferior ſit laus in pœnitentia, quàm fuerit in errore dedecus, conſilium, quod Auguſtinus Victoris verba probans docuit,ſibi gratũ habeant.Aiebat enim (*k*) ille. *Studeam ſemper etiam propriam ſententiam non tueri, ſi improbabilis detegatur; & ſit mihi cordi, PROPRIO IVDICIO DAMNATO, meliora magis, & quæ ſunt veriora ſectari. Nam vt eſt optimi propoſiti, laudandique conſilij, facilè ad veriora traduci;ita improbi obſtinatique iudicij eſt,nolle citiùs ad tramitem rationis inflecti.*

(*k*) *Lib. 2. de anima cap. 16.*

ARTICVLVS V.

NVm.107. *Et nos Angeli Domini adoremus,& honoremus beatam illam Fœminam, quæ datura eſt carnem humanam Verbo æterno,& agnoſcamus illam pro Regina, & Domina noſtra.*

Num. 181. *Beatæ generationes, quæ videbunt illam, & quæ poterunt proſterni pedibus eius,& illam adorare.*

Num. 328. *Angeli cuſtodes dulciſſimæ Filiæ,cum aliorum Angelorum multitudine magna, adoraverunt eam, & obſequia illi ſua exhibuerunt, cùm eſſet in vlnis Matris ſuæ.*

Num.

Num. 334. *Sancti Angeli adoraverunt, & honoraverunt in throno Altiſſimi Mariam Sanctiſſimam.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

HÆ quatuor propoſitiones, quatenùs in illis indiſtinctè, & iiſdem terminis exprimitur adoratio exhibita, vel exhibenda Beatiſsimæ Virgini, quibus Deo ipſi, & Homini Deo, exhibita exprimitur pag. 99. & 100. falſæ ſunt, temerariæ, ſcandaloſæ, & in errorem inducentes.

SVPPOSITIA FACVLTATIS CENSVRA.

LIcèt adorationis nomen æquivocè ſumatur, & aliquãdo in Scripturis, & nonnullis Patribus pro honore creaturis debito vſurpetur; tamen, cum ex Eccleſiæ vſu terminus ille vſurpari debeat ad ſignificandum ſupremum cultum ſoli Deo debitum, nec poſſit ſine periculo ſcandali creaturis communicari: hæ propoſitiones, quatenùs eodem adorationis termino cultum exprimunt exhibitum, vel exhibendum Beatiſſimæ Virgini, quo ipſi Deo exhibitus ab Authore exprimitur, ſcandaloſæ ſunt, & in errorem inducentes. Quatenùs autem dicunt Sanctiſſimam Virginem adoratam ab Angelis, ſtatim vt ipſi creati ſunt, & ſtatim atque ipſa nata eſt, tum etiam adoratam in Throno Altiſſimi, reſpectivè temerariæ ſunt, & falſæ

Occaſione Cenſurarum tria excito dubia. Primum, circa vſum huius vocis *adoratio*. Secundum, circa tempus, à quo iam Angeli ſuam Reginam adorare cœperunt. Tertium, circa locum, in quo dicuntur illam adoraſſe. Quibus dubiis adamuſſim examinandis duas conſumam diſſertationes.

DIS-

DISSERTATIO V.

CRISIM CENSVRARVM CIRCA VSVM VOCIS adoratio *cum illarum caſtigationibus exhibeo.*

(a) *Lib.* 10 *de Civit. Dei cap.* 23.

L*Iberis verbis* (aiebat (*a*) S. Auguſtinus) *vtuntur Philoſophi, nec offenſionem piarum aurium pertimeſcunt*; *nobis autem* (Theologis) *ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia impiam gignat opinionem.* Quamobrèm ſæpe in rebus Theologicis controverſiæ de voce, vt dicitur, Doctoribus negotium faceſſunt; quin & olim circa vſurpationem verbi *hypoſtaſis* Orthodoxi orientales, & occidentales, eouſquè inter ſe ſe pugnarunt, *vt periculum eſſet* (ita loquitur S. Gregorius (*b*) Nazianzenus) *ne Orbis terrarum fines vnà cum ſyllabis à ſe invicem diſtraherentur, & abrumperentur.* Idcircò præſens de voce contentio, quippè Theologica, accuratè examinanda eſt, vt conſtet, Venerab. Authorem à regula non aberraſſe.

(b) *In Encomio S. Athanaſij orat.* 21.

§. I.

VSVS VERBI, ADORATIO, *QVEM RETINET Venerab. Author, conſentaneus eſt Scripturis Sacris, Conciliis, & Patribus.*

1 PRÆMITTO, vſque modò nullam ab Eccleſia emanaſſe determinationem vetantem, hoc verbum *adoratio*, ſic dictum, vſurpari, præterquàm ad ſpecialem Deo exhibendum cultum ſignificandum: & ideò ſi quæ eſt in hac parte de illo verbo concertatio, vtique vſu dirimenda venit, & non aliter: qui vſus non ſemel apud DD. & Sapientes pro diverſitate ſenſuum diverſus etiam invenitur abſque eo, quod alterum cō demnet alter, vt patebit. Quare contendo nunc ad Cenſuram convellen-

vellen-

Digitized by Google

vellendam, impunè Verbum *adoratio*, ſic dictum, communiter,& indifferenter applicari Deo, & creaturis, ſicut & nomen *cultus*,& nomen *ens*,quodlibetque aliud genericum, & commune; illudque nedum ampliari ad creaturas in rebus ſacris,verùm etiam in civilibus.

2 Initium probationis ſumo ex Sacra Scriptura.DeAbrahamo dicitur, quod (c) *adoravit populum terræ, filios videlicet Heth.* De Lotho,(d)*Adoravitque pronus in terrã* duos Angelos.Iſaacus Iacobo benedicens ait.(e) *Et adorent te tribus.*De fratribus Ioſephi:(f) *cumque adoraſſent eum fratres ſui.* Iacobus Iudæ filio ſuo prædicit. (g) *Adorabunt te filij Patris tui.* Quin & Ioſephus in ſomnis à Deo illuſtratus (h) *putabam*, inquit, *manipulos circunſtantes adorare manipulum meum. Vidi per ſomnium, quaſi Solem & Lunam, & Stellas vndecim adorare me.* Moyſes (i) *Adoravit, & oſculatus eſt eum,* Iethrum nempe. Ioſue (k) *continuò cecidit pronus in terrã, & adorans* Angelum. Balaam pronus in terram (l) *adoravit* Angelum. Abigail (m) *adoravit* Davidem, David (n) *adoravit* Saulem,& Saul (o) *adoravit* Samuelem.Quibus omnibus convincitur Verbum *adoratio* vſurpari aliter, ac ad ſignificandum cultum ſpecialem Deo debitum : niſi Cenſores velint omnes prædictos, qui adoraſſe dicuntur creaturas, inde Idololatras evaſiſſe; quod pluſquàm abſurdum eſt. Alia idgenus teſtimonia libens prætermitto, ne multus ſim in re clara comprobanda.

(c)Gen.23 v.7. (d)19.v.7 (e) 27. v. 29. (f) 42. v. 6. (g) 49. v. 8. (h) 37. v. 7. & 9. (i) Exodi 38. v.7. (k) Ioſue 5. v.15. (l)Numer. 22.v.31. (m)1.Reg. 25. v.23. (n) 24. v.9. (o) 28. v. 14.

3 Vnum tamen non omiſerim, quod in idem inſtitutum adduxit Eximius Pater Soarius, (p) cuius verba adiungo. *Conſtat* (ait) *adorationis nomen commune eſſe Deo & creaturis: vt evidens eſt ex Scripturæ vſu. Gen. 23. & 42. & infinitis alijs locis; vnus verò pro multis ſufficit 1. Paralip. 29. inclinaverunt ſe,& adoraverunt Deum, & deinde Regem.* Pende Graviſsimi Doctoris verba,dum ego Paralipomenonis textum expendo.Adoraverunt quidem primò Deum, & deindè Regem, vtrumque tamen adoraverunt. Et qui hi ſunt adoratores? Audi. *Et benedixit omnis Eccleſia Domino Deo.* Adoret ergo omnis Eccleſia Deum, & Reginam Deiparam diſpari cultu, Deum quidem ſuperiore quàm Mariam eius Matrem, & Reginam noſtram; ſed cultum tandem, & honorem,Deo,& ipſius Matri concedat, qui vtriuſque ſit adoratio.

(p) 3.p. q. 25. diſp. 51.ſect.2. circa medium.

4 Probarunt eundem Verbi *adoratio* vſum Canonici novæ legis Scriptores,ac præſertim Evangeliſtæ,cùm referunt,plures Perſonas Chriſtum adoraſſe,quas omnes adorationem latriæ tunc illi præ-

Digitized by Google

præſtaſſe, improbabiliter prorſus affirmabitur, quippè illum pleræque tanquam magnum Prophetã, ſed non vt Deum habebant. Probarunt itidem præfatum vſum Authores Verſionum omnium Sacræ Scripturæ; eorum quolibet in lingua ſua proprietatem vocis *adoratio* retinente, vt videre licet apud Doctorem Saſsi, (*q*) virum (vt audio) Deputatis, & ipſorum partiarijs pretioſum. Probarunt deinde quotquot ſunt in Eccleſia verbi Divini Concionatores, qui quotidie è ſuggeſtu fideles erudiendo ſacros textus recitant abſolutè dicentes, Moyſem *adoraſſe* Iethrum, Abigailem Davidem, &c. abſque vlla adorantibus idololatriæ ſpecie ideò impacta.

(*q*) *In Expoſit. Gallica in Geneſim cap. 18 37. 49. & alibi paſſim.*

5 Cur equidem abſque eiuſdem criminis periculo aſſeri abſolutè nequibit, Puriſsimam Virginem Mariam adorandam eſſe? Profectò, ſi Fideles audirent Lothum impunè adoraſſe Angelum, at licitè Virginem Mariam adorari non poſſe, aut in Concionatorem velut in Anti-Dicomarianitam clamoribus irruerent, vel minoris Deiparam quàm Angelos ducerent. Pariſienſes igitur Cenſores nolint ſapere pluſquàm ſapere oportet, & abſque Cenſura ſubſcribant communi verbi *adoratio* notioni, quam ex verbo Dei ſcripto deductam evici, contemplantes cum Authore quæſtionum ex novo teſtamento (*r*) quod *nemo in hæreſim ruit, niſi à nominum notione diſcedens: ſimplices verò, permanentes in ratione nominum, Catholicæ Fidei adhæſerunt: ipſa enim ſimplicitas, non aliter hoc advertit imperturbata, quàm traditum eſt.*

(*r*) *Quæſt. 43.*

6 Concilium Nizenum Generale ſecundum, in quo maximè de adoratione Sanctorum actum fuit, apertiſsime favet. Quoniam Adrianus 1. in literis ad Conſtantinum & Irenem (*s*) docuit ita. *Omnis imago in nomine Domini, aut Angelorum, aut Prophetarũ, aut Apoſtolorum, aut Martyrum, aut Iuſtorum, facta, ſancta eſt. Non enim lignum adoratur, ſed id, quod in ligno conſpicitur, & memoratur, honorificatur; omnes enim nos adoramus Principes, & ſalutamus, licèt peccatores ſint, cur ergo non debemus adorare Sanctos Dei ſervos?*

(*s*) *Action. 2. Concilij Nizeni 2.*

7 Et poſt pauca. *Decet enim eos* (Sanctos) *honor & ADORATIO, & commendatio noſtra ſecundum iuſtitiam eorum.* Quod ipſum verbum *adoratio* eadem ratione multoties ibidem accipit, haſque literas Adriani ſuſcipiendo Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus ait. *SECVNDVM ANTIQVAM PATRVM NOSTRORVM TRADITIONEM IMAGINES AFFECTVOSO AMO-*

RE

Digitized by Google

RE *ADORAMVS*. Et S. Synodus, quod *ita credit, ita ſapit, ita dogmatizat.*

8 Idem demonſtrant alia eiuſdem S. Synodi verba (*t*) quibus poſt relata plura teſtimonia SS. PP. vocem *adoratio* eodem modo vſurpantia, concludit. *Has pretioſas, & venerabiles Iconas honoranter ADORAMVS. Nos antiquam Traditionem, nos iura Patrum conſervamus. Nos ſubintroductam novitatem Chriſtianos idololatriæ accuſantium anathemati ſubijcimus.* Et Tharaſius poſt teſtimoniū S. Anaſtaſij Patriarchæ Antiocheni inferiùs advocandum, ſubdit: *Tanquam hypocritas redarguendos eſſe omnes, qui imagines ſe venerari confitentur, ADORATIONEM autem recuſant.* Cavete Cenſores; ne fulmina iſta vos attingant, qui dicitis, Deiparam venerandam eſſe, cæterùm non adorandam. (*t*) *Act.* 4.

9 Epiphanius Diaconus (*u*) iſthæc legit cum aliis à PP. Concilij admiſſa, quæ præſentem contentionem mirè concernunt. *Sentiamus bonum, & optimum eſſe, venerabilium Imaginum poſitionem in Eccleſia fieri, & ſpiritualiter reduci per has ad principalium ſuorum memoriam, atque iſtas propter eorundem honorificentiam & ſalutare, & amplecti, ac debitam adorationem impendere. Sive ergo alicui ſit SALVTATIONEM gratum vocare, ſive ADORATIONEM. HOC IPSVM ENIM EST VTRVMQVE, NISI FORTE QVIS ADORATIONEM, QVÆ SECVNDVM LATRIAM EXHIBETVR, INTELLIGAT: ALIA ENIM EST HÆC, &c.* Conſtat, adorationem ad cultum creaturarum ſignificandum extendi, nec approbari, quod verbum *adoratio*, ſic dictum, cum verbo *latria* confundatur, vtî confundendum putant Cenſores. (*u*) *Act.* 6.

10 Eadem Sacroſancta Synodus in literis ad Conſtantinum, & Irenem. (*x*) *Veraciter, & incunctanter eſſe coram Deo acceptum, & beneplacitum, conſtat, imaginales formationes diſpenſationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti., & intemeratæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, &c. ADORARE, & oſculari, & quiſquis ſic non ſe habuerit, ſed diſceptaverit, vel etiam elanguerit erga venerabilium imaginum ADORATIONEM, hunc anathematizat Sancta noſtra, & vniverſalis Synodus.* (*x*) *Act.* 7.

11 Denique, in confeſsione Fidei loquens de adoratione imaginum Sanctorum, docet. *Quantò frequentiùs per imaginalem formationem videntur, tantò qui eas contemplantur alacriùs eriguntur ad primitivorum earum memoriam, & deſiderium, & ad oſculum, & ad honorariam his ADORATIONEM tribuendam. Non tamen*

ad veram LATRIAM, quæ ſecundum Fidem eſt, quæque ſolam divinam naturam decet, impertiendam. Quibus apertè Concilium explicat, cultum Sanctorum, etſi à latria diverſum, adorationem eſſe.

12. Infero nunc. Ergo qui, Virginem Mariam non eſſe adorandam, dixerit, diſceptaveritve, aut elanguerit erga ipſius adorationem, anathematizandus cenſetur, ex numero 10. Ergo qui eandem Sanctiſsimam Deiparam venerandam confitentur, negant tamen adorandam, velut hypocritæ ſuggillandi ſunt, ex num. 8. Pariſienſum iam Cenſura hanc Venerab. Abbatiſſæ propoſitionem exagitans: *Virgo Maria eſt adoranda*: quò tendit? Quot, quibuſve fulminibus confodienda? Sapientiores me decernant, dum cum Tertulliano (y) Pariſienſes de hoc admoneo, quod *Fides nominum, ſalus eſt proprietatum*: ſiquidem *omnia periclitabantur aliter accipi, quàm ſunt, & amittere quod ſunt, dum aliter accipiuntur, ſi aliter, quàm ſunt, cognominantur.*

(y) *Lib. de carne Chriſti cap. 13.*

13. Tridentina Synodus erudiens nos, vt Chriſto Domino in Euchariſtia cultum impertiamur, anathema indixit (z) illis, qui dixerint: *in Sancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum Vnigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ, etiam externo, adorandum*: proindeque definit, adorandum cultu latriæ. Ex qua loquendi norma deducitur, Concilium non accepiſſe verbum adorandi, ceu vnicè ſignificans ſupremum cultum, & ſolius Deitatis ratione debitum: alioqui, cùm hoc idem ſignificet vox *latria*, vt proximè tradidi ex Niceno Concilio, dicere Chriſtum eſſe adorandum cultu latriæ, perinde ſe haberet ac dicere, adorandum forè adoratione, quòd inſignem battologiam involuit, non ſecus, ac ſi quis proferret, Deum eſſe cultu colendum, aut latreuticè colendum cultu latriæ. Accipit itaque Concilium adorationem, vt rationem communem latriæ, & aliis cultus ſpeciebus, & ad Chriſti adorationem contrahit per ſpecificam adorationis differentiam, latriam videlicet; ideoque aſſerit, nedum adorandum, ſed & adorandum cultu latriæ.

(z) *Seſſ. 13 Can. 6.*

14. Ad PP. devenio. S. Iuſtinus Martyr (a) inquit. *Illum* (Deũ) *& Filium, qui ab eo venit, aliorumque ſequentium, aſſimilatorumque bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum Propheticum colimus, & ADORAMVS; verbo & veritate venerantes, IDQVE* (nota) *OMNIBVS, QVI DISCERE VELINT, VT EDOCTI SVMVS, TRADENTES.*

15. S. Ioannes Damaſcenus. (b) *Decet Dei Matrem ea, quæ Filij ſunt, poſſidere, & ab omnibus ADORARI.* Et iterum. *Sepulto eius* (Ma-

(a) *Apolog 2. ad Anton. Pium. circa initium.*

(b) *Serm. 1 de Nativit & orat. 2. de Dormit. ac Aſſũpt. Virgin.*

(Mariæ) corpore, cùm vnus Thomas, qui abſuerat;poſt tertium diem veniſſet, & quod Deum ſuſceperat corpus ADORARE voluiſſet, tumulum aperuerunt.

16 S. Baſilius Magnus,(c) ſuæ Fidei confeſsionem de diverſo cultu Dei,& Sanctorum, Iuliano Cæſari exponens,ſubdit:*Quam ob cauſam,& hiſtorias imaginum illorum* (Sanctorum) *honoro, & palàm ADORO.*

(c) *Act.4. Niceni Cōcilij.*

17 Magnus Parens Auguſtinus. (d) *Beatiſsimum Petrum piſcatorem modò genibus provolutis ADORAT gentium multitudo credentium.* Et alibi (e) dicit: Homines eſſe colendos,& honorandos, & ſi multum eis addatur, etiam *adorandos,* ibidemque fatetur,ſæpe adorandi verbum attributum fuiſſe licito creaturarum cultui.

(d) *Serm. 25. de Sanctis infin.*

(e) *Lib.10 de Civitat. Dei cap.4.*

18 S.Martinus Papa, per calumniam inſimulatus,ſe malè ſentire de Virgine,reſpondit eiuſdem Virginis oſoribus (f) anathematis indictione. *Quiſquis Beatam ſuper omnem creaturam, & naturam humanam ; abſque eo , qui genitus eſt ex ea ; venerabilem ſemperque Virginem,Matrem videlicet Domini noſtri,non honorat,atque ADORAT, ANATHEMA SIT,& in præſenti ſæculo,& in futuro.*

(f) *In actis de eius exilio.*

19 Nicetas Patriarcha Conſtantinopolitanus, præſcribens ordinem ad Mahometanos Eccleſiæ reconciliandos Catholicæ, hanc Fidei confeſsionem (g) iubebat à ſingulis exigi. *Sanctam Virginem, quæ Chriſtum in carne peperit , Dei propriè , verèque Matrem eſſe credo, & confiteor , eandemque vt reverà Dei, qui homo factus eſt , Matrem , atque idcircò Dominam , & Reginam omnis creaturæ divina gratia effectam, ADORO & revereor.*

(g) *In fragmento ex lib.20. theſauri Orthodoxiæ.*

20 In laudata Nicena Synodo (h) lectus eſt ex prato ſpirituali Sancti Sophronij fædus lapſus neſcio cuius Monachi, graviſsimè à fornicationis ſpiritu vexati: ideòque dubitantis, de admittenda,& iuranda hac Diaboli oblatione. *NE ADORES Deiparæ imaginem, & te ampliùs non impugnabo.* Vbi ly *adores* non quidem latriam, aut ſupremum cultum, ſed cultum Mariæ Virgini debitum, eiuſque imagini, ſignificat.

(h) *Act.4.*

21 Theodorus Patriarcha Hieroſolymitanus.(i)*Adoramus Chriſti imaginem, &c. Veneramus etiam , & adoramus imaginem Deiparæ.* Alia id genus teſtimonia,quæ longum eſſet referre, minimè improbata à Nicena Synodo, legantur ibidem.

(i) *Epiſtol. relata in actione 3. Niceni Cōcilij.*

22 Prætereundi tamen non ſunt tres illi Theologi , ac Magiſtri Pariſienſes, SS. Albertus Magnus, Thomas Aquinas,& Bonaventura, quibus , quantùm deferendum in rebus præſertim Theologi-

logicis, norunt Sapientes omnes,nec finem dicendi faciunt.Albertus Magnus (k) integra diſtinctione de adoratione ediſſerens,perpetuus eſt in vſurpando adorationem, tanquàm quid commune reverentiæ Deo,& Sanctis eius debitæ, perinde ac cultum, adorationes ſicut,& cultus multiplicans. Conſulatur ipſe

(k) *In 3. diſtinct. 9.*

23 Angelicus Magiſter eadem non abſtinet vſurpatione vocis, varijs in locis de adoratione pertractans,cuius inſigne (l) produco teſtimonium. *Quia quæ exterius aguntur,* inquit,*ſigna ſunt interioris reverentiæ, quædam exteriora ad reverentiam pertinentia exhibentur creaturis, inter quæ maximum eſt ADORATIO, ſed aliquid eſt, quod ſoli Deo exhibetur, ſcilicet ſacrificium.* Et iterum,de Sanctorum reliquijs (m) loquens, ait. *Dicendum, quod corpus illud inſenſibile non adoramus propter ſe ipſum, ſed propter animam, quæ fuit ei vnita, quæ nunc fruitur Deo,& propter Deum,cuius fuerunt Miniſtri.* Conſequentiamque doctrinæ retinens docet, Virginem (n) Mariam eſſe *ADORANDAM*,quamvis non latria, ſed hyperdulia.

(l) *2.2. q. 84. art. 1. in corp.*

(m) *3.p.q. 25. art. 6. ad 2.*

(n) *Ibidem artic. 1. in corp.& ad 2.*

24 Seraphicus Bonaventura ipſum loquendi morem retinet per totas ſex quæſtiones vnicæ de adoratione diſtinctionis, ex qua (o) partiunculam iſtam deligo. *Ad illud quod dicitur, quòd Chriſtus honoravit Matrem ſuam,dicendum,quòd verum eſt,ſed Chriſtus non adoravit eam adoratione latriæ, ſed hyperduliæ, non enim adoravit eam, vt Deam, ſed vt Filius Matrem ſuam; ideò benè ſequitur, quòd Chriſtus velit Matrem ſuam ADORARI, & venerari, ſicut decet Matrem Dei; ſed ex hoc non ſequitur, velle illum honorem Matri exhiberi, quem vult exhiberi ſibi, pro eo quòd ita eſt Mater. Quoniam ancilla, & Perſona Matris in infinitum inferior eſt Perſona Filij; ideò etſi multum debeat ADORARI, & amari, in infinitum tamen minùs debet adorari, & amari, ſecundum legem iuſtitiæ, & rectum ordinem, quàm eius Filius, qui eſt Rex Regum, & Dominus dominantium.*

(o) *In 3. diſtinct. 9. quæſt. 3. in fine.*

25 Perpendite amabò Cenſores, perpendite Bonaventuræ doctrinam, & ex eo addiſcite, Virginem à Chriſto Domino adoratam, quam adoratam ab Angelis ſcandalum putaſtis in Venerabili Abbatiſſa. Igitur maiorum veſtrorum veſtigiis, & eruditioni inſiſtentes, eorundem loquutiones probate, veſtras Cenſuras proſternendo, & recantando, ne vos hac in parte comprehendat Ioannis Sariſberienſis (p) Cenſura. *De Magiſtris,* inquit, *aut nullus, aut rarus eſt, qui Doctoris ſui velit inhærere veſtigijs. VT SIBI*

(p) *Lib. 3. Metalogic. cap. 18.*

FA-

Digitized by Google

FACIAT NOMEN, QVISQVE PROPRIVM CVDIT ERROREM.

§. II.

DILVITVR ARGVMENTVM EX SCRIPTVRA efformatum.

26 ARguitur. In Deuteronomio (*a*) dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: quod teſtimonium repoſuit Chriſtus Dominus, (*b*) repellens Satanam ſibi ab illo expetentem adorationem: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Ergo ſolus Deus eſt adorandus, ſicut & ſoli ipſi exhibenda eſt ſervitus, de qua ibidem loquitur.

(*a*) *Deuteronomij 6.*
(*b*) *Matth. 4.*

27 Reſpondeo. Idem argumentum materiatur ab Hæreticis ad expugnandum Sanctorum cultum, hoc tamen diſcrimine, quòd Hæretici de re cõtendunt, modò duntaxat de voce *adoratio* diſceptatur: attamẽ ſolutione eadem vtraque difficultas evaneſcit: quoniã in textu non additum eſt ly *ſolum* prioribus verbis, *Dominum Deum tuum adorabis*, ſicuti poſterioribus adiicitur, & *illi ſoli ſervies*: atque adeò vox *adoratio*, non reſtringitur ad ſignificandum cultum illum, qui ſoli Deo impertiendus dicitur, & latriæ cultus appellatur, vt ex Nicena Synodo tranſcripſi num. 11.

28 Quam expoſitionem dedit Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus in Epiſtola ad quendam Scholaſticum recitata in dicta Synodo, (*c*) ſubiiciens. *NEMO OFFENDATVR ADORATIONIS SIGNIFICATIONE. ADORAMVS enim homines, & Angelos ſanctos, non tamen ſervimus illis. Dominum enim, inquit Moyſes, Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Et vide, quomodo in eo quidem, quod dixit, SERVIES, præpoſuit ſoli; in eo verò quòd ait, ADORABIS, NEQVAQVAM.* Admiſit hunc textus intellectum Synodus; (*d*) & ſubiunxit. *Porrò Pſeudoſyllogus ille* (id eſt Scholaſticus) *hunc locum in ſuam accepit, quaſi iuſtificationem* (eo ſcilicet ſuadendo, ſolum Deum eſſe adorandum) *evidens tamen eſt, quod impiè hoc aſſumpſerit.*

(*c*) *Act. 4.*
(*d*) *Ibid.*

29 Conſentit Auguſtinus etiam, qui quærens, quomodo ſcriptum ſit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, ſi Abrahamus ſic honoravit populum quendam, vt item adoraverit, Geneſis 23? Reſpondit. (*e*) *Animadvertendum eſt, in eodem præcepto*

(*e*) *Quæſt. 61, in Gen.*

Digitized by Google

to non dictum Dominum Deum tuum SOLVM adorabis, ſicut dictum eſt, & illi ſoli ſervies, quod eſt græce latria. Talis enim ſervitus non niſi Deo debetur. Servitutem ergo ſoli Deo debitam rectè idem Sanctus Doctor in opere de Civitate Dei per latriam ſignificari ſcripſit, atque energiam huius nominis *latria* expoſuit (*f*) dicens. *Latriam noſtri, vbicumque Sanctarum Scripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſervitus, quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcepit Apoſtolus, ſervos Dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine græce nuncupari ſolet. Latria verò ſecundum conſuetudinem, qua loquuti ſunt, qui nobis divina eloquia tradiderunt, aut ſemper, aut tam frequenter, vt penè ſemper, ea dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum.*

(*f*) *Lib.* 10. *cap.* 1.

30 Vocem itaque adæquatè correſpondentem nos Latini non habemus, ideòque græca *latria* ſemper vtî conſuevimus, vt benè admonet magnæ eruditionis vir Pater Chriſtianus Lupus, (*g*) edoctus à ſuo, & noſtro Auguſtino, qui memorato loco de Civitate Dei teſtatur, ſe ad ſignificandum vno verbo cultum ſoli Deo exhibendum vti voce græca *latria*: *quoniam ad id ſatis idoneum non occurrebat latinum* verbum. Quapropter idem S. Doctor (*h*) advertit, inde vocari idololatras, qui falſos Deos colunt. Quæ omnia non ita eſſent, ſi vox latina *adoratio*, vt conantur Cenſores, ſupremam cultus ſpeciem, ſeu cultum ſolius Deitatis ratione exhibendum, ex vſu Eccleſiæ ſignificaret. Legatur (*i*) Pater Soarius.

(*g*) *In notis & ſcholijs ad Canones Niceni Cōcilij 2. Initio.*

(*h*) *Dicta quaſt. in Geneſim.*

(*i*) *Vbi ſup. ſect. 3. v. Secundo divìdi, &c.*

31 Præterea, concedatur, ſpectata verborum cortice ſignificari in prædicto textu, ſolum Deum eſſe adorandum, adhuc non vrget obiectio: nam ex alijs Scripturæ textibus conſtat, adorationis vocem ad ſignificandum cultum creaturis debitum ampliari: & ideò Moyſes exponendus tunc erat de adoratione excellentiori, quàm adorationis voce per antonomaſiam accepta, fas eſt ſignificare: vtî eadem ratione in Scriptura ipſa dicitur, (k) quod *nemo bonus niſi vnus Deus*, & millies ibidem traditur, alios à Deo itidem dari bonitate præditos. Quam regulam ſacra eloquia paſsim conciliandi nullus Theologus ignorat.

(k) *Marci* 10. *v.* 18.

32 Inſtabis. Quamvis ex vſu Scripturæ adorationis vocabulum ſignificet etiam cultum creaturarum, id habet loquendo de cultu civili; attamen, cùm de ſacro, & religiosè exhibito agitur, nunquam in Scriptura accipitur niſi pro Dei cultu: ſed impræſentiarum diſceptatio procedit de ſignificatione cultus ſacri: ergo Scripturæ vſus aſſertioni noſtræ non ſuffragatur.

Reſ-

Digitized by Google

33 Reſpondeo. Nego maiorem. Sunt enim in Scriptura plura teſtimonia in oppoſitum. Primò. (*l*) *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.* Quæ adoratio, utpotè exhibita Angelo, quæ non hominem putavit Balaamus ſed vt Angelum Domini cognovit, ſacra & religioſa fuit, non civilis: ſiquidem Angelis, vt benè ſubiungit Bellarminus (*m*) hoc idem verſans, ridiculum eſt dicere, deberi civilem honorem. Neque reprehenſus invenitur (effugium præcluditur) ob id Balaamus, atque ideò non malè fecit ſic adorando.

(*l*) *Num.* 22. *v.* 31.

(*m*) *De Sãctorũ Beatitudine cap.* 13.

34 Secundò. Cùm vidiſſet Ioſue virum ſtantem evaginato gladio (*n*) dixit. *Noſter eſt, an Adverſariorum?* Et ille, *nequaquam,* inquit, *ſed princeps ſum exercitus Domini, &c. Continuò cecidit Ioſue pronus in terram, & adoravit.* Quòd Ioſue non putaverit illum, quem adorabat, eſſe Deum, patet: quia Angelus dixerat, ſe eſſe Dei miniſtrum. Quòd etiam non adoraverit civiliter, ſed religioſè, conſtat; quia non priùs adoravit, quàm intellexit eſſe Angelum Dei legatum. Denique non malè feciſſe adorandò ex eo liquet, quod Angelus, nedum non prohibuit eum ab adoratione, ſed etiam iuſsit adhuc maiorem honorem ſibi exhiberi, (*o*) dicens. *Solue calceamentum tuum de pedibus. Locus enim, in quo ſtas, Sanctus eſt.* Qui autem locus, non niſi ob Angeli præſentiam, ſanctus erat: quoniam tunc Ioſue in campeſtribus Iericho, & nõ in loco ſacro morabatur.

(*n*) *Ioſue* 5. *v.* 14. & 15.

(*o*) *v.* 16.

35 Tertiò. Saul (*p*) *inclinavit ſe ſuper faciem in terra, & adoravit* animam Samuelis ſibi apparentem: in quo Saul non erravit, quandoquidem nec ipſe Samuel, nec Scriptura Saulem reprehendit: neque civili honore adoravit, is enim, vt optimè Bellarminus, (*q*) animabus defunctorum non convenit.

(*p*) 1. *Reg.* 28. *v.* 14.

(*q*) *Vbi ſuprà.*

36 Quartò. Filij Prophetarum, cum audijſſent, ſpiritum Eliæ requieviſſe ſuper Eliſæum, (*r*) *venientes in occurſum eius adoraverunt eum proni in terram.* Quæ adoratio merè civilis non fuit, aut ex motivo naturali, ſed ſacra & religioſa iuxta ſanctitatis motivum, quod inſinuarunt dicendo. *Requievit Spiritus Eliæ ſuper Eliſæum.*

(*r*) 4. *Reg.* 2. *v.* 15.

37 Quintò. *Rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adoravit.* (*s*) Quis autem diceret, aut crederet, à Rege ſummo adoratum civiliter vnum ex captivis; qualis erat Daniel? Adoravit ergo eum religioſè, vt hominem Deo plenum. Neque per errorem adoravit, Deum illum exiſtimans; quandoquidem

(*s*) *Danielis* 2. *v.* 46

ado-

adcrans ait. *Verè Deus veſter Deus Deorum eſt,& Dominus Regum, & revelans myſteria: quoniam tu potuiſti aperire hoc Sacramentum.* Hæc omnia ex laudato tranſtuli Bellarmino.

38 Sextò. In Evangelio plures dicuntur *adoraſſe* Chriſtum, quem tametſi plures,vt Deum non cognoſcerent,ſed vt hominem, in quo virtus Dei erat,ſacro & non tantum civili cultu reverebantur. Legeſis ſacros Evangeliſtarum textus.

(t) *Apocalip.* 19. *v.* 10.

39 Denique, Ioannes Evangeliſta (*t*) de ſe ipſo dicit. *Et cecidi ante pedes eius,* (Angeli) *vt adorarem eum.* Qui cultus religioſus ſanè & ſacer, non civilis erat. Neque obeſt, quod Ioannes audierit ab Angelo, *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu, Deum adora*: quoniam verba hæc reprehenſionem non continent. Tum, quia incredibile eſt, Ioannem voluiſſe adorare Angelum vltra quod honeſtè poterat. Tum,quia ſi Angelus cohibuiſſet Ioannem, vt malè agentem,non idem feciſſet Ioannes ſecundò, nec bis in eundem lapidem impegiſſet; rurſum tamen adorare (*u*) voluit Angelum, & rurſum prohibitus eſt iiſdem verbis: quæ quidem vtrobique fuere verba modeſtiæ, qua hoc in ſe conſiderabat Angelus, quod cum Ioanne commune habebat, nempe ſervum eſſe Dei, & propterea addidit. *Conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum.* Factum eſt autem id, non propter Angelum, cui nullum erat elationis periculum, ſed ad noſtram inſtructionem, ne quis homo,quantumvis magnus, facile ſe patiatur eximio aliquo honore affici, ne in ſuperbiam erigatur, ſed ſtatim ſibi proponat, quod cum alio habet commune, nempe hominem eſſe, Chriſtianum eſſe, &c. Videatur (*x*) Guillelmus Eſtius.

(u) *Apocalip.* 22.

(x) *Super eundẽ locũ.*

40 Reſpondebunt Cenſores, ſe iam in Cenſura indicaſſe, ita hæc ſe habere, ſed extra ſacras literas Eccleſiam vſu ſuo verbum adorandi transformaſſe in peculiarem cultus Deo præſtandi ſignificationem, cùm de ſacra adoratione agitur.Cæterùm reſponſum iſtud falſum omninò eſſe, demonſtrant per totam diſſertationem expenſa, & expendenda. Neque enim Eccleſia, alioqui in ſuis locutionibus Scripturarum mori addictiſsima,in illam incidiſſet vſurpationem,niſi vitandi alicuius erroris cauſa,quod hactenus neceſſarium fuiſſe necunde conſtat.

41 Quidquòd Theologi Sanctorum cultum probant nedum ex verbo Dei tradito, quin & ſcripto, vbi nomine adorationis crebro ſignificatur,eodemque nomine frequenter vtuntur ad illum ſigni-

ſignificandum; quod neutiquam obſervarent, ſed in alia ſe explicarent verba, ſi vſus Eccleſiæ exadversò ſtaret. Et quidem ſi prædictus vſus in ſæculis noſtrum præcedentibus invaluiſſet, Theologi earundem ætatum illum retinuiſſent;hoc autem minimè factum invenitur; imò, etiam eò conceſſo, nullus ſupereſſet Cenſuræ locus: nam his temporibus eouſquè viget adverſa vocis vſurpatio,vt ſatis, ſuperque fuiſſet ad antiquam revocandam. Quæ omnia ex dicendis abundantiùs apparebunt.

§. III.

ARGVMENTVM EX PATRVM TESTIMONIIS deſumptum proponitur,& diluitur.

42 QVamvis Patres Eccleſiæ dixerint, Sanctos eſſe honorandos,& venerandos, non tamen dixerunt, eſſe adorandos, quin potiùs oppoſitum: ergo adorandi verbum ampliandum non eſt ad cultum Sanctorum ſignificandum. Probatur antecedens. S. Hieronymus (*a*) inquit. *Nos autem non Angelos,non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim,&c. Colimus,& adoramus, ne ſerviamus creaturæ potiùs,quàm Creatori*.S.Auguſtinus.(*b*) *Honorādi ergo ſunt* (Sancti) *propter imitationem,non adorandi propter Religionem.*

43 Sanctus Epiphanius: (*c*) *Reverà Sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus; reverà Virgo erat ipſa honorata, ſed non ad adorationem nobis data*: & alia id genus repetit. S. Petrus Paſchaſius.(*d*) *Cùm autem Mauri,& Iudæi dicant,quòd nos Imagines adoramus, oportet vt ſciatis, nos imagines non adorare, ſed vnum tantummodo adorare Deum.* Similiter loquuntur nonnulli alij PP.

44 Hæc pene omnia afferunt Hæretici contra Sanctorum cultum, non adducturi profectò, ſi Catholicæ Eccleſiæ vſus has loquutiones probaret: *Sancti adorandi non ſunt: ſolus Deus eſt adorandus*: quoniam idipſum, inſpecta verborum ſpecie, qua nituntur Hæretici,profitentur laudati Patres,atque ideò vel hinc iam evincitur, vſum Catholicorum ampliare ſignificationem adorationis ad cultum Dei,& Sanctorum,nec limitare,prout Pariſienſes commenti fuere.

45 Reſpondeo. Cardinalis Lauræa, idem ſibi opponens argumentum, ſatisfactum iri iudicat, (*e*) dicendo, quod omnes

(*a*) *Epiſt. 53. ad Ripariū contra Vigilantium.*

(*b*) *De vera Religione cap. 55.*

(*c*) *Hæreſi 79.*

(*d*) *Contra ſectā Mahomet. titulo 14. num. 285.*

(*e*) *In 3. diſp. 29. art. 10. nu. 288.*

Digitized by Google

Patres docuerunt, venerandos,& honorandos eſſe Sanctos, *& plures addiderunt, adorandos.* Ita quidem graviſsimus Theologus, & benè: quia non adeò inter ſeſe pugnarunt Patres circa vſurpationem vocis *adoratio*, vt qui pro ſignificatione à Pariſienſibus intenta in ſpeciem ſtare videntur, aliorum alteram ſignificationem vllatenùs condemnaverint, aut illis affulſerit adſtringens Eccleſiæ vſus., quem modò Pariſienſes obtrudunt ad latas Cenſuras colorandas.

46 Addo, quòd adorationis nomen commune eſt, & abſtrahit à ſpecificis Deum, & creaturas colendi rationibus; nihilominùs verò quãdoque Patres aliqui ea voce ſimpliciter prolata vtuntur, ad ſignificandam per antonomaſiam ſupremam latriæ adorationem, & hac ratione aſſerunt, ſolum Deum eſſe adorandum, quin propterea negent, Sanctos adorandos eſſe, adoratione communiter dicta, aut determinata per differentiam cultus Sanctis præſtandi: non ſecus ac Paulus alicubi (*f*) ſcribens: *Soli Deo honor, & gloria,* alibi veruntamen dixit, (*g*) *Gloria autem, & honor omni operanti bonum.*

(*f*) 1. *Thimot.* 1. *v.* 17.

(*g*) *Ad Rom.* 2. *v.* 19.

47 Ratio, ob quam Patres quandoque eam loquendi normam ſequuntur, eſt: quia excellentiæ Dei, & creaturarum, propter quas ipſis adoratio debetur, ſic diſtant, vt divina infinitè ſuperet creatam, hæcque illi oppoſita, non tam excellentia, quàm non excellentia, & nihilum videatur; quamobrèm adoratio, ita abſolutè ſignificata, aliquando Deo exhibenda dicitur, perinde ac ſi ſoli ipſi, & non creaturis deberetur. Sicut quia eſſe Dei excedit ſummè creaturarum eſſe, ſi iſtæ cum Deo quoad eſſe comparentur, non tam eſſe, quam non eſſe dicuntur, quaſi ſolus Deus ſit. Id quod pulcherrimè explicuit (*h*) Philo Hebræus dicens. *Ex virtutibus ea, quæ Dei eſt, reipsà eſt ſecundum eſſe conſiſtens: quoniam & Deus ſolus in eſſe ſtat. Propterea neceſſario de ſe ipſo dicit, ego ſum qui ſum, tanquam ea, quæ poſt ipſum habent eſſe, reipsà non ſint, ſed exiſtimatione tenus ſubſiſtere videantur.*

(*h*) *Tract. de deterioris invaſione in id, quod melius eſt.*

48 Rurſus. Adnotavi ſuprà, quod etiam confirmat Bellarminus, (*i*) nullum reperiri in lingua latina incomplexum vocabulum, quod ſolum dicatur de cultu Dei; hoc autem non ita eſſet, ſi *adoratio*, vox certè latina, ſignificaret, quemadmodùm Pariſienſes contendunt: & idcircò ſiquando Patres aliqui eam abſque verbali addito aſſumunt, ad ſpecialem cultum Deo debitum ſignificandum, manifeſtè conſtat, id feciſſe antonomaſiæ cauſa; vel forſan etiam impugnando alios, qui adorationis voce ſupremum cultum deno-

(*i*) *Vbi ſuprà cap.* 12

Digitized by Google

denotatum rati, Catholicos,ſe adorare Sanctos proclamantes, velut Idololatras detrectabant: quam vt propudioſam calumniam Patres contunderent, atque in Catholicam ſententiam faciliùs adverſarios traducere poſſent, ſincerum noſtræ Religionis ſenſum nonnunquam aperuerunt, Dei cultui adſcribendo adorationis nomen,& Sanctorum cultum alijs explanando vocibus,neutiquam tamen rei detrahentibus: etenim ſicubi, hîc maximè, tenet regula Auguſtini, (k) quod ſcilicet, *dummodo intelligatur quod intelligendum eſt, non magnoperè curandum quid vocetur.*

(k) *Lib.de Geneſi ad lite.cap.4.*

49 Cui regulæ incumbens, prout cogitabam de Patribus, aliquando loquutus eſt Eximius Pater Soarius, vel his temporibus, cùm iam maximè invaluit diſerta adorationis vſurpatio, qualem contra Pariſienſes contendo. Is itaque magnus Theologus, aliàs pro aſſertione noſtra validè decertans, in aureo illo opere contra Regem Angliæ, ſic habet de cultu Virginis (*l*) ediſſerens. *Hanc Beatiſſimam Virginem ſe venerari Rex profitetur, quod etiam libenter legimus,& admittimus. NEC DE VERBO VENERANDI,VEL ADORANDI QVÆSTIONEM MOVEMVS, licèt fortaſſe Rex primum admittere, poſterius autem cavere conſultò ſtuduerit.*Explicat poſtea, adorationis vocem communem eſſe, & varias ſpecies habere, nempe latriam, duliam & hyperduliam, atque quid de re in his verbis contineatur declarans, tandem (*m*) addit.*Nos igitur hac mente confitemur,Beatam Virginem eſſe venerandam.ET AB ADORANDI VERBO, NE QVEMPIAM IN FIDE INFIRMVM OFFENDAT, ABSTINEMVS.*Similem offenſionem timere non potuit Venerab.Abbatiſſa Catholicos allocuta,& inter Catholicos, quibus benè perſpecta eſt vox iſta *adoratio*: imò & Hæretici affatim iam intelligunt, quid Nos Catholici adorationis verbo velimus; proptereaque nobiſcum non niſi de reali cultu certant.

(*l*) *Lib. 2. cap.7. nu. 2.*

(*m*) *Nu.7.*

50 Generatim dixi, ſingula percurram modò.Sanctus Hieronymus per antonomaſiam loquebatur, prout animadverſum eſt,& ex verbis ipſis conſtat; nam non ſolum dixit, *non adoramus*, ſed etiam, *non colimus*; quin ideò vllus Catholicus audeat proferre, Hieronymum negaſſe,Sanctos eſſe colendos, ſed tantùm,colendos eſſe ſupremo cultu. Quare Marianus Victorius (*n*) in ſcholio ad dicta verba addidit. *Ea ſcilicet latriæ, vt vocant Theologi adoratione, quippè cùm illa ſoli Deo conveniat.* Qua adnotatione opus non erat, ſi ex vſu Eccleſiæ adorandi verbum, Dei,& non Sancto-

(*n*) *Nu.4.*

 rum

Digitized by Google

rum cultui ſignificando determinatũ manſiſſet;& in amplioris huiuſce verbi ſignificationis ſuffragium , idem Interpres ſubiungit. *Latè autem adorationis vocabulum patere,&c.ex ipſis Sacris Biblijs compertiſſimum adeo eſt, vt ſuperfluum hic fuerit loca citaſſe.*

51 S. Auguſtinus agit de vera Religione contra Idololatras, creaturas ſupremo cultu, & vt Deos colentes: quocirca religionis cultum, ſtrictè ſumptum , & prout ſub nomine religionis accipipitur ab eodem Sancto Doctore lib. 10. de Civit. cap.1. ad Dei cultum ſignificandum , duntaxat negat Sanctis conferendum , & ideò addit, *non ſunt adorandi propter religionem* : minimè tamen renuit ſacrum, & religioſè exhibendum cultum, qui vera adoratio ſit, vt ex ipſo ſuprà dedi.

52 Epiphanius antonomaſia vtitur adorationem pro latria ſupponens, & hac ratione mulieres quaſdam refutans , quæ veluti Præsbyteridæ , & Sacrificulæ, Virgini Mariæ ſacrificium offerebant,quod tamen nulli, præterquàm Deo,offerri poteſt.Quidquòd idem Sanctus Doctor (verba ſunt Patris Caniſij (o) eidem argumento reſpondentis,& de adorationis ſignificatione diſputantis) *teſtatur , MARIAM VIRGINEM AB ANGELIS ADORARI, ſicut ſermo illius de laudibus Mariæ Deiparæ conſcriptus,& à Ioanne Pico latinè verſus comprobat.*

(o) *Lib. 5. de Deipara cap. 16.*

53 Opera S. Patris Noſtri Petri Paſchaſij , priuſquàm in lucem ederentur, demandata fuere ad Cenſuram Cardinali de Lauræa, qui, cùm illa evolueret, incidit in verba ſuperiùs obiecta, & expoſitione digna putavit, non ita exiſtimaturus , ſi vſus Eccleſiæ à Pariſienſibus invectus conſtaret : quamobrèm ne quis in illis offenderet (p) per iſta expoſuit. *Hæc oportet intelligi de adoratione latriæ , quæ ſoli Deo debetur , & de hac adoratione tunc erat cum Mauris quæſtio Fidei , qui frequenter nos traducunt de crimine Idololatriæ,eò quòd imagines adoramus,quam certè adorationem latriæ, ſoli Deo debitam , negat catholicè author Sanctis imaginibus exhiberi.* Vnde deducitur, S. Petrum iam antonomaſia, iam occaſione erroris, & calumniæ Mahometanorum, permotum fuiſſe ad illam adorationis vſurpationem.

(p) *In iudicio operum, v.Ex quibus pariter.*

54 Ex dictis (vt nihil prætermittam) facilè eruitur ſenſus ſextæ Synodi Generalis (q) dicentis : *Solo Deo adorato, invocet Chriſtianus Sanctos, vt pro ſe intercedere apud divinam Maieſtatem dignentur:* exponenda ſiquidem eſt de adoratione per antonomaſiam pro latria accepta;præſertim, cùm ſecũda Nicena laudata Synodus,

(q) *Seſſ.18 cap. 7.*

quæ

Digitized by Google

quæ ſeptima Generalis fuit, & ideò poſterior, Sanctorum cultui per adorandi verbum ſignificato, expreſsiſsimè faveat. Nec Concilium Tridentinum refragratur (*r*) dicens, *Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ* (Imagines) *ſimilitudinem gerunt, veneremur.* Tum: quia nemo putat neceſſarium, adorationis voce ſemper vti, alijs ad cultum ſacrum ſignificandum idoneis non deficientibus. Tum, quia in dicta Synodo minimè de vocis ſignificatione diſputatum fuit, & forſan Patres, quibus efformatio decreti incubuit, adorationis verbum nō iterarunt, cùm de Sanctorum cultu loquebantur, ob grammaticalis ſermonis concinnitatem, quodammodo decolorandam ſi dixiſſent, *Chriſtum adoremus, & Sanctos, &c. adoremus*; quin diverſitas hæc verborum aliud occuluerit myſterium. (*r*) *Seſſ. 25 initio.*

55 De Scripturæ, Conciliorum, & Patrum vſu, circa adorationis vocem perfecta iam diſceptatione; concludo, verbis Doctiſſimi Patris Petri Caniſij (*s*) de eiuſdem vocis ſignificatione, & vſurpatione pertractantis. *Quis ergo miretur, aut vllo modò indignum cenſeat, quòd iuxta veterum morem Mariam adorari poſſe dicamus? Retinendum eſt itaque ſedulò, pervetuſtum, ſemperque vſurpatum in Eccleſia nomen adorationis, ſive illud Deo, ſive hominibus, ſive ſignis tantum ſacris, ſicut Arca Domini, & Templo Salomonis, ſive imaginibus pijs attribuatur.* Quid nunc Pariſienſes? Ad recentiorem Eccleſiæ vſum forſan convolatis: verùm & ab ipſo proſcribemini. Legite quæſo ſequentia. (*s*) *Vbi ſuprà.*

§. . IV.

AVTHORITATE DOCTORVM HVIVS, ET PRÆcedentis ſæculi, convellitur Pariſienſium Cenſura.

56 TOt Authores noſtræ aſſertioni annunt, vt ex ipſorum omnium ſcriptis excerpere teſtimonia, & hîc inſerere, immenſi operis foret: ideòque ſatis erit, ſi aliquorum dicta repræſentem, aliorum locis indicatis, & cæteris generatim memoratis. Initium duco à Sapientiſsimis Theologis Purpura clariſsimis.

57 Cardinalis Hoſius ait. (*a*) *Qui Sanctos ADORAT, Dei dona in Sanctis ADORAT, quantò magis idem quiſque facere credendus eſt in ea ADORANDA, ex cuius vtero proceſſit is, per quem Sancti ſunt, quotquot ſunt Sancti.* (*a*) *Tom. 1 pag. 241.*

Car-

(b) 3. p. q. 25. art. 5.

58 Cardinalis Caietanus. (*b*) *Beata Virgo eſt ADORANDA non latria, ſed hyperdulia.*

(c) Vbi ſuprà cap. 12

59 Cardinalis Bellarminus. (*c*) *In lingua latina non habemus vllum vocabulum, quod ſolum dicatur de cultu Dei, vt Auguſtinus notavit.* Quod falſum eſſet, ſi adorationis vocabulum ſignificaret, ſicuti Cenſores dicunt. Item: *obſervandum eſt, tot eſſe ſpecies ADORATIONIS, ſive cultus, quot ſpecies EXCELLENTIÆ, vt Beatus Thomas docet.* Et identidem inquit, Sanctos eſſe *ADORANDOS.*

(d) De Incarnation. diſp. 25. ſect. 2. nu. 28.

60 Cardinalis Lugus. (*d*) *Supponendum omnino eſt, B. Virginem ADORABILEM ESSE, & in Eccleſia ſemper religioſò, & ſacro cultu ADORATAM fuiſſe.* Et per integras duas diſputationes adorationem vſurpat, tanquam quid commune Dei, & Sanctorum cultui.

(e) De divina Pſal. cap. §. 4. num. 3.

61 Cardinalis Bona. (*e*) *A Fidelibus autem Catholicæ, & Orthodoxæ Eccleſiæ, ſpeciali cultu hyperduliæ ADORATAM FVISSE* (Virginem) *ab ipſo Eccleſiæ ortu vſque ad hæc tempora, innumeri Scriptores teſtantur.*

(f) Vbi ſuprà art. 1. num. 3.

(g) Ibidem art. 9. nu. 223.

62 Cardinalis Lauræa. (*f*) *Adverte, quòd cùm adoratio præſtetur ob excellentiam, ac dignitatem adorati, & dividatur primò in civilem, ac ſacram, DD. Catholici, duce Sententiarum Magiſtro in 3. diſtinct. 9. diſtinguunt ſacram, id eſt, eam, quæ debetur ſacris, ſeu divinis rebus, Perſoniſque, in tres ſpecies, ſcilicet latriam, duliam, & hyperduliam.* Et poſtea. (*g*) *Beata Virgo Maria ſacra ADORATIONE adoranda eſt. Eſt de Fide.*

(h) Controverſia 26.

63 Cardinalis Capiſucchus (*h*) eidem vocis *adoratio* acceptioni ſuffragatur, per integram de adoratione controverſiam.

(i) In refutat. fal. diſc. pag. 210. & ſeq. edit. Pariſienſis an. 1633.

64 In idem conſentit Cardinalis Perronius, (*i*) natione Gallus, cuius opera ad manus non habeo, ſicut neque aliorum, quos non dubito, diſceſiſſe nunquàm. Adhæc: nonnulli ex his DD. directè cum Hæreticis diſputant, & nec tunc eandem vocis vſurpationem recuſant, quod valde ſuadet eam genuinam eſſe, & vſui Eccleſiæ ſummè conſentaneam.

65 Ex alijs Theologis eòdem incumbunt, Soarius, Vazquius, PP. Salmanticenſes, & quotquot ſunt Hiſpani, qui de adoratione ſcripſerunt, ſive ſpeciales de ea edendo tractatus, ſive commentarijs exponendo Magiſtrum Sententiarum, & Sanctum Thomam, illum in 3. diſt. 9. hunc 2. 2. quæſt. 84. & 3. p. q. 25. Nec ex Germanis, Italis, alijſque non Gallis, vllum quem viderim, aut citatum legerim, diſſidentem agnovi: omnes enim pleno ore, &

pro-

Digitized by Google

procul dubio fatentur, eſſe adorandos Sanctos, ſacram adorationem comunem eſſe Dei, & Sanctorum eius reverentiæ, alijſque ſimilibus aſſertis paſsim ſuam aperiunt mentem. Imò Hiſpaniarum Sancta, & Generalis Inquiſitio, cunctæque Academiæ, tanquam Hæreticas damnarent has propoſitiones, *Solus Deus eſt adorandus, Sancti non ſunt adorandi*, ſi ex contextibus alium non referrent ſenſum, præterquàm eum, quem ex vi verborum immittunt, & reipsà iuſſæ ſunt abradi ex indicibus operum S. Epiphanij, Hieronymi, & Auguſtini, induſtria aliorum Authorum confectis, vt videre eſt in Catalogo Hiſpano librorum prohibitorum, anno 40. huius ſæculi edito: quoniam in dictis indicibus avulſæ apparent ab alijs, quibuſcum in corpore operum eorundem Sanctorum Catholicum faciunt ſenſum, quem tamen ſibi relictæ nullatenus præſeferunt.

66 Ecquid modò Cenſores? Quò confugiendum? Aſſument, quod in non diſpari omnino argumento admonuit Sanctus Thomas, (k) ſcilicet, *ad officium boni tranſlatoris pertinere, vt ſervet ſententiam, mutet autem modum loquendi ſecundum proprietatem linguæ, in quam transfert.* Cùmque verbum adorandi, alioqui apud Hiſpanos impunè vſurpatum prout à Venerab. Matre accipitur, inſpecto vſu Gallicæ nationis deſtinatum ſit ad ſignificandum cultum, qui ſoli Deo debetur, incautè interpres Gallicus illud retinuit ad ſignificandum Virginis cultum, & hac via Cenſuræ materiam ſubminiſtravit. (k) *in Proœmio opuſc.* 1.

67 At hoc quàm facilè convincitur falſitatis. Primùm: quia aliàs eodem iure Cenſura configendi eſſent, atque à Galliis abalienandi innumeri Theologorum libri, in quibus tertio quoque verbo legitur adoratio vſurpata contra vſum, qui fingitur, nationis Gallicanæ. Deinde, Cenſores proſcribunt propoſitiones: quia contra vſum Eccleſiæ, vtique Vniverſalis, aſſumitur in ipſis verbum adorandi; id enim denotant verba illa, *ex vſu Eccleſiæ*, nec de Eccleſia Gallicana ſpecialiter mentionem faciunt: ergo limitatio ad nationem Gallicam prorſus ineptè affertur modò; præſertim, quia etſi talis vſus percrebuiſſet apud Gallos, meritò amandandus erat, contrà ſtante vſu maioris partis Eccleſiæ Vniverſalis: ſiquando enim nominibus vtendum eſt, vt vtuntur plures; tunc potiſsimè, cùm de rebus ad Fidei dogmata pertinentibus agitur.

68 Poſtremò: quoniam nec Galli, vno vel altero excepto, communem nobiſcum vſurpationem verbi adorandi averſantur

vlla-

Digitized by Google

vllatenus, quinimò abſque vlla hæſitatione amplectuntur, vtî ſequentium Gallorum teſtimonio ſatis comprobatur. Petrus Creſpetius Cœleſtinus Pariſienſis in Summa Catholicæ Fidei,(*l*) Apoſtolicæ doctrinæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, diſertis verbis huic vſurpationi annuit,in ipſius confirmationem adductis pluribus,quę ſuprà ex Nicena Synodo deprompſi.

(*l*) *Verbo adoratio.*

69 Ivo Pariſienſis inDigeſto Sapientiæ ait.(*m*) *Sancti hîc degētes, vel mortui nondum in numerum Sanctorum ab Eccleſia relati, poſſunt coli,& ADORARI cultu privato.* Et ſæpenumerò eodem vtitur verbo ad ſignificandum cultum Sanctorum, definitionemque adorationis vſurpationi huiuſmodi conſentaneam tradit.

(*m*)*Tom.3 ſub titulo, Gloria virtutis.*

70 Iſambertus celeberrimus Pariſienſis Doctor. (*n*) *De Fide eſt,* inquit, *Beatiſſimam Deiparam eſſe ADORANDAM.* Gamachæus,(*o*) Doctor etiam Pariſienſis,adorationem dividit in latriam debitam Deo, duliam Sanctis, & hyperduliam Virgini.

(*n*) *3.p.q.* 25. *art.*1.
(*o*) *Ibidem*

71 Arnaldus Doctor item Pariſienſis,(*p*) multis Cenſorum, vt lego, charus ac venerandus,in ſuo opere de Perpetuitate Fidei defenſa, Gallicè ſcripto, dicato Clementi nono Summo Pontifici, & communito approbationibus vigintiquinque Epiſcoporũ,ac vigintiquinque DD. Pariſienſium, quos inter nonnulli ex Cenſoribus nominantur: is itaque Doctor indiſcriminatim vſurpat adorationem,& reverentiam, quatenus reliquijs Sanctorum Martyrum debentur, & aſſerit, facilè eſſe oſtendere, adorationem, & reverentiã à PP.quarti ſæculi vſurpatas eſſe in ſenſu genuino pro Angelorũ & Sanctorũ cultu,& familiare eſſe, quòd voces,diverſos ſenſus habentes, affirmentur, & negentur abſque contradictione, & quòd vno ſenſu dicatur,ſolum Deum eſſe adorandum & invocandum,& altero, Sanctos quoque adorandos, & invocandos eſſe. Quibus addit. *Hæc diverſitas ſenſuum manet in idiomatibus,& linguis, ſine vlla confuſione, & abſque eo, quod inde vlla nata ſit difficultas, & Sancti Patres vtroque hoc modò ſine contradictione locuti ſunt,NEC TAMEN ILLVD DIFFICVLTATEM VLLAM PEPERIT,NEC PARERE POTEST, NISI IIS, QVI VANAM SIBI FINGERE VOLVNT.* Vti finxerunt Cenſores.

(*p*) *Lib.* 1. *cap.9.*

72 Theophilus Raynaudus, (*q*) ad rem noſtram iurè cum Gallis computandus,quî & à Gallis edoctus,& inGallia ſcripſerit, vir pro eximia, qua pollebat, eruditione, vel in minimis magnus, de cultu Virginis loquens,docet. *Titulo quidem ſanctitatis, tametſi eximiæ, non debetur Virgini ſpecifice diverſa adoratio, ſed tantùm*

(*q*)*In Diptychis Marianis,p.*2. *punct.* 10. *num.*25.

qua-

Digitized by Google

qualis exhibetur alijs iuſtis: cùm idem ſpecificum adorationis fundamentum commune illis ſit cum Deipara, cui tamen intra eandem ſpeciem adorationis & cultus, altius quippiam, & ſublimius debetur.

73 His accedunt Petrus à Sancto Ioſepho, Ioannes Baptiſta Gonetus, Vincentius Contenſonus, Fraſſenius, Cœffeteau, Duvalius, Grenetus, Authores collationum moralium Lucionenſium, & Petrochorenſium, & alij ſine fine Scriptores Theologici, qui varijs locis ſuorum operum abſque vlla formidine *adorationem* Sanctis adſcribunt.

74 Addo inſuper Gallica dictionaria recens edita, vnde vſus linguæ, & nationis maximè conſtabit. Dictionarium Academiæ Regiæ: *Adorare ſignificat aliquando, profundam reverentiam alicui exhibere; ſic Regina Eſther adoravit Regem Aſſuerum. Cardinales dicuntur ire ad adorationem, & Papam fieri aliquando via adorationis.* Dictionarium celebris Secretarij Academiæ Pariſienſis, Domini de la Furetiere: *Adorare ſignificat aliquando ſimpliciter venerari: ſic Reliquias, & Imagines dicimur adorare.* Hæc in exemplum adduxiſſe ſufficiat. Quibus omnibus ſi libros pietatis, & ad inſtituendam iuventutem editos, attexere vellem, in immenſum abirem, & ineptiſsimam rem facerem, qui vel mihi ipſi iam nimius videor in re ita obvia.

75 Vnde compertiſsimum eſt, vniverſi Catholici orbis vocem adverſus Cenſorum Pariſienſium verba pugnare, illoſque hallucinatos, eam invehendo ſignificationis verbi *adoratio* notionem, veluti ab Eccleſiæ conſuetudine oriundam, quæ ipſius Eccleſiæ vſui non quadrat: nec deinceps crediderim in præconcepta opinatione perſtituros, niſi (quod Deus non permittat) de ſe, ſuoque ingenio ita præſidenter ſtatuere velint, vt abolitis hac in parte omnibus vbilibet Eccleſiæ receptis loquendi modis, dictionarijſque ſuppreſsis, ius ſibi eſſe nitantur adigendi vniverſos Catholicos ad novum ſenſum efformandum, & linguam, quam non noverant, audiendam, placidis auribus excipiendo, omni ſemota interpretatione, hæc, & eiuſdem furfuris alia: *Virgo Maria non eſt adoranda. Sancti non ſunt adorandi. Solus Deus eſt adorandus.* Quamobrèm Cenſoribus, quoad vſum vocis *adoratio*, percommodè aptantur, quę ad Ioannem VIII. Pontificem ſcripſit de re contendens Anaſtaſius Bibliothecarius, (*r*) cuius verba paucis additis tranſcribo, Sanctiſsimum Dominum Noſtrum Innocentium Duodecimum, nunc clavum Eccleſiæ fœliciter tenentem alloquens. *Quæ ſuper San-*

(*r*) *In præfat. ad* 7. *Synodum Generalē.*

Sanctorum, & venerabilium Imaginum adorationem Synodus Nicena ſecunda Generalis docet, hæc & Apoſtolica veſtra Sedes antiquitus tenuit, & Vniverſalis Ecclesia tenet, QVIBVSDAM DVNTAXAT GALLORVM Pariſienſium *EXCEPTIS* Theologis; *QVIBVS VTIQVE NONDVM EST HORVM VERITAS REVELATA.*

76 Quare pro Chriſtiana,qua Cenſores diligo charitate,enixè ipſos admoneo, vt latas Cenſuras reijciant,& extinguant, quippè non neſciunt; ſe non conſtringi ad iniquas tuendas ſententias, etiamſi iuratas dicerent; atque probroſum minimè eſſe,malè concepta,& iurata reſcindere, ni velint, conſanatum iam vulnus illorum Francigenarum recrudeſcere, de quibus olim Sanctus Bernardus. (s) *PROBRO DVCITVR APVD FRANCIGENAS IVRAMENTVM SOLVERE, QVAMLIBET MALE PVBLICE IVRATVM SIT: QVAMVIS NEMO SAPIENS DVBITET ILLICITA IVRAMENTA NON ESSE TENENDA.*

(s) *Epiſt.* 219.

§. VLTIMVS.

CENSVRARVM VITIA EXACTIVS aperiuntur.

77. HÆ *propoſitiones*, inquiunt Deputati,*quatenus in illis indiſtinctè,& iiſdem terminis exprimitur adoratio exhibita, vel exhibenda Beatiſſimæ Virgini, quibus Deo ipſi, & Homini Deo exhibita exprimitur pag.99. & 100. falſæ ſunt, &c.* Huiuſmodi Cenſura,aut inſana prorſus eſt, aut fallax & mendacio plena, ipſius qualitatibus,& ſenſu propoſitionum, quem inducit, penſatis; Catholici enim quotquot ſumus,aſſerimus has propoſitiones:*Deus colendus eſt.Maria Virgo colenda eſt.Deum genuflexione,poſtratione, & capitis inclinatione colimus. Mariam Virginem genuflexione, poſtratione,& capitis inclinatione colimus.* En iiſdem terminis expreſſum cultum Deo exhibitum,quibus exprimitur cultus in Virginem Deiparam directus. Licebit ne propterea alicui,has propoſitiones tetris aſpergere notis,quia indiſtinctis,& iiſdem terminis exprimitur cultus Deo,& Virgini exhibendus? Profectò ... qui adfirmaret ita,ligandus eſſet,vt verbis loquar Hieronymi (a) *vinculis Hippocratis*, id eſt, tanquàm delirus, & ſectionibus indigens, cuiuſmo-

(a) *Epiſt.* 53.*adverſus Vigilant.*

huiuſmodi affectos homines ligandos, Hippocrates, ac reliqui ſcribunt Medici.

78 Ergo damnare propoſitiones Venerab. Abbatiſſæ, quia in illis indiſtinctè, & ijſdem terminis exprimitur adoratio exhibita, vel exhibenda Virgini, quibus Deo ipſi,& Homini Deo exhibita exprimitur; morboſi capitis eſt, & curatione potius, quàm diſci-plina indigentis.Deputati ergo vel modò ſuo loquendi ſatis indicant,& ſupponunt, adorationem Virgini aliquomodo accómodari poſſe,& eò ſolum damnare videntur aſſerta, quòd ijſdem terminis exprimatur in illis adoratio Dei,& Virginis: alioqui, non ſic,ſed aliter cóſabricare debuerunt Cenſuræ cauſam,nempe:*quia adoratio dicitur exhibenda Virgini, cùm non Virgini, ſed ſoli Deo exhibenda ſit.* Norunt enim omnes ſanæ mentis homines, plura, eaque præclariſsima, eſſe epitheta, Deo & Sanctis eius indifferenter communia propter anologicam convenientiam bonitatis, & excellentię,quarũ ratione vtriſque laudabiliter tribuuntur;quo nihilominùs ſubſiſtit catholica diſcretio,cùm ad differentias,& peculiares rationes venitur: tunc enim alijs terminis exponuntur, quæ Dei propria ſunt, & alijs, quæ Sanctis inferiori longè titulo præſtantur.

79 Adhæc: Scio, Cenſorum verba, ad quæ tandem devolvi propoſitiones exiſtimant, alium claudere poſſe intellectum, videlicet, *quod ijſdem terminis, quibus ſignificatur cultus ſoli Deo exhibendus, exprimitur & etiam a Venerab. Abbatiſſa cultus exhibitus, vel exhibendus Virgini Mariæ*, quem ſenſum potiùs, quàm præcedentem innuunt: quantum vero hoc ſit mendacium, oſtenditur adeundo paginas 90. & 100. quibus *Deo ipſi, & Homini Deo exhibita exprimitur adoratio.* Reſpondent illæ num.87.& 88.vbi ita loquitur Venerab. Antiſtita. *Noverunt Angeli Deum vnum in ſubſtantia, & Trinum in Perſonis, præceptoque aſtricti fuere, vt illum adorarent,& revererentur, tanquam ſuum Creatorem,& ſupremum Dominum, infinitum in eſſe,& attributis.* Hæc ex num.87.Numero 88. *manifeſtavit Deus ijſdem Angelis, ſecundam Perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis aſſumpturam eſſe naturam humanam;ipſiſque iniunctum eſt,vt agnoſcerent ſuppoſitum illud Hominem Deum, tanquam caput,nedum quatenus Deum, ſed ſimul etiam quatenus hominem, ipſumque revererentur, & adorarent.*

80 Num propoſitiones hæ ſimiles ſunt,aut eædem cum excriptis in Articulo?Num in ipſis, aut etiam alicubi totius operis Maria Virgo dicitur adoranda,tanquam Creatrix,Suprema Domina,

Digitized by Google

infinita in eſſe ſuo,& in attributis? Num adoranda tanquam ſuppoſitum Divinum, Homoque Deus? Haudquaquam; quin potiùs in omnibus ferè lineis Maria vocatur pura creatura; eique nunquam niſi puræ creaturæ conſentaneæ laudes,& gloriæ adſcribuntur? Qua ergo fronte confundi poterunt hæc omnia? Perfricata certè & non alia. Qua fide Venerab. Authoris catholica aſſerta in Mariolatreutica deformant Cenſores,aut, vt minimum,in quæſtionem Mariolatriæ vocant, ob ambiguitatem verborum, quibus ea reſumunt. Putabant ne defuturos, qui mendoſas aut ambiguas ſuas tricas extricarent? Vel,vt verbis Baſilij Magni vtar, *b* ſingulari ſolo numero in pluralem mutato, *ſicut in ſomniorum foro,vel ebriorum concione,vbi nullus audiat aut intelligat,quæ dicuntur, ita ſufficere putant pro omni probatione, QVOD IPSI DIXERINT?*

(*b*) *Lib.2. in Eunomium.*

81 Vnicum ſupereſt adhuc effugium, videlicet, quod ſuæ intentionis ſolùm fuit propoſitiones notare: quia cultus Virginis exprimitur adorationis vocabulò, quod alioqui deſignatum eſt,vt tantummodo ad ſupremum cultum, & ſoli Deo debitum, ſignificandum aſſumatur. Sed & falſum hoc eſt, quantùm ex verbis coniectare poſſum: quoniam ad hoc neceſſarium non erat,propoſitiones de adoratione Virginis comparare cum propoſitionibus de adoratione Dei,Deique Hominis,aut paginas eas 99.& 100.commemorare; ſive enim quis cultum proprium Dei *adorationis* vocabulo explicet, ſive non explicet hoc, ſed alijs nominibus, damnationem incurret, cultum Virginis *adorationem* appellando, ſi *adorationis* verbum limitatum aſtruitur ad ſignificandum cultum, ſolius Deitatis ratione exhibendum. Præterquamquòd verba Cenſorum, ſi apprimè conſiderentur, ſupponunt, adorationem exhibendam Virgini eſſe, & ſolum inde damnari propoſitiones, quòd ijſdem terminis explicatur in illis adoratio Virgini præſtanda, quibus exprimitur adoratio præſtanda Deo, Hominique Deo pag.99. & 100. hoc autem alludere ſolum poteſt ad horrendam cultuum comparationem eventilatam num.79. & 80. vel ad inſanum ſenſum expoſitum num.77. & 78.

82 Vtcunque tamen hæc ſint, certiſsimè experior,Deputatos verbis adeò ancipitis ſenſis loquutos, *vt illam complexionem*:quatenus in illis indiſtinctè,& ijſdem terminis exprimitur,&c. *vtrum obtuſiſsimam, an fraudulentiſsimā* (vti olim aiebat Auguſtinus (*c*)) *dicam, neſcio*. Si autem excuſationem ab eo eruant, quod ſibi nondum benè perſpecta fuerit ſignificatio textuum Vener. Abbatiſſæ, cre-

(*c*) *Lib.16 contra Fauſtum Manichæum cap.26.*

Digitized by Google

crediderim ita ego, ſed, vltrà quàm ſe ipſos condemnant, cùm illis ingenium ſit, alius fortaſſe non ſic credet, ſed *magis* arbitrabitur, eos *nebulam* (proſequitur Auguſtinus contra Fauſtum) *inijcere voluiſſe minùs attento Lectori, quàm non vidiſſe, quid dicat* Venerabilis Antiſtita.

83 Suppoſititiam Cenſuram Facultatis, quam expeditioribus terminis refecerunt illius Authores, per partes diſcutiendam ſuſcipio. *Licèt adorationis nomen æquivoce ſumatur*, inquiunt. Atqui *æquivoce* quomodo ſumitur impunè, vt ſupponunt hæc verba, ſi ex vſu Eccleſiæ determinatum eſt ad ſignificandum ſupremum cultum ſoli Deo debitum? Apertiſsima inconſequentia, qua iam vel in limine offendunt Cenſores. Nomen itaque adorationis æquivocum eſt, non logicè, quemadmodùm nomen *Canis*, & alia id genus, ſed quaſi phiſicè, cuiuſmodi cenſetur quodcunque nomen, ex parte ſui ſignificati, & obiecti, commune pluribus inferioribus ſpeciebus, aut quaſi ſpeciebus, pro quarum aliqua, perfectiore ſcilicet, nonnunquam per antonomaſiam accipitur; id quod præſertim accidit nominibus Deo, & creaturis communibus, abſque omni prorſus erroris periculo. Relege num. 47.

84 *Et aliquando in Scripturis, & nonnullis Patribus pro honore creaturis debito vſurpetur.* Melius dixerint; *& ſæpiſſimè in Scripturis, & innumeris Patribus*: vt ex retrò datis compertiſsimum eſt. Certè quatuor ab hinc ſæculis nullus, aut ferè nemo Patrum extitit, qui adorationis vocabulum aliter quàm nos vſurpaverit; & contendere, Eccleſiam Scripturæ vſum extra eam non ſuſtuliſſe, adverſumque invexiſſe, abſque iniuria non dicitur; cùm ad nihil neceſſariũ fuerit, novam illam ſignificationem verbi adorandi procudere; & Eccleſia, pro ſua in verbum Dei reverentia, addictiſſima alioqui ſit Sanctarum Scripturarum loquendi normis: quare hac ratione ſtruere nequeunt Pariſienſes viam his, quæ ſubiungo.

85 *Tamen cùm ex Eccleſiæ vſu terminus ille vſurpari debeat ad ſignificandum ſupremum cultum ſoli Deo debitum.* Mendacium profectò hoc eſt omni fictione maius, in conſpectu totius Eccleſiæ ſine rubore emiſſum, ſed ita cognitu facile, vt verear, ne in ipſius Authores quiſquã detorqueat, quæ olim in alios referebat Hieronymus (d) dicens: *Canes eos eſſe, qui latrare neſciant, habentes quidem voluntatem mentiendi, ſed artem fingendi, & latrandi non habentes*; vel quæ alius dixit, malas nempe vulpeculas eſſe, quæ, vel *vulpinari* neſciant.

(d) *in Proæmio ad 4. Librũ Cõmentariorum ſuper Hieremiã.*

Ex

86 *Ex vſu Eccleſiæ*, aiunt. Cuiuſnam Eccleſiæ? Non Sanctorum, ſed malignantium Lutheranorum, Calviniſtarum, & id genus aliorum, qui Nos Catholicos iugiter idololatriæ accuſant, quòd Mariam Virginem adoramus, *cùm ſolus Deus*, inquiunt, *ſit adorandus*, & quia hoc, pariaque epitheta Deo, & Deiparæ communibus nominibus non infrequenter attribuimus. Conſulatur hac de re Doctiſsimus Pater Caniſius (e) blaterones illos validè confutans. Liquet itaque ex datis tota diſſertatione, Sanctam Eccleſiam Catholicam eum probare vſum, quem Venerabilis Abbatiſſa imitatur; imò & hunc ferè vnicum eſſe, qui apud Theologos tum Polemicos, tum Scholaſticos, quos non prætergreditur Eccleſiæ mos, legatur placidè, & omni controverſia depulſa, admiſſus: quamobrèm vniverſa Theologorum congeries, Facultate etiã Pariſienſi ex maiori numero ſpectata, præſtolatur, Sanctiſsimum Dominum Noſtrum Innocentium XII. pari zelo huiuſmodi adorationis vſurpationem à calumnia capitoſorum Cenſorum vindicaturum, quo Adrianus primus quondàm eandem adverſus Librum Carolinum defendit.

(e) *Lib. 5. de Deipara fere per totum.*

87 *Nec poſſit ſine periculo ſcandali creaturis communitari.* Ergo ſcandaloſi Albertus Magnus, Aquinas, Bonaventura, Bellarminus, Hoſius, Bona, Lauræa, omnis Scholæ Theologi, atque Fideles ferme cuncti, qui pleniſsimo ore proferunt, Virginem Mariam, Sanctoſque alios *adorandos* eſſe? Abſque ſcandalo concedet nemo. Fateor, ſcandalum iudicari, adorationem creaturis offerri; ſed Hæreticis tantùm ſcandalum eſt, quemadmodùm, vt dixit Paulus, (f) Chriſtus crucifixus ſcandalum erat Iudæis. Cenſores ergo in Domino Ieſu admoneo, vt meliùs ſibi conſulant, Cenſuraſque maſculè repudient, perpendentes, eum ſe verbi vſum ſcandalum arbitrari, ſecundum quem verbum idem, vel olim à veteribus acceptum fuit, & etiamnum ab Eccleſia piè, & ſine omni ſinceritatis chriſtianæ præiudicio intelligitur; aliter enim ſi faciant, non vndequaque evadent ſuſpicionem illorum criminis, quibuſde antiquitus Hilarius (g) ita loquebatur. *Audientes fallunt, dum naturas nominibus adimunt, quia nomina non poſſunt auferre naturis.*

(f) *1. Corinth. 1. v. 23.*

(g) *Lib. 2. de Trinit.*

88 *Hæ propoſitiones, quatenus eodem adorationis termino, &c. ſcandaloſæ ſunt.* De verbis, *quatenus eodem adorationis termino, &c.* dixi à num. 77. & de qualitate ſcandali, quæ opponitur, num. præcedenti.

89 *Et in errorem inducentes.* In errorem inducere iactatis, quæ

mortalibus propè omnibus, præterquàm vobis, placuere? Quæ dictionariijs pene cunctis ab omni ævo habentur? Quæ nata in ore Sanctorum ſine numero Doctorum, in hanc vſque diem retinent primarij ex omni Schola Theologi? Quæ Suprema, & Generalis Hiſpaniarum Inquiſitio poſt longam diſcuſsionem integra dimiſſit? Quæ tandem per omnem Dei Eccleſiam abſque offendiculo perſonant? Iſthæc enim oblatratis ad errandum allicere? Sanè, in vos regerere libet, quæ Novatoribus opponebat Tertullianus. (*h*) *Qui eſtis? Quando & vnde veniſtis?* (*h*) *Lib. de præſcr. pt.*

90 Demum verò, fœliciter, & opportunè admodùm incidi in Cenſuram quandam anno 1524. editam à Facultate Theologiæ Pariſienſi, hanc propoſitionem proſcribente. *Ante Sanctorum Dei imagines genua non ſunt flectenda, ſed duntaxat ante Deum, qui ſolus eſt adorandus.* Quo fulmine confoditur novitia Cenſura adverſus propoſitiones Venerab. Abbatiſſæ confecta: quoniam tunc non ſolum damnarunt Pariſienſes priora verba, quin & poſteriora: *qui ſolus eſt adorandus*, vt animadvertit Pater Caniſius (*i*) eiuſdem ferè temporis Scriptor, adiungens, optimè aſſertum illud condemnatum: *quia favet Iconoclaſtis, NEQVE DISTINGVIT NOMEN ADORATIONIS, QVOD NON SOLVM DEO, SED ETIAM HOMINIBVS, ET TYPICE SACRIS IMAGINIBVS, A PATRIBVS SÆPE APPLICATVR.* Diſsidentes, ac ſeſe invicem proſternentes comperio Cenſuras in eodem ſolo Pariſienſi natas: hoc tamen diſcrimine æſtimandas: quod antiquior vſui Eccleſiæ annuit, recentior abnuit: illa à Facultate Pariſienſi reipsà emanavit: hæc falsò eiuſdem Facultatis nomine vulgatur: ideòque exprobret nullus Celeberrimæ illi Facultati inconſtantiam doctrinæ: nam vnius, vel alterius error non eſt, cur vergat in Vniverſitatis dedecus: *per ſe vnuſquiſque, ac privatim expendatur* (vt verbis loquar (*k*) Nazianzeni) *nec eorum quicquam, quæ vel vitio, vel laudi dantur, communiter omnibus attribuatur.* (*i*) *Vbi ſupr. cap.* 16. (*k*) *Orat.* 14.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VI.

CRISIM CENSVRARVM QVOAD RELIQVAS partes cum illarum caſtigationibus exhibeo.

FVIT iam pridem homo ita ſibi,ſuiſque ſenſis,addictus, vt illum reprehendens his proderet Hieronymus.(a) *Delirabat* (dicis) *qui in Regno tuo contra tuam Sententiam loquebatur.* Quam teſſeram mihi videntur quodammodo ſibi arrogaſſe hoc in articulo Cenſores: nec quia dixerim, credatur velim, deditis argumentis, & quæ vltra adduxero,vnuſquiſque iudex inſiſtat.

(a) Epiſt. 61.

§. I.

DOCTRINA VENERAB. ABBATISSÆ QVOAD tempus,in quo dicit,Angelos adoraſſe Virginem, non eſt digna Cenſura, imò potiùs abſolutè vera.

1 CENSVRA Deputatorum ſiſtit in vſu verbi *adoratio*: altera verò Cenſura longiùs protenditur, vt accuſet propoſitiones Venerab. Antiſtitæ circa tempus, & locum, in quibus ab Angelis adoratam dicit Dominam ipſorum,& Reginam:& ne in incertum tendam , Cenſuræ ſenſus diſtinguo. *Quatenùs autem dicunt* (habet) *Sanctiſſimam Virginem adoratam ab Angelis, ſtatim vt hi creati fuere, & ſtatim vt Virgo nata eſt, tum etiam adoratam in Throno Altiſſimi; reſpectivè temerariæ ſunt, & falſæ.* Hæc qualificatio minimè nititur,adorationis verbi vſum,quē retinet Venerab.Author, profligare , is enim præcedentibus Cenſuris notatus iam eſt à Cenſoribus,& nimis quidem ridiculè præpararetur materia novo iudicio ſubiicienda, & verbis illis, *quatenùs autem*,novum & diverſum ſenſum indicantibus, repræſentaretur,ſi idipſum,quod antea,refigendum erat: imò & ſumma ineptia adijcerentur tum diverſæ Cenſuræ,tum terminus ille diſtributivus *reſpectivè* in anterioribus qualificationibus prætermiſſus.

Vt

Digitized by Google

2 Vt vt ergo ſit de adorationis voce, id eſt, quamvis indifferenter aſſumi poſsit ad ſignificandum cultum, & reverentiam iam Dei, iam creaturarum, vt latè in proximè præterita Diſſertat. dedi; configitur aſſertio de adorata Virgine ab Angelis tempore, & loco aſſertis, propter ſpecialem difficultatem, quam afferunt circunſtantiæ hæ temporis, & loci. Inſuper, quod ad Virginis adorationem in Throno Altiſsimi attinet, aut damnatur, quia ſupponit, Virginem ante Chriſti in cœlum Aſcenſionem eòdem raptam, & de hoc Artic. 14. erit ſermo; vel ab hac difficultate abſtrahendo condemnatur: quia in Throno Altiſsimi adorata affirmatur,& id hac in diſſertatione ſubibit examen.

3 Sed quia Cenſuræ qualitas ad temeritatem devoluitur tota: falſitas enim ſe ſola non eſt Theologica Cenſura iuxta infra tradenda, præſertim Diſſertat. 10. animadverto cum P. Soario (*b*) ex communi Theologorũ ſenſu, quòd temeritas eſt præcipitatio quædam faciendi aliquid ſine iudicio, vel regula rationis, quaſi per contemptum eius, vt explicat S. Thomas. (*c*) Vnde propoſitio temeraria temeritate, quæ Cenſura eſt Theologica, dicitur, *quæ circa doctrinam Fidei, Theologiæve profertur ſine rationis regula*, id eſt, ſine ſufficienti fundamento: ſub regula autem rationis comprehenditur etiam authoritas; ea enim maximè innituntur, quæ ad Fidem, & Theologiam pertinent. Temeritas verò eſt duplex, contraria ſcilicet, aut poſitiva, & negativa. Priori modo dicitur propoſitio temeraria, quādo adverſatur communiſsimæ PP. & Theologorum ſententiæ: quoniam tunc vix fieri poteſt, vt ſecundum regulam rationis aliquis tanto authoritatis ponderi opponatur; incredibile eſt nāque, tot PP: totque Theologos ſine cogente ratione, vel ſacro teſtimonio, in eandem conſpiraſſe ſententiam, & conſequenter incredibile ſit, propoſitionem contrariam valido fundamento niti.

(*b*) *Diſp*. 19. *de Fide*, *ſect*. 2. *num*. 20.

(*c*) 2. 2. *quæſt*. 53. *art*. 3.

4 Poſteriori modo propoſitio dicitur temeraria, quando ſolo proprio iudicio, & ſine ſufficienti authoritate, vel cogente ratione, excogitatur, quamvis exadverſò apertè non militet ſenſus PP. & Theologorum: nam illa etiam deficit à regula rationis, & præſumptionis aliquid habet: huiuſmodi tamen temeritas non ita gravis cēſetur ac prior. Et tunc maximè tenet, dignā eſſe huiuſce temeritatis Cenſura propoſitionem, eodem Soario adnotante, cùm adverſatur regulis generalibus in Fide, vel Theologia receptis, per exceptionem voluntariam, & non ſatis fundatam: vt quòd aliqua pura creatura humana, præter Virginem Mariam, concepta fuerit ſine

originali peccato, vel quid ſimile: item, ſi aliquid ſupernaturale, & occultum, vtpotè pendens ex voluntate Dei non revelata, tanquam certum ex propria ſola coniectura, vel imaginatione, aſſeratur: vt quod dies iudicij erit intra centum annorum ſpatium. Vnde deduco, quòd ſi aliquid huiuſmodi occultum, quia Deus ſcilicet publicè non revelavit, traditur vt certum ab aliquo proferente, ſibi ita Deum privatè revelaſſe, ea aſſertio temeritatis inſimulari nequibit, aut alia Cenſura refelli, niſi revelatio aliunde improbetur, ex ſignis nempè alijs diſcernendi veras revelationes à falſis, quæ PP. & Theologi conſtituunt. Sic docent Theologi ipſi, & ab eis edoctus non ſemel tradidi in præcedentibus Diſſertationibus, repetamque num. 8. omnino videndo.

5 Præterea. Cùm ſtatus viæ Angelorū breviſsimus fuerit, vt frequenter explicant Theologi, atque adeò Sancti Angeli (de his procedit diſputatio, & ſequitur Venerab. Abbatiſſa) paulò pòſt à ſua creatione ad ſtatum Patriæ evecti ſint, propoſitio ea, quam ex verbis Venerab. Authoris eruunt Cenſores, *Angeli, ſtatim vt creati ſunt, adorarunt Deiparam*, duplicem poteſt referre ſenſum; videlicet, & quòd Deiparam adorarint, quum primùm Beati fuere, & Deum conſpexere; & item, quod antea, atque dum in via erant, hanc adorationē exhibuerint. Quem verò ex his ſenſibus immittat propoſitio Venerab. Authoris, pervium omninò non eſt, quamvis veriſimilius videatur, omnibus penſatis, ſermonem in illa eſſe de adoratione ab Angelis iam in ſtatu viæ conceſſa Virgini Mariæ; & ideò operæ pretium puto, notatam propoſitionem diſcuterè vtroque conſiderato ſtatu viæ, & Patriæ: quod vt expeditiùs fiat, aſſertionem titulo præfixam multiplici concluſione expono.

6 Prima concluſio. Aſſerere, Virginem Mariam adoratam ab Angelis viatoribus, & nondum Beatis, non eſt temerariū. Probatur concluſio: ſiquidem huiuſmodi adorationem tuentur Pater Franciſcus Soarius, (*d*) Pater Hadrianus Lyræus, (*e*) addens, & nomen Deiparæ tunc ab Angelis adoratum, Ioannes Baptiſta Novatus (*f*) ſubiungens, *magna cum probabilitate*, talem aſtrui adorationem, & pro ea etiam referens Benzonium, (*g*) & Vincentium Regium: (*h*) eandemque ſententiam promovent graves coniecturæ ex ijs ipſis deductæ, quibus probabiliſsima nititur ſententia de Chriſto ab Angelis in via cognito & adorato: exadverſùm autem pondus authoritatis, aut rationis, nimiùm præponderantis, & excedentis non militat; ſed huiuſce conditionis aſſertio temeraria

(d) Tom. 2. in 3. part. diſp. 22. ſect. 1.
(e) In Proœmio Triſagij Mariæ. Intervallo 9.
(f) De Eminent. Virg. tom. 2. cap. 10. quæſt. 9
(g) In Magnificat, lib. 2. cap. 22. dub. 9.
(h) In dilucidat. Evāgelicis, to. 1. lib. 1. cap. 6. Theoria 3.

non

Digitized by Google

non eſt,vt conſtat ex doctrina num. 3. & 4. ergo aſſerere Virginem Mariam adoratam ab Angelis,dùm in via erant,temeritate vacat.

7 Illuſtratur hoc primò: Libri P. Soarij, centum ab hinc annis, aut propè editi, omnium Sapientum manibus cum laude teruntur,& in his præcipuè, quæ ad Virginem ſpectant, ad miraculum illum ſcripſiſſe, communis vox eſt. Quî ergo fieri potuit, vt nonnulli Theologi Pariſienſes,herî aut nudiuſtertius nati,rectè veluti temerariam accuſent propoſitionem, quam reliquorum integri ſæculi Theologorum nullus auſus eſt temeritatis inſimulare? Nollem certè à quoquam in Cenſores illos transferri, quod olim aiebat (*i*) Caſsiodorus. *Sunt nonnulli qui putant eſſe laudabile, ſi quid contra antiquos ſapiant, & aliquid novi, vnde perire videantur, inveniant.*

(*i*) *Lib. Divin. lect. cap.* 11.

8 Illuſtratur ſecundò. Reipsà accidere potuit, vt Angeli, adhuc viatores,Virginem adoraverint; & deinde, non ita accidiſſe,necundè vel moraliter certò conſtat:ergo qui inducat,ſe à Deo per revelationem accepiſſe, quòd evenerit ita, temeritatis Cenſura,ſpectato obiecto, minimè notandus eſt, niſi aliundè revelationem divinam non habuiſſe oſtendatur:nam temerè non procedere,qui loquitur,quæ à Deo illuminatus accepit, & ipſius diſciplina cognovit,evidens eſt.

9 Secunda concluſio. Verum abſolutè eſt, & prudenter aſſeritur,Angelos in via adoraſſe Virginem Deiparam. Vt hoc clariùs & efficatiùs probetur,opportunum duco argumenta, ſi quæ ex oppoſito militant, ad criſim revocare, & diſſolvere, priuſquam poſitivas rationes, quibus firmatur, expendam. Obiicitur itaque primo. Vix percipitur, quomodo quis adorare poſsit Perſonam, quæ nec exiſtit,nec extitit: cùm adoratio ſit actus honoris & ſubmiſsionis, & nemo ſeriò honorare alterum poſsit, aut ipſi ſe ſubmittere, ſi nunquam extitit: non diſsimiliter ac nemo ſeriò imperare poteſt alicui non exiſtenti: ergo Angeli in via non potuerunt adorare Deiparam, quæ nondum tunc lucem aſpexerat, nec niſi longè pòſt aſpexit.

10 Reſpondeo. Ex Sancto Thoma, (*k*) *Honor nihil aliud eſt, quàm quædam proteſtatio de excellentia bonitatis alicuius*; & ideò excellentia Virginis ſolùm cognita futura ab Angelis in via, nihil obſtat,quominùs iidem Angeli Virginem honorarent,ipſius excellentiæ teſtimonium reddendo,tùm coram Deo,qui teſtimonia conſcientiæ intuetur,tùm corã ſibi ipſis invicem illud aperiendo

(k) 2. 2. *quæſt.* 103. *art.* 2. *in corp.*

do & manifeſtando:& quia ſimul agnoſcebant, Deiparę dignitatē, ac ſanctitatem, excellentiorem multò futuram dignitate, ac ſanctitate ipſorum, eandemque Diparam titulo Maternitatis Dei Hominis, Regis Regum, & Domini Angelorum, extituram etiam eorum Reginam, & Dominam; nihil ipſis impedimento erat, vt perquàm honeſtè eam vt talem acciperent, atque ſe ſubmitterent tantæ Dominæ, quantùm in ipſis erat; & pollicerentur, exhibituros illi obſequia, veluti ſervos, & miniſtros, cùm ipſa in ſe exiſteret, capaxque iam eſſet huiuſ nodi omnia ſuſcipiendi: imò piè, ac rationabiliter iudicari poteſt, hæc ita eveniſſe, vt poſtmodùm ſũ adebo: quæ quidem ſufficiunt ad affirmandum, Angelos à principio, & in via, Virginem Deiparam adoraſſe.

11 In huius confirmationem doctrinæ, plenioremque argumenti ſolutionem, facit, quòd Angeli in via habuerint præceptum adorandi Chriſtum, ſeu Deum Hominem, Illudque impleverint Angeli Sancti reipsà adorando; & nihilominùs tunc Deus nōdum homo erat, ſed futurus poſtea: reſeratum itaque Angelis in via fuit myſterium Incarnationis, & cùm cognoverint Chriſtum ipſorum futurum caput, Dominum, & Regem, etiam quatenus hominem, Humanitati Chriſti ita cognitæ Sancti ſe ſubmiſſerunt, & ſe ita ſubmittendo ipſam adorarunt; alij verò, ſuperbia affecti, adorare, itave ſe ſubijcere, & Deum Hominem revereri, noluerunt.

12 Nec de probabilitate ſententiarum, quibus hæc adnititur doctrina, fas eſt ambigere: ſiquidem quòd Angeli in via cognoverint Incarnationis Dominicæ myſterium, adeò frequenter ſentiunt omnium Scholarum Doctores, vt certum iam pronunciari queat, aut ſaltem inter probabilia probabiliſsimum: ſufficiat vel vnicum textum Angelici Magiſtri (*l*) exſcribere ad id ſtabiliendũ. *Dicendum, quòd myſteriũ Regni Dei, quod eſt impletum per Chriſtum, omnes quidem Angeli à principio aliquomodò cognoverunt, maximè ex quo beatificati ſunt viſione verbi.* His expreſsè docet Angelicus Thomas, Angelos à principio, id eſt, in via, noviſſe myſterium Incarnationis, idque ipſum ampliùs, & perfectiùs cognoviſſe poſtea in verbo Angelos Beatos: vt denotant verba, *maximè ex quo beatificati ſunt, &c.*

(*l*) *1. part. quæſt. 64. art. 1. ad 4*

13 Quod de adoratione, & illius præcepto, dicitur, valde probabile eſt, & defendunt graves Theologi, nedum extra Scholam S. Thomæ, ſed ex ea etiã, quos inter Sapientiſsimus Noſter Zumelius (*m*) ait, id eſſe *valde credibile*, & Doctiſsimi PP. Salmanticenſes

(*m*) *De Angelis quæſt. 63. art. 3. quæſt. ſua 3. Concl. 2.*

Digitized by Google

ſes (*n*) dicunt, *eſſe valde probabile*, adduntque, etiam eſſe *valde probabile*, quòd, ſuppoſito ordine rerum à Deo ſtabilito, de vnione hypoſtatica Verbi cum natura humana, Angelis iam in via inerat *obligatio*, *non ex ſpeciali præcepto poſitivo orta*, *ſed ex lege naturali*, *adorandi* Deum Hominem. Deducitur tandem ex his, argumenti rationem nullam eſſe; & inde validiſsimè infirmari, quòd ex ea inferatur, impoſsibile fuiſſe Angelis Virginem, imò & Chriſti Humanitatem, adorare ante ipſarum exiſtentiam, quod quidem nemo dixit, nec dicere potuit; alioqui nec Chriſtũ ante ipſius adventum potuiſſet quiſquam adorare, quod abſurdiſsimũ eſt. (*n*) *De Angelis diſp.* 10. *dub.* 3. §. 1. *n.* 81.

14 Obiicitur ſecũdò, & eſt replica contra præcedentia. Quãquam Angeli in via cognoverint Incarnationis myſterium quoad eius ſubſtantiam, attingendo nimirum Chriſtum, vt Deum & Hominem, non tamen cognoverunt quoad circumſtantiam Maternitatis, & conceptionis ex muliere: ergo Deiparã non cognoverunt. Antecedens probatur ex S. Bernardo, (*o*) qui docet, ab antiquo Angelis ignotum fuiſſe, *quod potiſsimum tempus, quemve locum, vel modum, præcipuèque quam Virginem ad implendum propoſitum ſuum elegiſſet Deus*. Pende verba illa: *quem modum*. Et ſtatim repetit. *Si, inquam, hoc Dei conſilium, non de opere, ſed de tempore, loco, modo, atque Perſona, etiam Sanctos ignoraſſe Angelos cenſerim & ſcripſerim, profectò non video cur incredibile videatur.* (*o*) *Epiſt.* 77.

15 Probatur item antecedens ex Sancto Thoma (*p*) aiente. *Quod Angeli noverint futuram Incarnationem, ambigere non oportuit. Latuit autem eos inveſtigabilis Domini conceptio atque modus.* (*p*) 3. *part. quæſt.* 30. *art.* 2. *ad* 3

16 Reſpondeo. Nego antecedens, quod non infringunt S. Bernardi textus. Primùm: quia S. Doctor non tàm more reſolventis, quàm diſputantis loquebatur: nam cùm eam ſententiam alibi à ſe dictatam ſuggillaverint nonnulli, idque ipſe audierit, duarum rationum memor, quibus ad illam proponendã permotus fuerat, accuſationem retundit, ſubiiciens: *Quid ſuggillor, quippè qui neutram* (rationem) *affirmans, lectoris vtramque magis iudicio relinquo?* Et quãvis in dicta Epiſtola nova cudat argumenta pro eadem ſententia, eò ſolum tendit, vt ſuadeat, irreprehenſibilem evadere, quippè quæ nec incredibilis ſit, nec veritati Scripturarũ, aut Fidei opponatur, vtî contradicere, forſan putaverant Adverſarij, ideòque concludit. *Vidiſne, in quantis, ſalva Fide & veritate Scripturarum, divinum Angeli conſilium poterant ignoraſſe?*

17 Deinde. Sanctus Bernardus iuxta illam ſententiam loquebatur

Digitized by Google

batur non modò de via Angelorum, ſed etiam de ſuccedentibus temporibus vſque ad Incarnationis Annuntiationem Virgini factam: nam Hugoni de S. Victore hæc ibidem reſcribit. *Hoc reſponde Fratribus, qui me reprehendunt, quòd dixerim ad laudem Virginis, ideò poſitum eſſe. A DEO* (In Evangelio nempe Lucæ dicentis, *miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo*) *ne cui fortè vel Beatorum Angelorum ſuum conſilium* (non quidem de opere, ſed de operis circunſtantijs ſupra recitatis, vti ipſe animadvertit) *Deus priuſquam Virgini revelaſſe putetur, excepto duntaxat Archangelo Gabriele.* Et nihilominùs Chriſti conceptionem ex muliere, ac proinde Deiparam, Angelos non ignoraſſe toto illo tempore, docet ipſe Bernardus, & eſt abſolutè verum.

18 Docet năque id Angelicus meus Magiſter, qui, cùm ex S. Dionyſio (q) didicerit, Prophetas ab Angelis inſtructos, & ipſorũ miniſterio revelationes accepiſſe, ideòque ſibi hoc opponat argumentum: Prophetæ myſteria gratiæ cognoverunt; ergo & Angeli: reſpondet. (r) *Dicendũ quòd quidquid Prophetæ cognoverunt de myſterio gratiæ per revelationẽ divinam, multò excellentiùs eſt Angelis revelatum.* Iſaias autem cognovit per divinam revelationem, & præſcivit conceptionẽ Chriſti ex Virgine, quapropter (s) ſcripſit: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, &c.* atque ita & Angeli idipſum cognoverunt, priuſquam Virgo Maria in lucem prodierit.

(q) *Cap. 4. Angelicæ Hierarch.*
(r) *1. part. quæſt. 57. art. 5. ad 3*
(s) *Iſaiæ 7.*

19 Nec negat S. Bernardus obiectis textibus, quin potiùs, vt ex verbis ipſius deducitur, apertè ſupponit: quoniam quatuor, ait, Angelis ignota fuiſſe; primum eſt tempus, ſeu inſtans determinatum conceptionis Chriſti: ſecundum, locus, Nazareth ſcilicet hoc perficiendum myſterium: tertium, modus: quartum tandem, qualis mulier virgo eligenda eſſet: quæ loquendi norma ſupponit, Angelos, priuſquam Gabriel nuncius ad Virginem mitteretur, agnoviſſe Chriſtum ex muliere virgine concipiendum, quamvis illis latuerit, quam in individuo Virginem Deus ſelegiſſet; & ideò non dixit Bernardus, *mulierem*, ſed *quam Virginem* Deus deſignaſſet, Angelos neſciiſſe.

20 Id quoque inde confirmatur, quòd poſtquàm D. Sanctus inter ignota Angelis deſignat *modum*, non ſiſtit, ſed vltrà proficiſcitur, enumerans circunſtantiam determinatæ virginis, *quam virginem*: hoc autem otioſè exhiberet, ſi in modo ſubaudiretur iuxta ipſius mentẽ conceptio Chriſti ex Muliere; quoniam ſi ignorabant Angeli cõcipiendũ Chriſtũ ex muliere, ſtatim cõſpicitur, & ignotũ

ipſis.

Digitized by Google

ipſis fuiſſe, concipiendum ex muliere Virgine: atqui modò ſolùm intẽdo, Angelos in via cognoviſſe Deiparam ſub hac expreſsione, id eſt, percepiſſe, Chriſtum ex muliere concipiendum; nec curo, an pervenerint aduſque huius numero Virginis cognitionem; igitur Bernardus minimè adverſatur, qui eatenus quatuor illas circunſtantias, aſſerit, non affulſiſſe Angelis, quatenus neque antiquis Prophetis innotuere, vt liquet ex verbis ipſius transcriptis nu. 17. quos tamen Prophetas docet non prætervolaſſe, myſterium Incarnationis per conceptionem ex muliere Virgine implendum.

21 Imò, & pace tanti Doctoris dixerim, vel quatuor circunſtantias, ab ipſo enumeratas, toto illo tempore nõ latuiſſe cœleſtes Intelligentias: ſic me docuit Doctiſsimus meus Zumelius, qui poſt commemoratam S. Bernardi ſententiam hæc ſubiungit (t) verba, de illa ferendo iudicium. *Licèt probabile ſit, Angelos à principio ſuæ creationis iſta ignoraſſe: quia nulla eſt neceſſitas, quæ cogat dicere hæc omnia fuiſſe illis revelata; tamen credibile eſt, quòd Incarnationis modus aliquomodo fuerit illis revelatus, ſaltem quantum ad hoc, quod eſſet virtute Spiritus Sancti efficiendum myſterium. Nam hoc maximè videtur pertinere ad dignitatem tanti myſterij, & potiſſimè, quia fuit illud pleriſque Prophetis revelatum. Præterea, de Angelis Beatis probabilius eſt, per viſionem beatificam cognoviſſe quatuor illas circunſtantias* (vtique à principio ſuæ beatitudinis, quippè viſio beata immutabilis eſt) *quia videbant hoc myſterium perfecta, & intuitiva viſione: videbant igitur illud prout futurum erat in re: ergo & tempus, locum, & modum.* Hactenùs Sapientiſſimus Magiſter.

(t) *Vbi ſuprà quæſt.* 57. *art.* 5. *quæſt. ſua* 4. *Concl.* 6.

22 Angelicus Thomas ſe ipſum exponit verbis immediatè poſt obiecta deditis; quæ cum integro textu huc transfero. *Quòd Angeli noverint futuram Incarnationem, ambigere non oportuit. Latuit autem eos* (in via vtique, & à principio creationis) *inveſtigabilis Domini conceptio atque modus* (id eſt, latuit cõceptio quoad modum ſequentibus verbis deſignandum) *qualiter totus in genitore, totus manebat in omnibus, necnon & in virginea cellula.* Hoc eſt, latuit Angelos modus, quo Chriſtus futurus erat in clauſtro virginali, non vero latuit ibidem futurum, hoc enim ſupponitur manifeſtè modo illo loquendi Angelos cognoviſſe, ac proinde cognoviſſe Deiparam.

23 Addiderim, quod nec loquutione iſta: *Angeli à principio ſuæ creationis, id eſt, in via, cognoverunt Incarnationis myſterium*

quoad

Digitized by Google

quoad ſubſtantiam, ſed non quoad circunſtantias; excluditur illos cognoviſſe Deiparam: quanquam enim ſtrictiſsimè loquendo verum ſit, conceptionem Chriſti ex muliere non pertinere ad Incarnationis eſſentiam, quoniam poterat Deus ſe ſolo, & abſque alterius concurſu, humanitatem Chriſti producere; nihilominùs adeò propiè & intimè attigit Deipara Chriſtum, vt communiter loquẽdo optimè dicatur, & Deiparam ſpectaſſe ad ſubſtantiam myſterij (præſertim inſtituta comparatione cum quibuſdam alijs, quæ, quia accidentales circunſtantię, aſſeruntur Angelis ignota) & quod Angeli in via ad cognitionem ſolùm ſubſtantiæ eiuſdem myſterij pertigerint, quamvis cognoverint Deiparam.

24 Diruta iam ſunt argumenta, quæ propoſitam aſſertionem exagitare poſſent, alia enim ſupereſſe non video: nam ſemel admiſsis præiactis doctrinis, quod attinet ad magnitudinem Deiparæ excellentiæ, dignæ quidem vt ab Angelis, nedum honoraretur, quin & adoraretur, abunde conſtat: tùm quia Maternitatis ratione effecta eſt Deipara longè ſuperior Angelis; tùm quia in gratiæ habitualis augmento ſuperavit, vel à primo ſuæ conceptionis momento, vt communis fert ſententia, nedum gratiæ vniuſcuiuſque Angeli, ſed & cunctorum ſimul, gradus. Conſtat ergo, dictam aſſertionem vacare temeritate contrariè accepta, iuxta diviſsionem, & explicationem datam nu. 3. atque ideò, ea conſiderata, aſſumo iurè contra Cenſores Pariſienſes, quæ D. Bernardus in ſui defenſionem adiecit, retundens Adverſarios (u) iniuſtè cenſentes. *Sanè ibi vnuſquiſque in ſuo ſenſu ſecurus abundat, vbi aut certæ rationi, aut non contemnendæ authoritati, quod ſentitur, non obviat.* Reliquũ eſt, vt rationes poſitivè ſuadentes concluſionem adducam, hac via omninò Cenſuram Pariſienſium refutando.

(t) *Vbi ſuprà.*

§. II.

DOCTRINA VENERAB. ABBATISSÆ COPIOSE roboratur.

25 RAtio, qua nititur ſecunda concluſio num. 9. præfixa, huiuſmodi eſt. Angeli in via cognoverunt Deiparam ſaltem communi conceptu, percipiendo nimirũ Deum ex fœmina ſumpturum carnem; ſed ſtatim vt illam ita cognoverunt, adorarunt etiã: ergo Angeli in via Deiparam adorarunt. Difficultas tota vertitur

in

Digitized by Google

in præmiſsis, quarum maiorem oſtendo, oſtenſurus poſtea minorem, & illam quidem probo ſacro textu, quem verſans Venerab. Abbatiſſa primam notatam propoſitionem interſerit.

26 Evangeliſta Joannes in ſua Apocalipſi (*a*) refert, factum fuiſſe prælium magnum in cœlo, pugnantibus Michaele, & Angelis ſuis, cum Dracone, & ſequacibus: per quod ſanè prælium, communiter Theologi in tract. de Angelis intelligunt ſpirituale bellum inter Angelos Sanctos, & Apoſtatas in ſtatu viæ in cœlo initum; tunc enim rebelles inde eiecti ſunt, & cùm antea ibidem haberent locum, pòſt non eſt inventus *locus eorum in cœlo*; (*b*) atque tunc Draco ſecum traxit *tertiam partem ſtellarum*, (*c*) id eſt, Angelorum. Conſtat itaque ex textu, prælium hoccine incœptum occaſione mulieris parturientis Filium, quem Draco devorare conabatur. De quibus ſic ibi. (*d*) *Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperiſſet, Filium eius devoraret, & peperit Filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & raptus eſt filius eius ad Deum, & ad Thronum eius.* Eiuſmodi autem Filium, & Matrem, in ſenſu literali Chriſtum eſſe, & Chriſtiparam, tuetur & firmat Doctus Pater Ioannes de Sylveira (*e*) pro eadem ſententia referens Ambroſium, Auguſtinum, Albertum Magnum, Bernardum, Andræam Cęſarienſem, Ansbertum, Haymonem, Aretam, Pannonium, Rupertum, & Richardum à S. Laurentio: idemque probabile dicit laudatus Zumelius. (*f*)

27 Hinc manifeſtè deducitur, Angelis in via Deum præmonſtraſſe Incarnationis myſterium, non vtcunque, ſed ſimul revelando, implendum ipſum mulieris operâ, Verbo ex ea carnem aſſumpturo. Eodèm facere exiſtimo S. Cyrillum Alexandrinum Homilia adverſus Neſtorium habita in Concilio Epheſino, (*g*) vbi Virginem ita præclare ſalutatur. *Salve Sancta Deipara, lampas inextinguibilis, per quam Diabolus cælo decidit.* Quæ poſtrema verba per hæc alia exponit noſter Sylveſter de Saavedra, (*h*) de Virgine Maria optimè meritus Scriptor. *Audi*, inquit, *fugavit Dæmones ſola illius* (Virginis) *effigies obiecta intellectui Angelorum eo impulſu, & virtute, vt tanquam fulgura de cælo caderent.* Quod ipſum, & Venerab. Antiſtita non obſcurè indicat num. 108. Ergo Angeli in via Deiparam cognoverunt, ſaltem ſub communi conceptu, cognoſcendo nempè Chriſtum concipiendum ex Muliere.

28 Accedunt inſuper graves coniecturæ, depromptæ ex con-

(*a*) *Cap.* 12

(*b*) *V.* 4.

(*c*) *V.* 8.

(*d*) *V.* 4. & 5.

(*e*) *Super eundem Apocalipſis locum quæſt.* 12.

(*f*) *De Ang. quæſt.* 63. *art.* 3. *quæſt. ſua* 3.

(*g*) *Tom.* 6. *cap.* 6.

(*h*) *De Sacra Deipara Veſtigat.* 2. *diſp* 16. *ſect.* 11 *nu.* 611.

Digitized by Google

gruentijs, quibus vt plurimùm Theologi ſuadent, Angelos in via noſſe Incarnationis ſacramentum. Nonnulli ſic arguunt. Chriſtus eſt Dominus, & Rex Angelorum: ergo oportuit Angelos iam à principio, & in via, illum cognoviſſe; quia huiuſmodi cognitio congruit maximè creaturis intellectualis naturæ, præſertim nobilioribus: Atqui Deipara eſt Domina, & Regina Angelorum: ergo oportuit eam quoque Angelis, vel in via innotuiſſe.

29 Alij ſic: Angeli Beati vident hoc myſterium in verbo: ergo & illud Fide crediderunt, ac proinde in via cognoverunt; quia viſio Beata ſuccedit Fidei, & eſt quaſi proportionatum eius præmium. Et quamvis huiuſmodi dialecticandi norma non vbique teneat, quoad præſens rationalis eſt: tùm quia procedit ſermo de creaturis, quæ à principio aptiſsimæ fuere ad explicitam revelationem illius myſterij accipiendam; tùm quia procedit etiam de myſterio inter præcipua myſteria computato. Modò ſubinfero; atqui Angeli in via admodùm idonei erant ad revelationem Deiparæ ſuſcipiendam, & deinde maximè Deipara pertinet ad Incarnationis myſterium, prout ſecundum divinum conſilium ordinatum eſt: ergo Angeli in via Deiparam cognoverunt.

30 Denique alij permulti ita: Angelos habuiſſe à principio Chriſti notitiam erat illorum magna perfectio, atque dignitas, eratque Chriſti Domini honor: ergo cùm exadversùm nullum firmæ authoritatis, aut rationis, eluceat momentum, aſſerendum eſt, id accidiſſe. Subinfero nunc: ſed proportione ſervata eadem militat ratio pro Deiparæ cognitione: ergo Angelis tunc non defuit. Hæc igitur arguendi capita, tametſi potiſsimè vrgeant in Chriſto, iurè ſuo modo accõmodantur ad promovendum, Angelis deſuper conceſſam à principio ſuæ creationis Chriſtiparæ notitiam. Et certè mihi creditu difficile ſit, Deum, alioqui in Deiparam largiſsima manu ſeſe effundentem, vſquè eò parcè Angelis ab initio reſeraſſe ineffabile Incarnationis ſacramentum, in quod magnopere contulit Deipara, vt eandem Deiparam celaverit.

31 Minor, nempè, quòd Angeli Sancti Deiparam ab ipſis cognitam in ſtatu viæ, ſtatim, id eſt, in eadem via, quæ breviſsima quidem fuit, adoraverint, facilè ex dictis eruitur: quoniam Deipara digna erat, quæ ab Angelis adoraretur; Angeli præterea nihilò detinebantur, quominus adorationẽ impenderent: quippè Deiparã cognoſcebant, tantæ Dominæ non invidebant, quinimo plaudebant: ergo ſtatim adorarunt hoc ordine; primùm Regem Chriſtum,

quem

Digitized by Google

quem mulieris futurum Filium credebant; & deinde Chriſtiparã, & Reginam adorarunt: *Decet enim*, opportunè prædicante S. Ioanne Damaſceno, (*i*) *Dei Matrem ea, quæ Filij ſunt poſſidere, & ab omnibus adorari.*

(*i*) *Orat. 2. de Aſſũp. Virg.*

32 Adhæc: Beatiſsima Virgo eò quòd Mater Dei eſt, habet ſpeciale quoddam ius, & dominium in Angelos, reliquaſque Creaturas, non vtcunque, ſed ita vt meritò Domina atque Regina Angelorum, cœlique & terræ, audiat, eouſque extollentibus Patribus, vt S. Athanaſius (*k*) dixerit. *Regina & Domina, & Deipara PROPRIE ET VERE CENSETVR.* S. Damaſcenus. (*l*) *VERE enim rerum omnium conditarum Domina effecta eſt.* S. Bonaventura. (*m*) *Virgo REVERA Domina eſt cœleſtium, terreſtrium, & Infernorum*: & poſtea, Virginis typum Eſtherem fuiſſe affirmat, de qua dicitur in ſacro textu: *Aſſumpſit duas famulas*: quas Angelicam humanamque naturam interpretatur, ſervile miniſterium Deiparæ exhibentes. Plura alia in idem magna erudione addenſat. (*n*) Noſter Pintre.

(*k*) *Hom. de Deip.*
(*l*) *Lib. 4. de Fid. cap. 15.*
(*m*) *In Speculo Virginis, cap. 3.*
(*n*) *In opere de Imperio Mariano.*

33 Pergo nunc: Iurè dominij debetur ſuperiori adoratio ab inferioribus: ſiquidem debetur honor cum ſubmiſsione, in quo adoratio conſiſtit; ac proinde debita eſt Deiparæ ab Angelis adoratio hoc titulo, ſicut & à reliquis creaturis. Id quod frequenter docent Theologi titulos, ob quos Virgini ab omnibus creaturis debita eſt adoratio, recenſentes: ſatis iudico, ſi vnius vel alterius verba præſentem. Pater Ioannes de Cardenas inquit. (*o*) *Sicut infinitum dominium Dei eſt titulus, ob quem Deo debent omnes creaturæ ſupremam adorationem; ita dominium, quod Beatæ Virgini competit iure maternitatis Dei ſupra omnes creaturas, titulus eſt, ob quẽ omnes debeant illi adorationem.* Et pro eodem ſenſu multos refert Patres.

(*o*) *In Gemino Sydere Mariani Diadem. diſp. 2. cap. 14. nu. 164.*

34 PP. Salmanticenſes. (*p*) *Cùm itaque dignitas Chriſti incõparabiliter excedat omniũ Regum dignitatem, conſequens eſt, quòd Chriſti Matri debeatur maior honor, quàm cuiuslibet Imperatoris Matri. Vnde vel ob hunc præcisè titulum adorari deberet. Præſertim* (nota) *cùm ab hoc capite habeat Virgo eſſe Reginam, & Dominam creaturarum.*

(*p*) *Tom. 2 in 3. part. diſp. 36. dub. 3. §. 1 num. 26.*

35 Pater Theophilus Raynaudus, (*q*) etſi nimiùm liberaliter non ſentiat de rigore, & proprietate prædicti dominij Mariani, *Satis eſt*, inquit, *vt ab omnibus coli, ac etiam à Rebellibus metui debeat, quòd mater ſit Chriſti, & omnia apud eum poſſit*: ac proinde

(*q*) *In Diptychis Marianis, p. 2 punct. 10. num. 34.*

 ſit

Digitized by Google

ſit Domina omnium, & Regina mundi, in Filio, atque per Filium.

36 Infero ex his. Ergo vt Angeli in via Chriſtiparam poſt Chriſtum agnoverunt, ſtatim poſt Chriſtum adorarunt; neque fas eſt Sanctos Angelos cunctabundos in Virgine honoranda, & adoranda eſtimare, quos ſui muneris vel apicem non prætermiſiſſe ſcimus; & ſanè quî fieri poterat, vt illis intentionaliter affulgentibus Chriſto, & eius Matre, Filiò adorato, honoraria adorationis teſtimonia Deiparæ non offerrent, ipſi alioqui debita & Maternitatis, & dominij titulo? Hinc pullulat argumentum omnia ſummatim continens. Theologi frequenter docent, Angelis in via concedi oportuiſſe notitiam Chriſti ſui Regis, & Domini, vt illum poſſent adorare, & adorarent: ergo & oportuit concedi ipſis notitiam ſuæ Dominæ, & Reginæ, vt eandem adorare poſſent, & adorarent. Quare & huius doctrinæ conſcia Venerab. Abbatiſſa in Perſona Angelorum loquens opportunè addidit in notata prima propoſitione: *Et agnoſcamus illam*, hac videlicet adoratione, *pro Regina, & Domina noſtra.*

37 Si reſpondeat aliquis, Angelos in via noviſſe Deiparam ſub hoc conceptu, ſed neſciiſſe futuram ipſorum Reginam, & Dominam, ac proinde non perſpexiſſe dignitatem, vt ab ipſis adoraretur: ſi, inquam, hoc dicat, facilè refellitur. Tùm, quia Maternitas eſt dignitas, vt Deipara ab Angelis adoretur. Tùm, quia ea cognita, nullo negotio vivida præſertim, & à Deo magnopere illuminata Angelorum mens aſſequeretur ſublimia ornamenta Dominæ, & Reginæ: cùm nec obſcurum ingenium lateat, Regis ac Domini Matrem Reginam Dominamque eo ipſo evadere. Tùm denique, quia iura ipſa Deiparæ expetebant, Angelos hæc omnia non prætergredi.

38 Communitum iam, & ſatis oſtenſum relinquitur, Angelos Sanctos non longè à ſua creatione Deiparam adoraſſe; quanquam enim præmiſſa argumenta demonſtrativa non ſint, magnum probabilitatis gradum attingunt; imò & multò probabiliora, quàm quæ ex oppoſito adduci poſsint, meritò iudicantur; & talia profectò, inſpecta qualitate præſentis materiæ, vt exactiora requirere ad prudentem aſſenſum extorquendum, prudentiæ regulam contorqueat: nam ſimilis, neque alterioris, momenti ratiocinijs multoties ſuffulti graviſsimi Theologi, in non diſparibus omninò materijs aſſertiones ſuas aſtruunt; atque ſaltem quidem ad Cenſuras dehoneſtantes evadendas largè ſufficere, notũ eſt. Opinentur Cẽſores,

ſi

ſi libeat, Virginem ab Angelis ſtatim, vt creati fuere, non adoratã; caveant verò à tetris notis inurẽdis opinioni adverſæ ſublimiùs de Deipara ſentienti, ne cum alijs coargui reprehendique promereantur, de quibus hoc protulit iudicium (*r*) perdoctus Theologus Salmanticenſis Melchior Canus. *Sanè arguendi ſunt Scholaſtici nonnulli, qui ex opinionum, quas in ſchola acceperunt, præiudicijs, viros aliàs Catholicos notis gravioribus inurunt, idque tanta facilitate, vt meritò rideantur.*

(*r*) *Lib.* 8. *de locis Theolog. cap.* 4. *initio.*

39 Tertia concluſio. Angeli initio ſuæ beatitudinis Virginem Mariam adorarunt. Suffragantur concluſioni Authores advocati num. 6. quibus addo Patrem Ioannem Baptiſtam Cancellottum. (*s*) Probatur concluſio. Beati Angeli in verbo Deiparam cognoſcunt non præcisè ſub communi conceptu, intelligendo Deum ex fœmina carnem aſſumpſiſſe, ſed ſub proprio & peculiari, attingendo intuitivè hanc numero fœminam, quæ myſterio Incarnationis perficiendo ſubſerviit: ergo & à principio beatitudinis idipſum, eodemque modo, Beati Angeli intuebantur: ſiquidem viſio Beata mutationem, & augmentum non patitur. Ergo & à principio beatitudinis Deiparam, imò & hanc numero Sanctiſsimam Virginem, quæ Deipara eſt, adorarunt. Prior conſequentia nulla indiget probatione: tota namque difficultas, ſi quæ eſt, ad antecedens, & poſteriorem conſequentiam devolvitur.

(*s*) *In Annallibus Marianis anno aſſũpte Virginis* 2. *num.* 2.

40 Probatur ergo antecedens. Primò: Angeli Beati intuentur in verbo Incarnationis myſterium, vt communior fert Theologorum ſententia, idque ideò prout in ſe eſt attingunt: ergo & Virginem Mariam Chriſti Matrem intuentur. Secundò: Quia Beata Virgo, cùm Domina ſit, & Regina Angelorum, ad eorum ſtatum maximè pertinet. Tertiò. Quia incredibile eſt tam perfectũ Dei opus, cuiuſmodi eſt Beatiſsima Virgo, à Sanctis Angelis in verbo nõ videri: & quidem multò incredibilius eſt ab aliquo Beato non videri: quòd ſi ab aliquo videtur, non eſt cur negetur, ab Angelis videri, imò ab ipſis maximè dicendũ eſt videri. Denique: Idipſum, quod in via per fidem cognoſcitur, pòſt à Beato intuetur in verbo: ergo cùm Angeli in via per fidem cognoverint Deiparam, credendo Verbum ex Fœmina ſumpturum carnem, Beati Angeli in verbo Deiparam intuentur; ſed nequeunt Deiparam intueri, quin in particulari hanc fœminam reipsà Deiparam intueãtur, vtî ex intuitionis natura conſtat: ergo Sanctiſsimam Mariam Chriſti Matrem intuentur in verbo. Conſonat his Zumelius memoratus num. 21.

Oſten-

Digitized by Google

41 Oſtenditur nunc poſterior conſequentia enthymematis nu. 39. ſiquidem huic determinatæ Virgini, quæ Deiparæ dignitatem obtinuit, debetur ab Angelis adoratio propter titulos in ſuperioribus expenſos, & recitatos: ergo quum primùm Sanctis Angelis innotuit tantis ditata ornamentis, ab iiſdem Angelis eſt adorata: ergo cùm à principio beatitudinis, & non antea, illam in particulari cognoverint his decoratam inſignibus, à principio beatitudinis eandem adoravere. Vtraque conſequentia deducitur ex iactis doctrinis, quas fruſtra iterarem, quippè ipſarum applicatio obvia cuique eſt. Imò concedatur, Angelis hæc omnia in via, prælucente Fide, innotuiſſe, ab ipſiſque eapropter iam tunc adoratam hanc numero fœminam: adhuc exiſtimo, iterum ab illis adoratam fuiſſe, protinus ac beatificam viſionem obtinuerunt: quia in verbo multò perfectiùs ea omnia penetrantes, veriſimile eſt, novo in Virginem incenſos amore adorationem repetiiſſe, vt primùm magno luminis gloriæ rore fuere perfuſsi, & cœleſtiùs inebriati.

42 Præmiſſas concluſiones perbellè illuſtrat Pater Hadrianus Lyræus, (*t*) cuius verba, quamvis longiuſcula, non gravabor exſcribere, vtpotè digna, quæ ab omnibus legantur. *Pro certo itaque,* ait, *atque explorato habendum, non tertium, nec quartum numerari nunc diem, à quo Sanctiſſimæ Mariæ nomen ſingulari quodam cultu atque obſervantia affectum fuit. Cum mundo hæc cœpit religio, quam cœleſtes illi ſpiritus, quos ab officio Angelos vocamus; divini Verbi Incarnationem, vel in ſtatu viæ edocti, vel in beatitudine clara viſione conſecuti, ſtatim tenuere, dum eam, quam Dominam, & Reginam perpetuò habituri erant, vel Fide, vel clare in verbo venerati ſunt, eius nomen adorantes, quam pòſt annorum quædam certa ſpatia naſcituram terris ſperabant. Ita Regum Sapientiſſimus Salomon ſacri ſui Epithalamij cap. 6. viderunt, inquit, eam Filiæ Sion, & Beatiſſimam prædicaverunt. Angeli videlicet futuram Dei Matrem intuentes, & proinde nomen eius Sanctiſſimum piæ venerationis cultu, vel eminus ſalutantes.* Si hæc tunc iam exhibuere Angeli Beatiſsimæ Deiparæ nomini, cur non & ipſi Deiparæ? Præſertim cum nomen ſit vicarium rei, & pro ipſa ſupponat, nec niſi cum ea, aut ratione eiuſdem adorari dicatur. Alibi (*u*) etiam hoc, & nuper dicta, confirmat idem Author.

43 Opponet quiſquam nonnullos PP. qui interdum ſignificare, videntur, Angelos non cognoviſſe à principio, vt dixi, Virginem Mariam: ſiquidem S. Bernardus (*x*) illis accommodat verba ea, *Quæ*

(*t*) *Vbi ſuprà.*

(*u*) *Lib. 1. ſono 32. circa medium.*

(*x*) *Hom. 1. ſup. Miſſus eſt, & Serm. 4. ac 5. de Aſſumpt.*

Digitized by Google

(y) *Quæ eſt iſta quæ progreditur, &c.* tanquam multò pòſt inquirentibus de Virgine, vt de Perſona ſibi ignota: quod etiã præſtitit (z) S. Laurentius Iuſtinianus.

(y) *Cant. 6.*
(z) *Serm. de Annunciat.*

44 Reſpondeo. Angeli inducuntur, ſive in Annunciatione Incarnationis, ſive in Virginis Aſſumptione, de Virgine interrogantes, *quæ eſt iſta*, non quia illam antè ignorarent, ſed vt hac loquendi norma Virginem commendarent, veluti illius celſitudinem admirantes. Vel produntur ignari quarundam circunſtantiarum, quas, abſque diſpendio intuitivæ viſionis, de Virgine in verbo habitæ, à principio non noverant, & decurſu temporis extra verbum didicerunt. Et ita reverenter exponendi ſunt præfati PP. vti & exponit Hadrianus Lyræus poſtremo loco num. antecedenti memorato.

45 Præiactam vltra doctrinam graviter confirmant teſtimonia ex Sermone Angelico (a) B. Brigittæ huc tranſlata. *O omnium conſolatio* (habet) *Virgo Maria, hoc ipſum tu es, ad quod Angeli à principio ſuæ creationis tanta arſerunt charitate, quòd licèt ex ſuavitate & charitate, quam ipſi in Dei viſione, & appropinquatione habebant ineffabiliter lætabantur, plurimùm tamen ex eo gaviſſi ſunt, quòd tu ipſi Deo eis propinquior fieri debebas, & ex eo quòd maiorem charitatem, maioremque ſuavitatem, quam ipſi habebant, tibi noverunt reſervari.* Et in fine. *Tu ò Virgo Sanctiſſima Angelis, mox, vt creati fuerunt, gaudium fuiſti, quæ ipſi Deo ſine principio ſumma delectatio extitiſti. Et ſic verè Deus cum Angelis, & Angeli cum Deo de te, ò Virgo creaturarum omnium digniſſima, antequam creareris, intimè congaudebant.*

(a) *Cap. 4.*

46 Quare, penſatis hinc inde omnibus, perplacet mihi Eximius Pater Soarius, qui iam in tractatu de Angelis præmiſſerat doctrinam de Virgine ab Angelis cognita cùm in via per fidem, tùm in Patria per viſionem, quatenus ſuprà explicui (vnde poſtea de Virginis excellentia diſputans, intulit eandem Virginem in vtroque ſtatu ab Angelis adoratam) & adorationem Virginis ſubſequutam ad cognitionem in verbo, venerãdo hoc teſtimonio ibidem etiam expoſuit. (b) *Beata Virgo eſt Angelorum Regina & Domina, & in ſuo modo, & gradu Angeli ſunt eius miniſtri, & ideò ad ſtatum illorũ pertinet, vt in verbo ſemper illam contemplentur, SEMPERQVE ILLAM COLVERINT, & amaverint.*

(b) *De Angel. lib. 6. cap. 5. nu.* 10.

§. III.

§. III.

PRINCEPS ASSERTIO, ALIA EX PARTE ſpectata, communitur.

47 QVarta concluſio. Sancti Angeli Virginem Mariam, confeſtim vt nata eſt, adorarunt, ſicuti docet Venerab. Antiſtita, idque rationabiliter, & ſine temeritate aſſeritur. Aſſertio hæc quoad omnes ſui partes magno ſubnititur fundamento authoritatis, & congruentiæ, etiamſi revelationis, quam prodit Venerab. Author, nulla haberetur ratio; illa enim, vt nuper argui, (*a*) ſatis ſuperque eſt, ne temeritatis nota infametur propoſitio, quoaduſque aliunde improbetur.

(*a*) *Nu.*8.

48 Argumentum à priori, vt vocant, efformo. Adoratio ex communi Theologorum conſenſu eſt honor cum ſubmiſsione; ſed hoc pacto Santiſsima Maria, ſtatim atque vtero Matris prodiit, honorata fuit à multitudine Angelorum: ergo tunc illam ipſi adorarunt. Minorem evincunt ampliſsima teſtimonia.

49 S. Ioannes Chriſoſtomus apud Ludovicum de la Cerda (*b*) dilucidè his loquitur verbis. *Infinitam militiam Angelorum ad glorioſiſſimæ Virginis Mariæ OBSEQVIVM deputatam nullatenus ambigimus; qui caverent, ne præparatum æterni Regis hoſpitium hoſtes incederent.* Quam Angelorum multitudinem Virgini, vt minimùm ab ipſius fœlici ortu, aſſediſſe iuxta Chriſoſtomi textũ non licèt ambigere; ſiquidem vel quilibet homo, cùm per nativitatem à Matre ſeparatur, potiri incipit tutelaris Angeli conſortio, docente (*c*) S. Thoma. Nec inde quis effugiet vim probationis dicendo, Chiſoſtomum eloqui de cuſtodia, non de ſubmiſsione Virgini ab Angelis impenſa. Quoniam ſubmiſsionem diſertè explicuit S. Doctor per verbum illud *obſequium,* perinde ac ſi dixiſſet, Mariam ſibi obſequentes Angelos habuiſſe, & proinde ſe illi ſubmittentes: quanquam non ideò inficier, Sanctiſsimam Mariam Angeli, quin & Angelorum, cuſtodia potitam, vtî nec renuit Venerab. Abbatiſſa: huiuſmodi tamen cuſtodia cautè exponenda eſt, & communibus non perpendenda ſenſis, quibus aliorum hominum Angelica tutela depingitur.

(*b*) *Lib.*9. *de excell. Spirituum Cœleſt.*

(*c*) 1. *part. quæſt.* 113 *art.* 5. *in corp.*

50 Angeli enim in hominum cuſt odia Deo famulantur, non homi-

hominibus, quos potiùs præſidum more protegunt, diriguntque: at Virginem cuſtodiendo ei famulabantur: quippè eam multiplici titulo ſe ipſis ſuperiorem noverant: & quamvis naturâ inferior eſſet, quidquid eidem Angeli præſtabant, non hac regula metiebantur, ſed vt ratio exigebat, altiùs mentem erigendo ad excelſos divinæ gratiæ Marianos titulos, eorum ratione iure optimo ſe obſtrictos putabant, vt tantæ Virgini famularentur, & inſervirent: & hac via ſimul cuſtodes, & Virginis miniſtri erant. Quò meritò alluſiſſe reor Georgium Nicomedienſem (*d*) Metropolitam, aientem: *Oportebat eidem non ſolùm vnum inſervire Angelum, ſed decies mille milliũ eam ſtipare.* En cuſtodiam cum obſequio, & famulatu, quem ſanè non dura, atque acerba ſorte, ſed propitia & præclariſsima, Angeli abs dubio gloriabantur, ſibi obtigiſſe.

(*d*) *Orat. 2 de oblatione Deip.*

51 Conſalvus Durantus. (*e*) *Deus voluit Matris ſuæ ortum Angelis propalare, ad maiorem gloriam, & honorem illius, vtque ſcirent eorum Reginam illam eſſe futuram, quippè quæ eorum Regem, & Caput Chriſtum parere debuerat, & vel A PRINCIPIO ORTVS EIVS* (Virginis nimirum) *ILLAM VENERARENTVR, ET DEBITA OBSEQVIA PRÆSTARENT.* Quid clarius?

(*e*) *In Notis ad cap. 56. lib. 6. Revelat. S. Brigittæ*

52 Angelus Paciuchellius, à S. Thoma (*f*) edoctus, pulchrè hæc (*g*) ſcripſit. *Antiquitus, quòd Angeli hominibus apparerent, & homines reverentiam exhiberent Angelis, habebatur pro maxima laude, &c. At in veteri teſtamento legitur ne vnquam, Angelos hominibus reverentiam exhibuiſſe? Profectò nunquam. Cùm autem terrarum Orbis Mariæ præſentia eſt illuſtratus, RES ALITER OMNINO SE HABENT.* Quæ poſtrema verba huiuſce ſunt energiæ, *ſtatim ac Virgo nata fuit*, ſiquidem ex illa hora Orbis terrarum Virginis præſentia illuſtrabatur, *oppoſitum contigit*; quia humanæ creaturæ, eidem Virgini ſcilicet, Angeli reverentiam exhibuere; & ita quidem, vt in ea præſtanda Angelorum potiùs quàm Sanctiſsimæ Mariæ intereſſe haberetur; hoc enim iuxta eiuſdem Authoris ſenſum ſignificant ſequentia, quæ ſubiungit, verba. *Non eſt Virginis prærogativa, vt eam Angeli inuiſant, ſed favor eſt Angelorum, vt procumbentes eam digni ſint venerari.* Eademque ratione explicat reverentiam, quam Archangelus Gabriel, à Deo miſſus vt Incarnationem annunciaret, Virgini impendit.

(*f*) *Opuſc. 8.*

(*g*) *Exercitat. 6. In Pſal. 68. v. 1. nu. 7.*

53 Ioſephus à Ieſu Maria de excellentiis Nativitatis Virginis ediſſerẽs (*h*) docet. *Excellẽtia Virginis fuit, quod ab eius Nativitatis mo-*

(*h*) *Lib. 1. vitæ B. M. cap. 36. num. 2.*

momento deputaverit Deus plures Angelorum myriades ad ipſius comitatum, *VTQVE IPSI INSERVIRENT*, *VELVTI ILLI QVÆ NASCEBATVR, VT IPSORVM ANGELORVM DOMINA, ET REGINA ESSET.* Et poſtea iterum docet, (*i*) plures Angelos fuiſſe deſignatos, vt ab eo tempore Virgini *OBSEQVERENTVR, TANQVAM CLIENTES SVÆ REGINÆ, ET TANQVAM MINISTRI SVÆ DOMINÆ.* Subſcribit (*k*) Antonius Souſa de Macedo.

(*i*) *Nu.* 4.

(*k*) *In Eva & Ave, p.* 2. *cap.* 16. *num.* 11.

54 Ioannes Baptiſta Cancellottus loquens de creaturarum lætitia propter Virginis ortum, ſubdit (*l*) de Angelis. *Cæli beatæ Mentes vniverſæ, ſolio Supremi Regis adſtantes, in huius quoque lætitiæ partem venere, pòſt Deum, ad ſuæ Reginæ cunas, EXHIBITO CERTATIM OBSEQVIO, convolantes: quæ nimirum naſcentis dignitatem reveritæ, feſtivos ediſſe plauſus, pacemque mortalibus concinuiſſe, feruntur.*

(*l*) *In Annall. Marianis, anno Virg.* 15. *nu.* 2.

55 Aſtipulantur eidem ſenſui alij non pauci, iique graves Doctores, contendentes, Deum ſuppleviſſe munus Angeli Deiparam cuſtodientis, aſsignatos nihilominùs fuiſſe plures Angelos Deiparæ à Nativitate ad famulatum, & obſequium: quam ſententiam etſi quoad priorem ipſius partem probabilior Doctorum opinio reijciat, quoad poſteriorem, quæ è re noſtra maximè eſt, nemo, quem legerim, aut relatum viderim, impugnat.

56 Nec deficit congruentiſsima ratio in eiuſdem argumenti confirmationem: nam Beatiſsima Virgo Maria eſt Domina, & Regina Angelorum, & ideò iurè ab Angelis adoranda; ſed congruentiſsimum fuit, vt quamprimùm illa lucem aſpexit, ab Angelis adoraretur, hacque ſubmiſsione à miniſtris ſuis exciperetur, præſertim nobilioribus: ſicuti congruum erat, vt ab iiſdem eximia lætitia, ſummiſque plauſibus celebraretur: ergo rationabiliter aſſeritur, Virginem tunc ab Angelis adoratam, quemadmodùm dicitur, Angelos ingentis lætitiæ ſigna oſtendiſſe: hoc enim poſterius pòſt Patres teſtantur vulgò Doctores: quos inter audire placeat Cardinalem Bellarminum. (*m*) *Choros Angelorum*, inquit, *quem plauſum dediſſe, quibus vocibus, qua lætitia, quò cantu hunc ortum excepiſſe exiſtimatis?*

(*m*) *Cõcione de Nativit. Virgin.*

57 Minor, & conſequentia præterquàm ex ſe conſtant, ampliùs roborantur: quoniam ex Damaſceno: (*n*) *Decet Matrem ea quæ filij ſunt poſſidere, & ab omnibus adorari*; atqui Chriſtus adoratus fuit ab Angelis à principio ipſorum, & iterum cùm introdu-

(*n*) *Vbi ſuprà.*

ctus

ctus eſt in Orbem terrarum ex Virgine naſcendo: in quem ſenſum Interpretes aliqui deflectunt verba Apoſtoli: (o) *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius*: ergo quemadmodùm Angeli Virginem ab eorum principio adorarunt, ſicuti Chriſtum, ſic & etiam eandem adorarunt, cùm per Nativitatem introducta eſt in Orbem terrarum.

(o) *Ad Hebraos, cap. 1. v. 6.*

58 Deinde. Quis dicat, Sanctiſsimam Virginem vt primùm per Nativitatem ingreſſa eſt Vniverſum, vt ſua præſentia Imperij quaſi poſſeſsionem acciperet, atque ditiones illuſtraret, non adoratam ab Angelis, qui veluti fideliſsimi clientes ab initio ſummis votis ſuæ Dominæ ortum concupierant? Maximè cùm tunc valde opportuna Angelos invitaret occaſio, vt adorationem iam à principio intus, & in corde (vt ita loquar) præconceptam, atque intra conſcientiam efferbeſcentem, externis proderent factis, atque teſtimonijs.

59 Dices primò: obſtare prætenſæ adorationi inæqualitatem ſtatuum Virginis, & Angelorum: nam Virgo non comprehenſor, ſed viatrix nata fuit; at Angeli tunc iam comprehenſorum prærogativa gaudebant, & non decet comprehenſorem adeò ſe demittere, vt viatorem adoret. Cæterùm is ſcrupulus facilè depellitur. Primò: Inæqualitas illa ſtatuum non oberat, quominùs Angeli obſequerentur, & tanquam miniſtri deſervirent Virgini Mariæ: ergo nec ipſis impedimento eſſe poterat, vt Virginem adorarent. Secundò: Virgo Maria viatrix erat, quando ad eam miſsit Deus Archangelum Gabrielem; qui nihilominùs, nedum ſalutatione, ſed etiam adoratione illam honoravit: vtì apertè docet Angelicus Thomas, adnotans, ante Virginis adventum nuſquam Angelum homini reverentiam exhibuiſſe, propter exceſſum, quo Angeli hominibus præeminebant; contrà verò rē ſe habuiſſe, propter oppoſitam rationem, illuceſcente Virgine; atque adeò in Perſona cœleſtis nuntij hæc ſubiungit. (p) *Ideò exhibeo tibi* (Mariæ) *reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiæ.*

(p) *Opuſc. 8. ſuper ſalutat. Angeli.*

60 Tertiò: Quamvis ob circunſtantiam ſtatus Angeli excederent Virginem, Virgo Angelis præeminebat, tùm titulo Perſonæ electæ ad maternitatis munus, tùm titulo Reginæ & Dominæ, & tandem titulo gratiæ ſanctificantis longè intenſioris, & ſuperioris Angelorum gratia: & horum omnium ratione digna abſolutè evaſerat, quæ ab Angelis adoraretur; atque idcircò cōſopitur exceſſus in Angelis propter beatitudinis ſtatum elucens, quatenus adoratio-

nem retardare poterat. Denique: Virgo nec viatricis nec comprehenſoris nomina ſuſceperat à principio creationis, aut beatitudinis Angelorum, quemadmodùm neque humanitas Chriſti; attamen vtramque tunc ab Angelis adoratam, evici ſupra.

61 Dices ſecundò: Virgo Maria à Nativitate ſua nondum aſſecuta fuerat iura Dominæ, & Reginæ Angelorum: ſiquidem illa Maternitati ſubnitebantur, ac proinde priuſquam Verbum Incarnaretur, Angeli externis honoris officijs non adorarunt Sanctiſsimam Virginē. Id quod etiam docere videtur Sanctus Thomas (q) aiens. *Quod autem Angelus faceret homini reverentiam, nunquam fuit auditum, niſi poſtquam ſalutavit Beatam Virginem dicens, Ave, &c.*

(q) *Vbi proximè.*

62 Sed neque huiuſmodi ſubtilitate enervatur ratio concluſionis traditæ. Primò: quia imperium & dominium Marianum in Angelos, reliquaſque creaturas, cum primordiis Virginis eluxiſſe, defenſat (r) Illuſtriſsimus Salazarius, & Ioſephus Pintre, (s) anteaque nō obſcurè dixerat S. Petrus Chryſologus (t) exponens, & illuſtrans ea Evangelij verba, *Ne timeas Maria. Antè*, inquit, *cauſa dignitatis Virginis annunciatur ex nomine: nam Maria Hebræo ſermone, latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris genitricem trepidatio deſerat ſervitutis, QVAM NASCI, ET VOCARI DOMINAM, ipſa ſui germinis fecit, & impetravit authoritas.* Chryſologus ergo, qui Regnum Mariæ ex Maternitate etiam aucupatur, putat huius imperij initia ab ipſius Mariæ Nativitate iam repetenda, inquiens: *QVAM NASCI, ET VOCARI DOMINAM, &c.* Et rationem iiſdem complectitur verbis, nimirum; futuri germinis authoritas, & maieſtas tanta erat, vt Parenti ſuæ regnandi facultatem, etſi iure & intuitu futuræ Maternitatis conceſſam, non modò in Incarnatione Verbi, ſed iam olim etiam ab ortus eiuſdem Parentis articulo dederat.

(r) *De Cōcept. Virg. cap.* 5.

(s) *Diſp. append. de Imperio Mariano.*

(t) *Serm.* 142. *de Virg. Annunciat.*

63 Non ſecus ac multa alia Virginis inſignia, quamvis iure & intuitu Maternitatis impertita, exercitam Maternitatem non expectarunt, ſed præcucurrere, veluti tantæ celſitudinis præludia, vt ita Sanctiſsimæ Mariæ, priuſquam Chriſti Mater reipsà eſſet, futuræ veluti Matri debita honoris officia, eaque permagna, impenderentur: quod pulchrè indicavit (u) præfatus Chryſologus, ideò ſubijciens, *Maria Mater vocatur, & quando non Maria Mater?* Et iterum. *Quomodo non ante conceptum Mater, quæ pòſt partum Virgo? Aut genitrix quando non, quæ ſæculorum generavit Authorem?*

(u) *Serm.* 146.

64 Secundò: Iuxta Fulbertum Carnotenſem, (x) *Virgo hæc* dig-

(x) *Orat.* 1. *de ortu Virgin.*

Digitized by Google

dignitate (Maternitatis) *veneravilis facta eſt ipſis quoque Angelorum ordinibus. Quod opere manifeſto declaravit ille magnus, atque fortis Archangelus Gabriel, qui eam, antequam Mater Dei fieret, quia futuram noverat, tanta veneratione ſalutando prævenit.* Perpende ea verba, *quia futurã noverat*, quibus denotatur, Beatiſsimã Virginem, priuſquã Matris Chriſti officia exhiberet, quia talis futura erat, ipſis Angelis reverendam fuiſſe, & venerandam; ſeu, quod idem valet, dignam effectam, quæ ab illis adoraretur. Huiuſce autem honoris ſigna, atque teſtimonia Angelos Virgini impendiſſe, cùm ipſa publicam naſcendo aſpexit lucem, congruum admodùm cenſeri ſuprà explicui; & ſic reverà accidiſſe innuit (y) idem Fulbertus, pro ſe Fidelium communem conſenſionem advocans. *Nulli*, inquit, *Fidelium dubium eſt, quod circa eam* (Virginẽ) *iam tunc* (à primordiis ipſius) *omnis frequentia cæleſtium agminum invigilabat, vtpotè, quam ſupra ſe exaltandam minimè ambigebant.*

(y) *Orat. 3. de ortu Virginis.*

65 Vnde cùm nonnemo ſenſerit, Virginem Mariam ab ortu ad Incarnationem Verbi non niſi vnum aliquem è minoribus Angelis habuiſſe cuſtodem, quia tunc vt perſona privata æſtimabatur; poſtea verò, cùm Chriſtum concepit, quia vt perſona publica ſpectabatur, mater nempè Dei, accepiſſe ſublimiorem Angelum, qui ſe ſubduxerit, & priori locum ceſſerit, poſt Chriſti mortem, iam conſummata humanæ ſalutis negotiatione: hæc, inquam, nonnemine affirmante; graviter contemnit Pater Theophilus Raynaudus ſubiiciens. (z) *Deipara in conſpectu Dei ſemper fuit Perſona publica, & dignitatis præcellentiſſimæ.* Quod quidem verum etiam eſt, ſi ad Angelorum conſpectum amplietur; quippè qui à principio Virginem noverant electam à Deo ad Maternitatem, cuius ratione ante, & poſt ipſam eidem Virgini contulit Deus ſuperna dona valdè præcellentia iis, quæ Angelis eſt elargitus; quamobrèm & quia ideò ſupra ipſorum choros in cæleſtibus exaltandam Deiparam non *ambigebant*, vt dixit Fulbertus; nihilo cæleſtes illæ Mentes detinebantur, quominùs enaſcentem illam externo cultu adoraverint.

(z) *Vbi ſuprà p. 1. punct. 2. num. 4.*

66 Denique. Prophetæ, & Antiqui PP. Virginem prænoſcentes futuram Chriſti Matrem, vel eminus adoratione ſalutarunt: quod & Sancti Angeli in via præſtiterunt, atque à principio ſuæ beatitudinis expreſsiùs, & perfectiùs; quemadmodùm in præcedentibus dixi: quantò ergo potiori iure id iteraſſe beatas illas

Men-

Mentes credendum, erata Virgine eadem, quanquam non adhuc Matre Chriſti exercitè, vt ita loquar, ſed tamen futura, & pleriſque iam gratiæ titulis Angelorum dignitatem prætergreſſa? Nec huic repugnat cogitationi Sanctus Thomas, qui adducto loco num. 59. duntaxat aſtruere ſtudet, id ante Incarnationem *nunquam auditum* in Scriptura Sacra, ex cuius verbis deducit, Gabrielem ad Virginem miſſum eam adoraſſe; contrà verò ex eadem Scriptura conſtare, homines antea multoties Angelos adoraſſe. Quæ quidem doctrina minimè adverſatur propoſitioni Venerab. Abbatiſſæ.

67 His iam accuratè exagitatis ſupereſt tantummodo, vt Cenſorum ſtudium, & diligentiam, per antiphraſim commendem: parvipendunt enim præfatas pias, probatiſsimaſque de Sanctiſsima Virgine ſententias, & euſquè contemnunt, vt famoſis conſcriptis Cenſuris, omnium vbique auribus ingeſtis, & oculis, decolorent: quod quantas ſibi promereatur laudes, Prudentes dijudicent, dùm ego Petri Damiani (*a*) verba accommodo. *Obmuteſcat ergo* (ait Sanctus Pater) *plectenda verſutia* Cenſorum, *quæ ſcilicet hoc damnat* in Venerab. Abbatiſſa, *quod prædicare debuerat, illi crimen imponere nititur, quæ pro benè dictis gloriæ titulum promeretur.*

(*a*) *In diſceptat. Synodali pro pe initiū.*

§. IV.

DOCTRINA VENERAB. ABBATISSÆ QVOAD locum, in quo tradit Virginem ab Angelis adoratam, non eſt temeritatis, aut alius qualitatis Cenſura digna.

68 ADverſus Venerab. Abbatiſſæ doctrinam, quatenus tradit Sanctiſsimam Virginem aduſque Altiſsimi Thronum evectam, ibique ab Angelis honoratam, & adoratam, facit: hanc loquendi normam innuere, Virginem æquali cum Deo fruitam celſitudine; præſertim cùm ſediſſe in Altiſsimi Throno ad dexteram Filij dicatur à Venerab. Authore num. 332. Quoniam ad ſignificandum Divinum Filium æqualem cum Patre evadere, dicimus illum ſedere ad dexteram Patris: qua de re fusè & doctè diſſerunt (*a*) Cornelius à Lapide, & Pater Soarius. (*b*) Vnde Pater Theophilus Raynaudus (*c*) de iſtiuſmodi loquens encomiis, Virgini à nonnullis

(*a*) *In Epiſt ad Coloſſ. cap. 3. & ad Hebræos cap. 1.*
(*b*) *Tom. 2. in 3. p. diſp 15. ſect. 3.*
(*c*) *In Diptychis Ma-*

nullis affictis, hanc ſubiungit Cenſuram. *Quod Thronus Deiparæ æquet thronum Chriſti, & quòd Deipara dicatur ſedere in ipſomet Throno Dei, auxeſes ſunt, quæ nos propinant ridendos Hæreticis, quia cùm Virgo ſit pura creatura, ferri non poteſt, vt æquetur Creatori, & ſymbolis gloriæ eam æqualitatem ferentibus honeſtetur. Inſanierunt Collyridiani Deiparam ſtatuentes Deam, parum verò aut nihil differunt ab inſanientibus circa eum titulum Deiparæ tributum, qui ei vendicant ipſum Dei Thronum.*

ria. p. 2. punct. 10. num. 34.

69 Vim obiectionis adauget, quòd Mariam (etiã poſt Aſſumptionem ſuam in cœlum) exaltatam aſſerere ad cœlum Trinitatis prorſus diſſonum eſt, atque contrà mentem Patrum, quos eruditè recenſet *(d)* Pater Gabriel de Henao: illudq; cùm Caſſanæus vt ſuaderet, *(e)* nonnulla corrogaſſet, quamvis tandem addiderit: *Hæc dico ſolùm pro quadam inveſtigatione, non tamen iſtud aſſero, ſed me remitto ad Dominos Theologos:* adhuc, quòd ita tentaverit, reprehenditur ab eodem Henao, optimè nec ſine ſale ſubijciente. *Fælices eſſent artes, ſi de illis ſoli artifices iudicarent.* Atqui, idipſum docet, qui aſſerit, Mariam exaltatam, & evectam aduſque Altiſsimi Thronum: ergo pariter reijciendus eſt, & idcircò Venerab. Antiſtæ doctrina hac in parte iurè accuſatur.

(d) In Empyrolog. exercitat. 19. nu. 75.

(e) P. 12. Cathalogi gloriæ mũdi. Conſiderat. 5.

70 At hæc fallacia omninò ſunt, nec Venerab. Authoris ſenſum attingunt: quoniam repræſentare Mariam Throno altiſsimi cum Altiſsimo eodem inſidentem, aut eundem cum Altiſsimo Thronum occupantem; nihil involuit, quod Cenſuram Theologicam promereatur, vel probatas, atque inoffenſo pede currentes loquendi regulas non redoleat. In Apocalipſi (*f*) promittit Dominus vincenti æternæ gloriæ præmium, per ſeſsionem cum illo in eodem Throno repræſentatum. *Qui vicerit,* inquit, *dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Quo ſymbolo denotatur minimè, hominem vitia, & perſequutiones maſculè devincentem adæquaturum in gloria Dei celſitudinem, & maieſtatem; ſed duntaxat ſignificatur magnitudo præmij victoribus pollicitum; atque eximius Dei amor, qui illos ob partas in hoc mũdo victorias, in æterna vita ſecũ regnare facit, tanquam ſui Regni comparticipes, & veluti conſidentes ſecum in Throno ſuo: vtì benè exponit Pater Ioannes de Sylveira è re noſtra valde opportunè (*g*) adijciens. *Quod lucem accipit ex D.* * *Epiphanio in Aſſumpt. Mariæ.* Creditur (*ait*) quod Salvator omnium, ipſe, quantum videtur intelligi, per ſe totus feſtivus occurrit

(f) Cap. 3. num. 21.

(g) Super eundẽ loc. quæſt. 57. nu. 507.

*Ex credito Sophronio apud Hieron. tom. vlt. Epiſt. 10.

&

& cum gaudio eam ſecum in throno collocavit: *Vt ſuum eximium amorem erga Matrem denotaret.*

71 Beata Oringa, quæ aliàs Chriſtiana nominatur, & in Etruria è vivis exceſsit, virtutibus & miraculis illuſtriſsima, aliquando per extaſim in cœlum abducta, vt in eius actis (h) refertur; *vidit glorioſam Virginem Deiparam in vno cum Filio throno conſidere:* ipſaque Beata Oringa cum beatis cœli Civibus Chriſtum ac Chriſti Matrem ita conſidentes *adorabat.*

72 Magnus Gregorius (i) ait. *Maria meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros, vſque ad ſolium Deitatis erexit.* Pende poſtrema verba.

73 S. Anſelmus. (k) *Stipatus itaque mille millibus, imò innumerabilibus Angelorum agminibus, Deus ipſe huic piiſſimæ Matri ſuæ, de hoc mundo migranti, occurrit, eamque ſuper omnes cœlos exaltatam, cunctæ ſecum creaturæ perenni iure dominaturam in throno gloriæ collocavit.* Nimirùm, Deus ſecum in Throno gloriæ, ſeu in eodem Throno, glorioſam Mariam collocavit.

74 S. Bernardus (l) de eadem Virginis Aſſumptione diſſerens. *Nec in terris locus eſt dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria ſuſcepit, nec in cœlis regali ſolio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius ſublimavit.* Ergo cùm in cœlis dignior locus ſit Altiſsimi Thronus, ſeu imperiale ſolium, ibidem requieſcit Sanctiſsima Maria. Haud diſsimiliter alij loquuntur Patres, quos addenſare nimium eſſet.

75 Alterius claſsis nonnulli Doctores apud Pelbartum (m) diſertis terminis docuerunt, quod Beata Maria *in eodem throno glorioſiſſimo cum Domino Ieſu eſt ad dexteram*: in cuius ſuaſionem idem Author hæc veluti Auguſtini verba refert. *Tibi Domina dignè thronus Regis gloriæ debetur.* Sed vbinam Sanctus Doctor ita loquatur, neſcio, & forſan is textus eandem ſubit fortunam ac alius, qui eiuſdem Doctoris nomine circunfertur, ſed diligenter à Theophilo Raynaudo (n) conquiſitus in operibus tùm certis, tùm ſuppoſitis, & apochryphis, nondum comparuit, & huiuſmodi habet. *Angelicam tranſiens dignitatem, vſque ad ſummi Regis thronum es ſublimata; vbi poſuit idem Rex Filius tuus, quod ex te ſuſcepit, ibi te poſuit Reginam, de qua illud ſumpſit: neque enim fas eſt alibi te eſſe, quàm vbi eſt id, quod à te genitum eſt.*

76 Recentior Scriptor Pater Vincentius Contenſonus hæc, quæ nullatenus contemnit, conſcripſit, de Virginis gloria (o) per-

(h) *Sylvanus Razzi in vita Italicè conſcripta, & latinè reddita à Bollando die* 10. *Ianuarij.*

(i) *In cap.* 1. *lib.* 1. *Reg.*

(k) *De excellent. Virgin. cap.* 8.

(l) *Ser.* 1.

(m) *In Stellario Lib.* 10. *p.* 2. *art.* 1. *cap.* 3.

(n) *Vbi ſuprà nu.* 32.

(o) *In Mariolog. diſſertat.* 6. *cap.* 1. *Specul.* 3.

tra-

Digitized by Google

tractans. *Opinantur multi Doctores, Mariam ſpecialem occupare locum, ſed quia non eſt bonum hominem eſſe ſolum; ideò cæleſtis Salomon ſedit ſuper Thronum ſuum, & ex æquo poſitus eſt Thronus Matris Regis, quæ ſedit ad dexteram eius.* Quæ verba perinde ad præſens inſtitutum ſe habent, ac ſi pro Filio, & Matre idem deſignaretur Thronus: quoniam vtrumque eadem ratione impugnat propoſitum argumentum num. 68.

77 Vnde ſæpiſsime Patres, quos alij DD. imitantur, glorioſam Virginis Mariæ ſedem, & manſionem deſcribunt, alluſione facta ad honorem Bethſabeæ delatum à Filio ſuo Salomone, vtî indicatur num. antecedenti, & in Sacro textu Regum (*p*) depinxit Spiritus Sanctus Magiſter veritatis hiſce verbis. *Venit ergo Bethſabee ad Regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia; & ſurrexit Rex in occurſum eius, adoravitque eam, & ſedit ſuper Thronum ſuum: poſituſque eſt Thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius.* In idemque poſt S. Athanaſium interdum inflectitur Regij Prophetæ (*q*) verſus, *Aſtitit Regina à dextris tuis*, cuius peracutam, atque obſervandam expoſitionem infrà obijciam ex Sancto Thoma, *aſtare* inter & *ſedere*, diſtinguente.

(*p*) 3. *Reg.* 2. *v.* 19.

(*q*) *Pſalm.* 44. *v.* 10.

78 Quamvis autem hinc deducatur non individuum, ſed diverſum aſtrui Thronum pro Virgine Maria, & Altiſsimo Filio eius; nihil ideò cum præcedentibus doctrinis pugnans reverà invehitur: quia nonnunquam Thronus accipitur pro manſione, & peculiari perhonorifica ſede regalis aulæ cœleſtis: quo pacto Ioannes refert in Apocalipſi, (*r*) ſe vidiſſe ſedem in cœlo poſitam, & quendam ſedentem ſupra ſedem, quæ quidem poſtea (*s*) Thronus ſæpè nũcupatur; & vidiſſe quoque (*t*) in circuitu huiuſce ſedis vigintiquatuor ſedilia, quæ ſtatim Throni appellantur, videlicet: *Et ſuper Thronos vigintiquatuor Seniores ſedentes*: in quo ſenſu diverſus reſpondet Thronus Virgini Mariæ à Throno Chriſti Domini eius Filij; ſive vt homo conſideretur, quomodo in cœlo determinatæ ſtationi alligatur; ſive contempletur vt Deus, quomodo, tametſi reipsà incircumſcriptus, nobis, per ſpecies rerum corporearum inſenſibilia percipientibus, repreſentatur veluti ſupremam omnium ſedem aliquam ſpecialiter occupans.

(*r*) *Cap.* 4. *v.* 2.

(*s*) *V.* 5. 9. & *alijs.*

(*t*) *V.* 4.

79 Nonnunquam verò Thronus vſurpatur pro cœleſti Empyrei aula, quæ deſignata ex officio eſt, vt ſit Civitas Beatorum; & in qua Deus facie ad faciem à Beatis intueatur: atque hæc dicitur Divinitatis Thronus, ſimulque Beatarum mentium, multiplicem

eo ordine continens ſtationem, vt Chriſti Humanitas potiorem reliquis creaturarum locis poſsideat, & Chriſtipara pariter ſublimiorem omnibus, excepta Chriſti ſtatione, occupet; & in hoc ſenſu nihil mirum ſi dicatur, Virginem Mariam exaltatam ad Thronum Altiſsimi, cùm & de quolibet Beato idipſum prædicetur.

80 Quæ doctrina de poſteriore Throni acceptione facilè cõprobatur. Quoniam Ioannes, loquens in Perſona Dei, ſcripſit. *Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in Throno meo.* Id eſt, ad literam exponente Andræa Cæſarienſi, & approbante (u) Cornelio à Lapide, *Faciam illum participem regni mei cæleſtis, in quo Beatis eſt æterna lux, requies perfecta, gaudium inenarrabile, & gloria ſempiterna.* In hoc tamen *VNIVERSALI THRONO, ET REGNO*, addit explicatiſsimè Cornelius, *variæ pro meritis ſunt SEDES, ET ALTITVDINES.*

(u) *In eundem locũ.*

81 Similiter Daniel (x) per templum ſanctum gloriæ Dei, & Thronum Regni eius, intelligit cœlum, perinde ac David, (y) qui ait. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius*, & alibi paſsim cœlum appellat ſedem, & habitaculum Domini: *quia videlicet*, vt ſcitè advertit Lorinus, (z) *ibi ſuam gloriam Deus manifeſtat, ibi Beatos habitare vult.* Neque, vt benè admonet S. Cyrillus Alexandrinus, (a) quanquam in cœlo Deus habitare dicatur, quidquam corporale eſt intelligendum in eo: nam incorporeus eſt, loco incircunſcriptus, & omnia pervadens: *quia autem cum ſupremis ſpiritibus, tanquam ſanctis, ſuprà quieſcit, hinc dicimus, ſolium & domum eius eſſe cœlum.* Iuxta quem ſenſum ſæpenumerò alij PP. loquuntur.

(x) *Cap. 3. v. 53. & 54.*
(y) *Pſal. 10*
(z) *In act. Apoſt cap. 7. v. 49.*
(a) *In cap. 63. Iſaiæ.*

82 Quantùm verò Abbatiſſa Venerab. conſonet huic loquendi regulæ, nec ab ipſa aberret, compertum fit adeundo tertiæ partis Myſticæ Civitatis caput 22. vbi de gloria Virginis poſt Aſſumptionem in cœlum diſſerens, adnotat num. 775. *Dixi, Mariam Sanctiſſimam repoſitam fuiſſe in ſupremis loco, & ſtatione, in Throno Beatiſſimæ Trinitatis, & ſæpè vtor illo verbo* (*Thronus* nempè) *ad referanda myſteria adeò eximia* (gloriam ſcilicet cœleſtem) *ſicuti & PP. atque Scriptura eandem vſurpant vocem. Et quamvis ideò opus iam non eſſet adnotatione alia, nihilominus pro hebetis ingenij hominibus dico, &c.* Idipſum animadvertit, quod ex S. Cyrillo prædixi, & poſtea proſequitur ſic. *Sancti non vident Divinitatem oculis corporis, ſed animæ, at quia ipſam intuentur in aliquo determinato loco, vt id modo noſtro terreno, & corporali, explicemus, dicimus*

Deum

Deum in ſuo Eſſe regali Throno, vbi Beatiſſima Trinitas ſedem habet: quamvis in ſe ipſo ſua potiatur gloria, eamque Sanctis communicet. Nec nego Humanitatem Chriſti, eiuſque Sanctiſſimam Matrem poſſidere in cœlo eminentiorem locum reliquorum loco Sanctorũ, quos inter (quippè poſt diem iudicij in cœleſti ſede corpore, & anima moraturos) ſuus vigebit ordo maioris, aut minoris propinquitatis cum Chriſto Domino, atque cum Regina; cæterùm quomodo id continget, huius non eſt loci explanare.

83 Et num. ſequenti pro accuratiore materiæ declaratione ſubdit. *Vocamus Thronum Divinitatis locum, vbi ſe ſanctis manifeſtat, tanquam principalis gloriæ cauſa, & veluti Deus æternus.... Rex, Iudex, & Dominus omnium.* Poſtmodùm verò declarat, quomodo huiuſcemodi dignitas Domini, & Iudicis competat Chriſto Domino, tùm per eſſentiam quatenus Deo, & per vnionem Hypoſtaticam quatenus Homini; atque tanquam Iudicem, & Dominum cœlo aſsidere optimè docet, ſubiungens de Virgine Matre. *Poſt Chriſtum Salvatorem Sanctiſſima Maria hanc participat excellentiam, inferiore tamen modo, quàm Filius ſuus, eoque proportionato puræ creaturæ, Deo homini immediata; & aſtat ſemper à dextris Filij ſui tanquam Regina, & Domina omnium creaturarum; ita vt cunctæ aliæ creaturæ, quæ dominio Filij ſubiacent, & Matris dominio ſubiaceant, quanquam aliter, & aliter.* Atque, vt omnem ambigendi locum evertam, non ſilebo explicatiſsima, quæ dedit, verba 2. p. Myſticæ ſuæ Civitatis num. 100. loquens de Virgine paulò ante Chriſti Conceptionem. *Corpore,* inquit, *& anima evecta fuit miniſterio Angelorum ad Empyreum, & ante Altiſſimi Thronum præſentata: cui Altiſſimus ipſe, à latere ſuo eam colocans, demonſtravit ſtationem eximiam, in æterna beatitudine ab illa poſſidendam, nempè, excepta quæ ſervabatur Humanitati Chriſti Domini, Deo immediatiorem, & magnopere altiorem omnibus, quæ cæteris creaturis deſignaverat idem Dominus.*

§. V.

OBIECTA DILVVNTVR, ET ALIVS CENSVRÆ ſenſus proſligatùr.

84 HEc, quæ occaſione præſentis controverſiæ, non importunè ſubnexui de gloria Virginis poſt Aſſumptionem, at-

que de aliorum Beatorum gloria, ex mente Patrum, ac Venerab. Abbatiſſæ, pervié oſtendunt, obiecta argumenta nulla eſſe, & procedere in ſenſu longè diverſo ab eo, quem immitit doctrina Venerab. Authoris; id quod evidentiùs apparebit; ſi exſcribam nonnulla ex his, quæ docet num. 332. vbi depingit Virginis recèns natæ raptum, quode loquimur in Altiſsimi Thronum; ait itaque: *Puella Maria manibus Angelorum in Empyreum deportata, & affecta proſtrata ante regalem Altiſsimi Thronum; ibi côntigit iuxta noſtrum concipiendi modum veritas antè præfigurata, quando ingreſſa Bethſabeta coram Filio ſuo Salomone.... à latere ipſius ſedit vtì Regina.* Et allegoriam expendens oppidò ſubijcit. *Idipſum, ſed glorioſiùs, & mirabiliùs geſſit cum infantula Maria Æternum Verbum, quod illam ſibi in Matrem praelegerat, eam in ſuum adſcribens Thronum, atque ipſi à latere ſuo conferens poſſeſſionem Reginæ omnium creaturarum, &c.* Ac tandem docet, quod tunc manifeſtata eſt eidem Virgini Divinitas *clarè, & intuitivè.*

85 Pende cautionem illam, *iuxta noſtrum concipiendi modum*, qua evacuaretur difficultas, ſi aliqua eſſet in notata Venerab. Antiſtæ propoſitione. Pende quoque allūſionem factam ad elevationem Bethſabetæ: qua crebro vtuntur PP. & DD. ad Virginis gloriam, & cœleſtem Thronum deſcribendum: vt indicatur num. 77. & 78. Demum: Virgo Maria continuò poſt ortum ſuum optimè dicitur exaltata ad Altiſsimi Thronum, quippè ad Divinam intuendam celſitudinem; vt poſtrema afferunt verba, tunc rapta fuit in Empyreum; quod, quia intuentium Deum ſedes eſt, aliaque propter, Thronus Dei frequenter appellatur; iuxta dicta num. 80. 81. & 82. ſicque cùm Thronus gloriæ iurè nuncupetur Thronus Altiſsimi, vt dedi etiam ex Venerab. Antiſtita num. 84. quid mirum, ſi Virgo Maria dicatur ad Thronum Altiſsimi evecta, quæ dicitur in cœlum tranſlata, vt divinitatis gloriam revelata facie tranſeunter conſpiceret?

86 Quam quidem probatiſsimam loquendi regulam non inficiatur Theophilus Raynaudus relatus num. 68. quinimo nonnullos PP. qui eundem viſi ſunt adſcribere Thronū gloriæ Chriſto, & eius Matri, ita exponit, (a) vt omnis errandi occaſio arceatur. *Inſinuare duntaxat volunt, eminentiam gloriæ repenſæ à Chriſto tantæ Matri, ſupra gloriam & eſſentialem, & accidentariam omnium purarum creaturarum, alluſione facta ad honorem Matri Bethſabetæ delatum à Salomone 3. Reg. 2.* Quod omninò quadrat Venerab. Authoris tex-

(a) *Vbi ſuprà.*

textui eandem obſervanti alluſionem. Vnde prædictus Author eos ſolum Authores ſuggillat, qui, alioqui diſparem Thronorum magnitudinem aſſumentes ad exponendam celſitudinem, eamque inæqualem, gloriæ Beatorum, cùm ad Virginem perveniunt, eandem ipſi cum Chriſto ſedem, æqualemve Thronum concedunt: quod quidem iuſtiſsimè reprehenditur, quippè abſurdiſsimam gloriæ Chriſti, & Mariæ æqualitatem inducens, & improvidam continens hyperbolem, vt ipſe benè ait, ex pietatis non ſecundum ſcientiam abundantia exorientem: quamobrèm & mihi vehementer diſplicet, quod ex Contenſono, quanquam tantum referente, tranſcripſi num. 76. de Throno Deiparæ Chriſti Thronum æquante.

87 Neque augmentum difficultatis num. 69. propoſitum vrget: nam cœlum Trinitatis, iuxta vulgatiſsimam Patrum & Doctorum, quos eruditè congeſsit Henaus, (b) vſurpationem, ſignificat divinam immenſitatem, atque celſitudinem per eſſentiam; & & cùm nominibus vtendum ſit, vt vtuntur plures, ijque ſapientiores, nemini fas eſt pro libito ſuo aliam cudere ſignificationem, præſertim errori in re adeò gravi anſam ſubminiſtrantem: cuius oppoſitum contingit, vtî iam expendi, in acceptione harum vocum, *Thronus Altiſſimi, Thronus Dei*, & ſimilium. Quamvis non dubitarim ſua adhibita cautione ſuſtineri poſſe, quòd Sanctiſsima Maria (idem eſtò iudicium de quavis alia Beata mente) dicatur evecta ad cœlum Trinitatis; nempè, quatenus exaltata fuit ad Empyreum, quod ſpeciali iure Trinitatis cœlum dicitur, quia inibi à purgatiſsimis mentibus facie ad faciem intuetur; ita quòd Empyreum ipſum cœlum ea potiſsimùm de cauſa à Deo creatum fuerit, vt habitaculum ſit Beatorum in perpetua fruitione gloriæ Dei conquieſcentium. Quemadmodùm cœlum, ſic abſolutè dictum, ſingulari quodam modo nuncupatur ſedes, domus, & habitaculum Dei, iuxta tradita præſertim num. 82. omninò relegendo.

(b) *Vbi ſuprà.*

88 Ex his duo elicio. Primùm, trahendum in proximè adductum ſenſum Petrum Damiani, vtî & ipſe in illum ſatis ſe inſinuat, dùm glorioſam Deiparæ Aſſumptionem verſans (c) docet, eandem Deiparam in cœlo Trinitatis eſſe collocatam: quoniam reverà ſolum cõtendit, ſuperare in beatitudine reliquas creaturas, & tantummodo à Deo, Deoque Homine, vinci. Deinde, Venerab. Authorem ſummis ſpatijs abeſſe à præfatis expugnatis cogitationibus: quoniam etſi Virginis gloriam, & magnitudinem magnopere extollat, id præſtat ſalvo ſemper Chriſti exceſſu; & nec ſymbolis

(c) *Serm. de Aſſump. Virg.*

æqua-

æqualitatem ferentibus vtitur; imò, vt omnem huiuſmodi æquiparantiæ ſuſpicionem à ſuis ſcriptis amandaret, in fine illorum monet, quæ repræſentavi num. 83. & 84. ſcitè animadvertens, ſe in acceptione harum vocum *Thronus Dei*, morem Scripturæ, & Patrum retinere, & Chriſtiparam, ſuper omnes alias creaturas in cœlo exultantem, infra Chriſtum locandam eſſe.

89 Nullo iam negotio diſſolvitur argumentum num. 68. inceptum. Nego Venerab. Abbatiſſam inducere Virginem vt ſedentem ad dexteram Filij Dei, ſed vt à dextera ipſius aſtantem, conſonè ad Davidis verba. *Aſtitit Regina à dextris tuis.* Tùm quia poſſeſsio, de qua mentio fit num. illo 332. prout dedi num. 85. non ſignificat poſsidentis ſeſsionem, &, tametſi ethymologiam ſcrutemur, à pedum poſitione, dicitur ex l. 1. ff. *de acquirenda poſſeſſione.* Tùm quia num. 333. non ſedente, ſed *aſtante*, conſultò ait, *Regina à dextera Domini, ſui futuri Filij.* Id quod etiam obſervat 3. p. ſui operis loco memorato num. 84. & quidem optimè: nam ex Sancto Thoma. (d) *Quamvis Beata Virgo ſit ſuper omnes Angelos exaltata, non eſt tamen exaltata vſque ad æqualitatem Dei, vel vnionem in Perſona; & ideò non dicitur ſedere ad dexteram, ſed aſtare à dextris, in quantum honor Filij aliquomodò participativè, non plenariè, redundat in ipſam, in quantum Mater Dei dicitur, ſed non Deus.*

(d) *In 3. diſt. 22. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 3. ad 3.*

90 Addiderim: ſuo modo ſuſtineri etiam poſſe hanc propoſitionem: *Beata Virgo Maria ſedet ad dexteram Chriſti Filij ſui*: eam enim abſque nota frequenter vſurpant permulti nec ignobiles Doctores, propter multiplicem huius complexi, *ſedere ad dexteram*, ſignificationem, quam, prout ad præſens refert, detego Angelico Magiſtro prælucente. *Chriſtus*, inquit (e) Sanctus Thomas, *ſecundum quod Deus, ſedet ad dexteram Patris, id eſt, in æqualitate Patris.* En vnam ſignificationem. Accipe aliam. *Secundum autem quod homo* (reduplicatione cadente ſupra humanitatem; nam ſi ly *ſecundum quod homo*, vt advertit Sanctus Doctor, *deſignat vnitatem ſuppoſiti, ſic etiam ſecundum quod Homo ſedet ad dexteram Patris ſecundum æqualitatem honoris*) *ſedet ad dexteram Patris, id eſt, in bonis Paternis potioribus præ cæteris creaturis; id eſt, in maiori beatitudine, & habens iudiciariam poteſtatem.* Habes alteram ſignificationem, excelſam prædicantem Chriſti humanitatem ſupra reliquas creaturas, ſed infra æqualitatem cum Deo: ergo & dici poteſt, *Virginem Mariam ſedere ad dexteram Chriſti*, id ſolum ſignifican-

(e) *3. p. q. 58. art. 3. in corp.*

Digitized by Google

ficando, quod Maria excelſa eſt ſupra cunctas alias creaturas, ei,l infra æqualitatem cum Chriſto, ſive vt Deo, ſive vt homine; ſi e ſpectetur ipſius divinitas, ſive humanitas.

91 Idipſum confirmat alius S. Thomæ textus: cùm enim ſibi oppoſuiſſet Chriſti verba Matth. 20. *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram,&c.* ad ſuadendum non eſſe proprium Chriſti ſedere ad dexteram Patris: reſpondit (*f*) hoc pacto. *Poteſt dici, quòd petebant*, à Chriſto, *Filij Zebedei, excellentiam habere præ alijs in participando iudiciariam poteſtatem eius: vnde non petebant quòd ſederent ad dexteram, vel ſiniſtram Patris, ſed ad dexteram vel ſiniſtram Chriſti.* Quibus tacitè innuit D. Thomas, ſedere ad dexteram Patris excellentiam eſſe diſſonam puræ creaturæ; conſentaneam vero ſedere ad dexteram, vel ſiniſtram Chriſti; atque ad id ſatis eſſe celſitudinem participare, de qua ibidem loquitur. Ergo & de Virgine Matre, reliquis ſanè creaturis excelſiore, & Chriſto proximiore, impunè affirmare licebit, ſedere ad dexteram Chriſti.

(*f*) *Supra art.* 4. *ad vltim.*

92 Quod abundantiorem accipit lucem, & explicationem ex Magno Soario, qui rogans, (*g*) an ſedere ad dexteram Dei ſit proprium Chriſti, vel conveniat etiam alijs Beatis? Ait: *non eſſe dubium, quin ſub aliqua ratione ſit hoc proprium Chriſti*; vt ex Scriptura, & Patribus conſtat. Pòſt verò (*h*) ſubiungit. *Certum nihilominùs eſt, & Scripturæ conſentaneum, ſecundum quandam participationem communicari Chriſti membris hanc ſeſſionem; alijs magis, alijs minùs pro dignitatum varietate.* Non aliter, vt reor, ac loquutus eſt D. Auguſtinus, (*i*) de cœleſtibus ſcribens, eiſque inæqualibus, gloriæ manſionibus. *Etſi alius*, inquit, *eſt alio fortior, alius alio ſapientior, alius alio iuſtior, alius alio ſanctior, in domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi manſionem pro ſuo quiſque accepturus eſt meritò.*

(*g*) *Supra ver. Sexto ex ijs.*

(*h*) *Ibid. ver. At verò.*

(*i*) *Tract. 67. in Ioan.*

93 Liquet: *ſedere ad dexteram*, multifariam vſurpari, ſuas atque limitationes, & ampliationes pati: quod haud infrequenter evenit in ſymbolicis alloquijs, cuiuſmodi illud eſt: moneo tamen, vt iuxta exigentiam materiæ ea adhibeatur cura, qua prorſus via præcludatur & errori, & amphybologiæ: quemadmodùm Venerab. Antiſta, vel inde maximè laudanda, præſtitit: eſtò enim num. illo 332. doceat, in honore Bethſabetæ à Filio ſuo Salomone delato adumbratum iam, quem Virgini recens natæ, & in cœlum evocatæ, Filius ſuus futurus contulit; at tantum honorem minutatim

pin-

pingens, cautè à ſeſsione ad dexteram abſtinuit; ſupponens, *poſſeſſionem à latere* Filij accepiſſe; & num. *333. dexteræ* memor, conſultò non adiecit, *ſedente*, ſed *aſtante Regina*. Talibus verò cautionibus ibidem, & vbilibet de Virginis magnitudine loquitur, vt quanquam diſertis terminis protuliſſet, Virginem ſediſſe ad dexteram Verbi, trahi hoc aſſertum nequiret in ſuſpicionem ſignificatæ æqualitatis Verbiparæ cum Verbo.

94 Sed ne ſcrupuloſiùs, quàm par eſt, agere videar, ſentio: hoccine eloquium, *Virgo Maria ſedet in cœlo ad dexteram Filij ſui*, ex communi Catholicorum vſu eam ſecum tacitè afferre limitationem, quæ conſentanea eſt Virginis infra Chriſtum dignitati; niſi aliud à quoquam indiſcretè addatur, oppoſitum innuens. Sic deducitur ex indigitato Theologorum vſu num. *76.* & *90.* quorum addenſare verba prolixum foret, & ſatis iudico, ſi vnius Zumelij, qui tantumdem ac plurimi valet, comprobationem tranſcribam. Is itaque magnus Theologus de cœleſtibus Hierarchijs ediſſerens, (k) abſolutiſsimis hiſce terminis loquitur de Virginis in cœlo ſede. *Nec congruum erat, Matrem Regis Regum, Reginamque cœli, & terræ, niſi ad dexteram Filij ſui, qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ſedetque ad dexteram Patris, conſedere: Quod Rex Salomon obumbravit; cùm adepto regno ſolium fecit matri, eamque ſecum fecit conſedere: vnde Eccleſia canit: exaltata es Sancta Dei Genitrix ſuper Choros Angelorum ad cœleſtia regna. Cui conſentit illud Pſalm. Aſtitit Regina à dextris tuis.* Quod ſi huiuſmodi loquendi formulam conabatur infringere Raynaudus, exceſsit, nimio rigore correptus.

(k) Supra quæſt. 103 art. 8. quæſt ſua vnic. ver. Tertio ſupponendum eſt.

95 Reponent Cenſores: omnia hæc vera eſſe; ſe tamen non damnare propoſitionem Abbatiſſæ de Agreda, quia Virgo paulò poſt Nativitatem ſuam exaltata dicitur ad Altiſsimi Thronum, ex ſuppoſitione quod tunc in cœlum rapta fuerit; ſed ſuppoſitionem duntaxat temeritatis accuſare: quia illa necumde conſtat, nec firma vlla nititur ratione.

96 Veriſimile mihi eſt, in poſtremo hoc ſenſu verti totum Cenſorum conatum, ſed quidem irritum. Aut namque is exagitatur ſenſus, quia cœlum nulli adapertum eſt creaturæ, priuſquam in ipſum Chriſtus aſcenderit, & de hoc alibi. Aut ab hoc præſcindendo exagitatur: quia non eſt vnde probetur, atque liberè penitùs dicitur, tunc temporis Virginem huiuſcemodi raptu potitam: & id quidem ineptiſsimè adducitur cōtra Venerab. Antiſtam, pro

ſe

Digitized by Google

ſe divinam revelationem allegantem: quæ, vt ſæpè dixi, præcipuè in hac Diſſertat. num. 4. 8. & 14. ex obiecto in hoc, & ſimilibus eventibus, improbari nequit, niſi aliunde ſuppoſititiam eſſe, & à Dei magiſterio non oriundam, evincatur: atque adeò damnari vt temeraria non poteſt, quanquam id, quod enunciat, ratione inveſtigari nequeat: alioqui percommodum ſternitur iter ad divinas revelationes recuſandas, & convellendas, vtque error Deiſtarum, & Socinianorum longiùs, latiùſque ſerpat.

97 Quapropter, vt opportunè aiebat Sanctus Thomas (*l*) contra Philoſophos Gentiles diſputans: *Sicut maxima amentia eſſet idiota, qui ea, quæ à philoſopho proponuntur, falſa eſſe aſſereret, propter hoc quòd ea capere non poteſt: ita & multò ampliùs nimia ſtultitia eſſet homo, ſi ea, quæ divinitùs Angelorum miniſterio revelantur, falſa eſſe ſuſpicaretur, ex hoc quòd ratione inveſtigari nõ poſſunt.* Quem textum, tametſi ſatis pervium, commentario (*m*) illuſtrans Doctiſsimus Ferrarienſis ait. *Hìc Manichæi error exploditur, pluriumque Fidelium* (averſantium ſcilicet duro corde privatas, quæ ſibi referuntur, revelationes alijs factas; ſi enim publicas parvipenderent, non Fideles, ſed Infideles eſſent) *qui ſtatim tanquam falſa abijcienda putaverunt ea, quæ de Deo divinitus Angelorum miniſterio revelantur, & humana ratione inveſtigari non poſſunt.*

(*l*) *Lib. 1. cap. 3.*

(*m*) *Ibidẽ.*

§. VLTIMVS.

IVSTÆ IN CENSVRAM ANIMADVERSIOnes præſentantur.

98 HÆ *propoſitiones*, inquiunt Cenſores, *quatenùs dicunt, Sanctiſſimam Virginem adoratam ab Angelis, ſtatim vt ipſi creati ſunt, & ſtatim atque ipſa nata eſt, tùm etiam adoratam in Throno Altiſſimi: reſpectivè temerariæ ſunt, & falſæ.* Animadvertas velim primùm, proſcribere Cenſores ſeveriſsimos ſententiam de adoratione Virgini Deiparæ ab Angelis, continuò vt lucem aſpexere, impenſa, ſtante pro illa validiſsimo authoritatis, & rationum pondere §§. 1. & 2. recenſito: cui ſi addiderim alias Dialecticæ Marianæ regulas aliò memorandas, nihil, quod ad ſummum probabilitatis gradum requiratur, prætermiſſum erit. Quæ omnia abs dubio prætervolarunt Iudices hos, inde acriore animad-

Digitized by Google

verſione dignos: quamobrèm criminationes ſuas ea monitiuncula fas eſt propellere, qua olim Hieronymus (a) blaterones quoſdam ipſius ſcripta accuſantes, expugnabat. *Legant prius, & poſtea deſpiciant, ne videantur non ex iudicio, ſed ex odij præſumptione ignorata damnare.*

(a) Præfat. in Eſai. ad Paulã, & Euſtochiũ.

99 Quantum verò contrahant piaculum Doctores, qui eiuſmodi probabiles ſententias, atque hinc inde inter DD. Catholicos opinationes ſub controverſia pendentes, abſoluta profligant Cenſura, determinat benè concors Theologorum ſenſus, de qualitate propoſitionum damnabilium pertractantium, qui ſtatuunt, talis genij Cenſuras Cenſuram promereri. *Ideòque* (ait (b) Cardinalis Lugus) *meritò Eccleſia, & Pontifices eiuſmodi propoſitiones reflexas, & Cenſuras temerè prolatas, graviori nota inurere, & prohibere ſolent: quia offendunt Doctorum animos, & iurgia ac ſcandala inter Scholaſticos, & Magiſtros generare ſoleant.* Cuius offenſionis experimentum hæccine, quam diſcutio, cauſa non leviter comprobavit.

(b) De Fide diſp. 20. ſect. 3. nu. 105.

100 Quare Innocentius XI. in ſuo decreto, ſexaginta quinque propoſitiones confodiente, Chriſtianæ pacis confovendæ zelo, quo flagrabat, hæc adiecit. *Tandem vt ab iniurioſis contentionibus DD. ſeu Scholaſtici, aut alij quicunque, in poſterum ſe abſtineant, & vt paci, & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcepit, vt tàm in Libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus, caveant ab omni Cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque convicijs contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sancta Sede recognitæ ſuper eiſdem propoſitionibus iudicium proferatur.* Hæc ſanè Pariſienſes quoque attingunt, quippè nullo exéptionis privilegio potitos, & eò quidem magis attingunt, quò minùs impetitam alioqui ab Authoribus opinionem, animoſè impræſentiarum dehoneſtante reſpergunt nota: neminem ſiquidem legi huiuſmodi cogitationem, centum propè ab hinc annis iam fœliciter ſub Scholæ ſtylo enatam, impugnantem.

101 Imò ſuperioribus §§. in eiuſdem ſententiæ probationem deditis accreſcunt duo teſtimonia, quæ præterire non patiar. Aliud Amædei Franciſcani, ſe Angelum ita alloquentem (c) inducentis. *Tunc ego aperui, quomodo Deus à principio* (in via quidem, vt ex ibidem adiunctis patefit) *nobis* (Angelis) *revelaverat, ſe in vtero ipſius* (Virginis) *velle humanitatem aſſumere; imò & omnibus præcepiſſe, vt illum Deum Hominem futurum adoraremus, illique ſubij-*

(c) Raptu 5.

ſubijceremur, & non ſolum ſibi, ſed etiam ſuæ Genitrici futuræ. Aliud Alexi à Salo (*d*) ſic edocentis. *Angeli ipſi, ſimul ac creati ſunt, verbum Dei intuiti, eam viderunt, noverunt, & ſubmiſſè ſeſe in genua proſternentes, eam adoraverunt, vt prædeſtinatam, & certò futuram, Heri, ac Principis ſui Parentem, & Dominam ſuam.*

(*d*) *In arte piè amandi, & colen. Deip. cap. 2. de eius cultu.*

102 Sed ad id calamus redeat, vnde tantiſper aberravit. Siqui ergo Doctores hāc, ſimileſve opiniones, cōfixione Theologica dignas arbitrantur, ab ea publicè, aut coram alijs inferēda abſtineant; interim, vt profectò tenentur, illas denunciando ijs, quibus aut Paſtoralis muneris ratione, aut ex Sedis Apoſtolicæ delegatione, competit facultas haſce cauſas iudicandi, atque ſuper eas iudicialem, & definitivam ſententiam proferendi: qua procedendi via chriſtianæ concordiæ, perverſorumque dogmatum everſioni, optimè conſulitur; aliter enim rixæ potiùs, & contentiones effervеſcunt; & ideò non ſemel pia Mater Eccleſia ſua inhibitione contrivit quorundam Doctorum Cenſuras, aliorum placita infami nota decolorantes. In memoriam revocent Pariſienſes ſuam adverſus Amædei Guimenij librum, licèt tandem Romæ proſcriptum, Cenſuram, ab Alexandro VII. ſevera manu interdictam: cui haud diſsimilem ſubiturum fortunam præſens Anti-Agrediſtarum iudicium non prorſus deſpero. Cuncta hæc, eſtò occaſione adorationis Virgini ab Angelis, ſtatim vt creati fuere, impenſæ dicta, aliarum Articuli partium, aliorumque Articulorum Cenſuris, aptata ſuo modo ſint.

103 Animadvertas deinde velim Cenſorum oſcitantiam, ne dicam potiùs fervidam, improvidamque accuſandi libidinem. *Hæ propoſitiones,* inquiunt, *reſpectivè temerariæ ſunt, & falſæ.* Terminus is *reſpectivè* adijcitur, vt iuſta proportione Cenſuras diſtribuat; nempè, vt non omnes Cenſuræ ſingulis accommodentur aſſertis, ſed diviſivè: ſicuti cùm de multitudine hominum affirmo, *hi homines reſpectivè ebri ſunt, & homicidæ*, non eſt ſenſus: *eorum quilibet ebrius, atque homicida evadit*; ſed ſolum: *nullus eorum vtroque caret crimine; ſed aliquis ebrietate laborat, non homicidio; & aliquis homicidio, non crapula.* Quare & Summi Pontifices in ſuis decretis eadem vocula *reſpectivè* frequenter vtuntur in eodem ſenſu ad conſonam Cenſurarum diſtributionem. Ergo aliqua ex notatis propoſitionibus falſitatis tantummodo accuſatur: at nuda falſitas Cenſura Theologica non eſt, nec à quoquam Theologorum inter damnabilium propoſitionum qualitates

recenſetur; alioqui vbi oppoſitis diſtracti opinionibus pugnant Doctores, invicem ſeſe turpi flagello ſemper aſſligerent: quoniam alterius ſententiam alteruter falſam appellat.

104 Neque ab iſtiuſmodi ignorantiæ lapſu nonnemo alienos putet Cenſores, dicendo, *ly reſpectivè* non ad Cenſuram referri, ſed ad propoſitiones, vt ſcilicet ſignificetur, materiam poſteriori huic qualificationi ſubſtratam non omnes in Articulo præſentatas comprehendere, ſed quæ enunciant, *Sanctiſſimam Virginem adoratam ab Angelis, ſtatim, &c.* Nemo, inquam, ita pro Cenſoribus reponat: nam præterquamquod id, vt ex ſe conſtat, eſt purum putum effugium, inde facilè revincitur, quòd novam Cenſuræ materiam limitaverant iam verba illa: *Hæ propoſitiones, quatenus dicunt, Sanctiſſimam Virginem, &c.* limitaverant itaque ad propoſitiones, quæ ex adductis in Articulo enunciant, *Sanctiſſimam Virginem adoratam ab Angelis, &c.* Et diviſione ipſa ſenſuum, quos reficiunt Cenſores, ſatis diſcreta remanet materia duplici condemnationi ſubijcienda. Vt quid ergo, & quorſum illa cenſendi formula, aut implexa nimis, aut novam criminandi viam confingens? Atque *rogo* vt verbis loquar Hieronymi, (*e*) *quæ tanta eſt cæcitas, & Cimmerijs, ſicut aiunt, tenebris involuta?*

(*e*) *Epiſt. 61.*

105 Animadvertas demum cupio, Pariſienſes nullam ſuæ Cenſuræ aſsignare rationem, ſed abſolutè, et, vt ita loquar, rotundè aſſerta proſcribere: quod illis quidem adeò familiare eſt, vt raró id non obſervent in hoc, & eiuſdem generis decretis. At cùm in doctrinis dijudicandis doctrinaliter, & non iudicialiter, procedere queant, neſcio qua ratione eam cenſendi, atque ſententiam ſuam aperiendi, vſurpant normam; quippè quæ doctoratus iura prætergreditur, & Iudicibus tantummodo competit; ſicuti perſpicuis verbis tradidit graviſsimus quidam Doctor (*f*) contra Cleri Gallicani Congregationem Pariſijs habitam anno 1682. ſcribens. *Vniverſitas* (Pariſienſis) *non ſolet* (ait) *argumentis ſua decreta, vt privati ſuas opiniones, confirmare; SED IVDICVM MORE, SVPPRESSIS RATIONIBVS, DECERNERE.*

(*f*) *Tract. de Libertat. Eccleſ. Gallica. lib. 9. cap. 7. num. 3.*

106 Facultas itaque Pariſienſis poteſt (quod commune etiam alijs eſt) pòſt maturam conſultationem ſuper aliqua doctrina, eam, ſi dignam, quæ taxetur, iudicaverit, notare, vt ſuam Cenſuram Iudici remittat, aut via delationis, aut præſtiti conſilij à Iudice requiſiti; eius expectando ſententiam, nec interea cum accuſatis propoſitionibus, tanquam damnatis, agendo; quippè quæ adhuc ſub

lite

lite ſint. Enimvero iudicum more, & alio non expectato iudicio, ſententiam ferre, latam edere, atque evulgare, ſic infamando doctrinas, nec approbo, nec probare vnquam potero; cùm propter dicta, præcipuè nu. 101. & 103. tùm quia eſt proprij iuris terminos tranſgredi: *Neque enim* (aiebat benè præfatus Author (g) Pariſienſes Theologos commonefaciens) *in cauſis Fidei, & Religionis* (ad quarum claſſem præſens, & aliæ, Theologicam concernentes doctrinam, reducuntur) *Iudices inſtituti ſunt, ſed conſultores tantum adhibiti Doctores.*

(g) *Suprà lib. 3. cap. 8. nu. 10.*

ARTICVLVS VJ.

NVm. 112. *Tùm primum per Humanitatem interceſſit pro Hominibus ante Thronum Deitatis.*

Eodem num. *Divinum Conſiſtorium, ſive Concilium Sanctiſſimæ Trinitatis dixit. Vnigenitus noſter doctrinam hanc prædicabit.*

Num. 113. *Deſcendat Filius noſter paſſibilis ad redimendos homines.*

CENSVRA DEPVTATORVM.

HÆ *propoſitiones continent doctrinam, quæ apertè derogat Divinitati Verbi, malè ſonat in Fide, & in hæreſim inducit.*

CENSVRA SVPPOSITITIA FACVLTATIS.

AVthores ſuppoſititiæ Facultatis Cenſuræ ſecundā, & tertiam propoſitionem dimiſerunt, primam verò hac nota taxarunt. *Hæc propoſitio malè ſonat in Fide, & iniurioſa eſt Divinitati Verbi.*

DIS-

DISSERTATIO VII.

CRISIM CENSVRARVM CVM EARVNDEM caſtigationibus exhibeo.

PErſpiciens iã olim Maximus Doctor Hieronymus, (a) quantum ſit piaculum hæreſis, quàmque exhorrendum, hanc conſtituit regulam. *Nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam eius, diſſimulatio conſcientia iudicetur, ſi taceat.* Quamobrèm hîc maximè acuendus eſt calamus adverſus Cenſores, Venerab. Abbatiſſæ doctrinam, tanquam Fidei diſſonam, atque in hæreſim inducentem, audacter proculcantes.

(a) *Epiſt. 61. Adver. Erro. Ioan. Hieroſol.*

§. I.

PROFERTVR IVDICIVM DE CENSVRA SECVNDÆ, & Tertiæ propoſitionis.

1 FVNDAMENTVM Cenſuræ ſub hac ſpecie obijcio. Abſolutè proferre, Chriſtum eſſe Filium Sanctiſsimæ Trinitatis, malè ſonat in Fide; quare & Theologi, qui illum vt Hominem eiuſdem Trinitatis Filium naturalem propugnant, aut qui non ita, ſed proprium, conſultò id non pronunciant abſque adiuncta reduplicatione, & modificatione. Deinde: Introducere Sanctiſſimam Trinitatem Chriſtum nuncupantem ſuum Vnigenitum, craſſum atque perverſum continet errorem: ſiquidem nec divinum Verbum generatur à Trinitate, ſed à ſolo Patre; nec Chriſti Humanitas, aliave res creata, à Deo per generationem producitur: ergo vtraque Venerab. Antiſtæ propoſitio, duplici hoc morbo laborans, iuſtiſsimè à Deputatis configitur.

2 Veruntamen obiectio ipſa eſt, quæ impudentiſsimo ſordet mendacio, ab hominibus materiato, qui non ſemel, vt de alio Pariſienſi Theologo aiebat (b) quondàm D. Bernardus, *quæ non inve-*

(b) *Epiſt. 190.*

niunt

Digitized by Google

niunt fingunt, affirmantes ea, quæ non ſunt tanquam ea, quæ ſunt; falſum enim eſt, Venerabilem Abbatiſſam inducere Sanctiſsimam Trinitatem illis præfatam verbis: *Vnigenitus noſter, Filius noſter*: qui enim ita alloquens repræſentatur, ſolus eſt, & ſolùm, Pater Æternus, vt compertum ſit ex num. illo 112. vbi hæc leguntur. *Tùm primum Verbum divinum nomine Humanitatis interceſſit pro hominibus ante Thronum divinitatis; &, noſtro intelligendi modo, Pater æternus hanc petitionem contulit cum alijs Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonis, & Sanctis Angelis manifeſtans ex parte decretum divini illius Concilij ſuper hæc Sacramenta* (Incarnationis, & Redemptionis) *illis* (Angelis) *dixit: Lucifer vexilla ſuperbiæ, atque peccati erexit, &c. Vnigenitus Noſter doctrinam hanc operabitur, &c.* Et num. 113. per totum, proſequitur Æternus Pater alloquium, & ibidem ait. *Deſcendat Filius noſter paſſibilis, &c.*

3. Neque ly *noſter*, quod ſocietatem præſeferre videtur, ad aliàs divinas Perſonas refertur, quaſi Pater nomine totius Trinitatis repræſentetur dicens: *Noſter Vnigenitus, Noſter Filius*: Quia Æternus Pater ibi non aliàs Perſonas divinas alloquitur, ſed Angelos, atque pronomen *noſter* non multitudinis, ſed authoritatis ergo ponitur: & ex parte rei ſignificatæ perinde valet, ac ſi Pater Æternus diceret. *Vnigenitus meus, Filius meus.* Quæ loquendi formula ad celſitudinem etiam deſignandam Familiaris eſt Pontificibus, Regibus, alijſque Prælatis non infimæ notæ potiſsimùm in actis publicis, imò & ad divina translata invenitur in Sacris Literis.

4 Moyſes initio libri Geneſis, (c) cùm primò Deum nominavit, cuius opera deſcribere aggrediebatur, ipſius authoritatis, & magnitudinis ſignificandæ cauſa plurali numero vſus fuit, ſcribens *Elohim*, cuius loco noſter Interpres vertit *Deus*, verſu illo, *in principio creavit Deus*: Elohim autem dictio eſt numeri pluralis. Quod appoſitiſsimè animadvertit (d) Cornelius à Lapide adijciens. *Elohim eſt numeri pluralis, in ſingulari enim dicitur Eloah: huius rei cauſa eſt; primò quòd Hebræi res magnas, & magnates HONORIS CAVSA compellent numero plurali: vti faciunt, & Latini dicentes v.g. Nos Philippus Rex Hiſpaniarum.*

(c) *Gen.* 1.

(d) *Ibidē.*

5 Rex David pro Dei honore decertans adverſus Philiſtæi arrogantiam, Deum plurali numero compellavit: nam vbi noſter Interpres (e) habet. *Quis enim eſt hic Philiſtæus incircũciſus, qui exprobravit acies Dei viventis?* Pro *Dei vivẽtis* reperitur in textu Hebræo, *Elohim cahijm*, quod pluralis eſt numeri; id quod honoris cau-

(e) 1. *Reg.* 17. *v.* 26.

(f) *Ibidem in Concordia.*

cauſa vſurpatum obſervavit Ioannes de la Haye (*f*) adiungens: *Quia HONORIS GRATIA aliquem pluraliter nominamus.*

6 Vnde duo eruuntur. Primùm, quòd cùm Venerab. Mater non præſentet Æternum Patrem aliàs divinas Perſonas, ſed Angelos alloquentem, turpiſsima ignorantia Deputati ſupponunt Sanctiſsimam Trinitatem Dei Filium *noſtrum Vnigenitum*, *noſtrum Filium* appellantem: nec, quod inſanius eſſet, Angelis propterea idem impingi licebit ex mente Venerab. Abbatiſſæ, honoris ſolum & maieſtatis gratia, Patrem Æternum ad illos ita loquutum inducentis. Deinde, quòd præfata explicatio non ex benigna, & liberali accommodatione, ſed ſua ſponte deſcendit ex Venerab. Antiſtæ textibus, & verbis; præſertim ſi ſpectentur, quæ varijs in locis ſui operis, etiam in hac prima parte, conſcripſit, ex profeſſo ita bellè ac rectè deſcribens myſteria Trinitatis, & Incarnationis, vt in ipſam migraſſe, mihi videatur, Athanaſios, Baſilios, Cyrillos, & Anſelmos: vndè ſiquæ modò, verborum ſpecie conſiderata, occurreret difficultas, iure optimo temperari deberet, quanquam aliunde germanus, iſque ſanus, illorum ſenſus non ſatis exciperetur.

7 Graviter iſta confirmat, quod Authores ſuppoſititiæ Facultatis Cenſuræ hac in parte non ſe crediderunt Deputatis, nec tandem illis conſenſerunt, alto ſilentio vtramque prætereuntes propoſitionem, aliter abs dubio facturi, niſi comperiſſent mala fide exſcriptam, impunemque reddere ſenſum retentis terminis Venerab. Authoris, & reſecatis, quos pro libito ſuo, ſuâve inſcitia, ſuppoſuerant Deputati; quamobrèm in hos non incongruè inflectere liceat Auguſtini (*g*) verba: *Quando vos pigebit fidem veſtram fucare mendacijs.*

(g) *Lib. 5. cont. Fauſt. Manich. cap. 5.*

§. II.

PRIMA PROPOSITIO NVLLA EST DIGNA Theologica Cenſura.

8 VT id clariùs innoteſcat Cenſorum argumentum exhibeo: Iuxta frequentem vſurpationem Theologorum de Chriſto agentium ſuper 3. lib. Sentent. & 3. p. Sancti Thomæ nomina hæc, *Interceſſor, Mediator, & Advocatus*, idem ſignificant; quod iam pridem quoque ſummus Theologus Sanctus Gregorius Nazianzenus (*a*) edocuit. *Interceſſionis quippè* (ait) *nomen, &c. idem ſignificat, quòd pro nobis mediationis ratione ſupplicare, &c. Vnus enim Deus,* vnus

(a) *Orat. 36. in ſolut. Obiect. 9.*

Digitized by Google

vnus etiam Mediator Dei, & hominum Homo Ieſus Chriſtus; intercedit enim nunc quoque vt Homo pro mea ſalute, &c. Eodem modo advocatum quoque habemus Ieſum. Atqui mediationis officium Verbo divino adſcribere, niſi iam ſubſiſtenti in natura humana, atque niſi vt Homo eſt, fidei repugnat; quoniam illius divinitatem extenuat, & in Arrianiſmum relabitur: ita optimè ijſdem Theologis admonentibus, memoratis locis, & alibi ſæpè contra Hæreticos decertando: ergo prima Venerab. Abbatiſſæ propoſitio, qua inducitur Verbum divinum intercedens pro hominibus, nondum homo factum, latis ſubiacet Cenſuris.

9 Conabitur forſitan nonnullus ſententiam Venerab. Matris tueri à Pariſienſium Cenſuris authoritate, & diſcurſu Magiſtri Lūberij, (b) qui crudè admodùm accipiens illius verba, atque alia haud diſsimilia S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, (c) in eam devenit cogitationem, vt putaverit, Verbum divinum ab æterno per actum notionalem, & ſibi propriu n, ſubiectivè, & exercitè hominum remedium à Patre deprecatum, & pro ipſis interceſsiſſe, non proprio nomine, ſed nomine Humanitatis; videlicet, tanquam Tutorem, & Curatorem Humanitatis ſibi copulandæ: qua diſtinctione diſſolui exiſtimat, quæcunque exadversò opponi poſſunt. At hoccine inventū arriſit nunquā, aut placere mihi poterit, qui arbitror à ſolida Theologia longiſsimè abeſſe; cuius tamen impugnationes aliò remitto, nec præſentis eſt prodere inſtituti: modò enim ſatis fuerit, ſi animadvertam, quæcunque vulgò circumferuntur ſub ſpecioſo privatarum ſive revelationum, ſive divinarum intelligentiarum, vmbone, ea cautione, ſi non reprobentur, eſſe interpretanda, vt ædificandæ potiùs, quàm dilapidandæ Theologiæ ſubſerviant.

(b) *3. p. quaſt. 35. de orat. Chriſt. art. 3.*

(c) *Lib. 4. Divin. Intellig. cap. 7. & cap. 28.*

10 Alia ergo via incedendum reor, quam neutiquam præcludit propoſitum argumentum, fallaciſsimum quidem, & pueros tantummodo vrgere valens, qui faretra etiam picta terrentur. *Eadem* ſiquidem *voces* (admonente (d) eodem Nazianzeno) *ſi rectè intelligantur, cum pietate coniuncta ſunt, ſi perperam exponantur, impietate non carent.* Id quod nunc eventus confirmat, ex vnica & eadem propoſitione improbum ſenſum eruentibus Cenſoribus, probum autem, & à verbis duntaxat immiſſum, maximè ſi cum antecedentibus, & ſubſequentibus componantur, Abbatiſſa Venerabili, vt dicenda commonſtrabunt.

(d) *Orat. 52.*

11 Reſpondeo primò. Chriſtus Dominus dicitur in Scriptura Sacra, (e) *Agnus occiſus ab origine mundi*, videlicet, *ab æternitate*, vt

(e) *Apocalipſ. cap. 13. v. 8.*

vt probabiliſsimè interpretantur complures Doctores, quin ideò durè verba illa intelligantur de occiſione reipsà exercita ab æterno; ſed eo tantummodo titulo dicitur Chriſtus occiſus ab æterno, quòd ab initio & ante ſæcula præviſa, decreta, & acceptata fuerit à Deo illius Sanctiſsima mors, & paſsio. Quade re conſulatur Ioannes Sylveira, (*f*) alias aliorum Interpretum expoſitiones infirmans.

(*f*) *Ibidem quæſt.* 17. *&* 18.

12 S. Irenæus Mariam Virginem Evæ opponendo, præclare hæc (*g*) ſcripſit. *Sicut illa* (Eva) *ſeducta eſt, vt effugeret Deum, ſic hæc* (Maria) *ſuaſa eſt obedire Deo, vt Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata.* Quod advocatæ eulogium velati commentitium nonnulli Hæretici diverſis vijs niſi ſunt evertere: quos inter Chémnitius (*h*) eo nomine abſurdum putat, quòd Maria quatuor mille ferme annis poſt primorum Hominum lapſum condita, Evæ Advocata dicatur; quandoquidem nondum nata, pro Eva non potuerit Deum invocare. Cæterùm perverſi hominis cavillationem contemnit, & explodit Pater Caniſius, (*i*) in fine addens, iuxta Irenæi ſenſum Mariam tunc Evæ advocatam eſſe incœpiſſe, *quum ab initio Summus Deus ad ſuam ſapientiam clariùs demonſtrandam prædeſtinavit vnam mulierem, quæ primæ mulieri peccanti quaſi ſuppetias ferret, & eius inobedientiam ſua obedientia quodammodo caſtigaret.*

(*g*) *Lib.* 5. *cap.* 19. *cont. Valent.*

(*h*) *In Exam. Cōcil. Trid. de Sanct. Invoc.*

(*i*) *Lib.* 5. *de Deip. cap.* 31.

13 Subtiliſsimus Scotus difficiliorem quàm Venerab. Antiſtita retinuit loquendi formulam, quum de Verbo prout ab æterno loquens (*k*) dixit. *Et ſicut Verbum prævidit paſſionem Patri offerendam pro prædeſtinatis & electis, & ſic efficaciter obtulit in effectu; ita tota Trinitas paſſionem efficaciter acceptavit.* Pende verba, *& ſic efficaciter obtulit in effectu*, quæ eandem nata ſunt movere difficultatem, imò & vrgentiorem, quàm Venerab. Matris propoſitio; integrum nihilominùs, & doctrinæ Catholicæ minimè adverſum efferre ſenſum, adnotavit Lichetus graviſsimus eiuſdem Scoti (*l*) commentator, ita eum exponens. *Suppoſitum Verbi vt Incarnati obtulit ab æterno paſſionem, id eſt, tota Trinitas ab æterno prævidit, quod Chriſtus efficaciter debebat velle paſſionem pro electis; & ſicut ab æterno prævidit illam paſſionem fore efficaciter acceptandam, & Trinitati offerendam pro ipſis electis, ita tota Trinitas ab æterno acceptavit illam paſſionem, vt efficaciter meritoriam gratiæ, & gloriæ poſt lapſum.*

(*k*) *In* 3. *diſt.* 19.

(*l*) *Ibid. In ſcho. nu.* 5. *lit. M.*

14 Pariter Venerab. Mater non de Verbo divino vtcunque,

ſed

Digitized by Google

ſed vt Incarnato, quamvis non actu & exercitè, obiectivè tamen, et, vt ita loquar, ſignate, verba facit: nam Verbum, quod interceſſiſſe dicitur, illud ipſum eſt, quod eodem num. 112. & num. 111. exhibetur Angelis à principio revelatum, à Sanctis Spiritibus adoratum, à perduellibus vero impetitum: quæ quidem ex iiſdem numeris, & alijs, ſatis liquet narrari de Verbo Incarnato, non actu, ſed obiectivè: Imò & à cap. 4. vſque ad 12. nempè à num. 35. vſque ad 162. introducitur Verbum Intellectui divino præſens tanquam Incarnatum ad perplura Theologica placita explicanda. De Verbo ergo ita conſiderato docet interceſsiſſe ante exercitam Incarnationem pro Hominibus, non quidem per actionem perſonalem tunc elicitam, ſed dūtaxat obiectivè per merita, aliàs licèt phiſicè futura; iam Deo intentionaliter præſentia, & ab ipſo æternaliter præviſa: nempè, *interceſſionem pro hominibus à Verbo Incarnato reipsà temporaliter elicitam, atque exhibitam, multo antea, & ab æterno Deo fuiſſe obiectivè præſentem.*

15 Quod (ſanam certiſsimè continens doctrinam,) & non aliud ſignificat Venerab. Abbatiſſa verbis illis: *Verbum nomine Humanitatis interceſſit pro Hominibus*: imitata ſic normam loquendi Sacræ Scripturæ, in qua dicitur Chriſtus ab æterno occiſus, quia ab æterno decreta fuit, & præviſa eius mors temporalis; & imitata Irenæum, apud quem, admonente Caniſio, Virgo Maria ab æterno Evæ advocata eſſe incœpit, quatenus tunc prædeſtinata fuit, vt in tempore Evæ peccanti quaſi ſuppetias ferret, & eius inobedientiam ſua obedientia quodammodo caſtigaret; ac tandem Scotum imitata, qui dixit, Verbum Incarnatum obtuliſſe ſuam paſsionem Patri ab æterno, quia prævidit eam in tempore reipsà oblaturum.

16 Oppones. Divina præviſio nullam patitur ſucceſsionem, nullumve ordinem prioris, & poſterioris, ſed omnia ſimul, & vno ictu aſſequitur: ergo cùm Venerab. Antiſta aſſerat, tùm primùm Verbum interceſsiſſe pro hominibus, nequit exponi de interceſsione vt præviſa.

17 Reſpondeo. Ex Venerab. Matre num. 34. opitulantibus frequenter Theologis, in divina ſcientia, & voluntate quendam ſignorum ſibi ſuccedentium ordinem ſecundum noſtrum concipiendi modum conſtituimus, ad explicandum, quem inter ſeſe obſervant obiecta. Deinde, iuxta eandem Venerab. Matrem nu. 47. & 48. ad ſignum reprobationis Angelorum, ac Luciferini caſus

præviſionis immediatè ſequitur ſignum, in quo decreta fuit, & præviſa Redemptio hominum per Chriſtum: ideò nihil mirum, ſi ad hæc animadvertens Venerab. Author, poſt memoratum Luciferi lapſum, Verbum nomine Humanitatis interceſsiſſe pro hominibus, & quidem tùm primùm interceſsiſſe, dixerit: quandoquidem, ipſa Venerab. Authore docente, tametſi priùs fuerit Chriſtus decretus quàm Lucifer, attamen vt Redemptor, & Mediator, decretus non fuit vſque ad ſextum ſignum, reprobatis iam in quinto Dracone, & eius partiarijs. Et hanc eſſe mentem Venerab. Matris vltrà patefiet integrè percurrenti num. 112. vnde excerpta eſt proſcripta à Cenſoribus propoſitio.

18 Oppones præterea: Contextus apertè ſignificat, tùm primùm Verbum interceſsiſſe nomine Humanitatis pro hominibus, quum audita fuit in Cœlo (m) vox illa (quam Verbi eſſe docet Venerab. Mater) dicens: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus & Regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſtus eius; quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum*. Legatur num. 111. Sed hæc referuntur ad tempus, in quo eiectus è cœlo fuit Draco ille magnus, & ſerpens antiquus, cum ipſo præliantibus Michaele, & Angelis eius, vt liquet ex Ioannis textu vbi proximè, & ex Venerab. Matre num. 110. ergo ipſa non loquitur de Interceſsione vt præviſa; ſic enim Deo coæterna eſt, ſed de Interceſsione exercita iam à Verbo nondum Incarnato, & tunc videlicet, quum Luciferum à cœlo ad perpetuas tenebras amandavit.

(m) *Apocalip.* 12. *ver.* 10.

19 Reſpondeo. Nonnunquam ſucceſsio obiectorum, vt ſcitè obſervaverat eadem Venerab. Mater num. 34. cum ordine præviſionis, & decretorum Dei confunditur, perinde ac ſi Deus temporaria ſcientia, & voluntate in obiecta tenderet, quin propterea huiuſmodi imperfectio, quæ ex parte modi explicandi noſtram conſequitur tenuitatem, ex parte rei, & obiecti Deo attribuatur: ſemper enim æternitas divinæ ſcientiæ, & decreti, illibata ſupponitur: ſic quoque ſuper eadem ferme re diſputando optimè adnotāte Illuſtriſsimo Ximenio Samaniego, (n) & exemplo Sacræ Scripturæ, accedente Nicolai Lyrani expoſitione, comprobante: nam hæccine Danielis (o) verba: *In ſententia vigilum decretum eſt, & Sermo Sanctorum, & petitio*: ita interpretatur (p) Lyranus: *Ad petitionem Sanctorum, qui ſunt in terra, quam Angeli præſentant coram Deo DECRETVM EST HOC A DEO IN CONSPECTV ANGELORVM*: quin ideò crudè, vt ſonant, vſurpentur poſtrema verba

(n) *Nota* 17.
(o) *Danielis* 4. *v.* 14
(p) *Ibidē.*

Digitized by Google

ba, ſed habita ratione æternæ prævisionis: nempe, quòd Deus ab æterno habuerit decretum punitionis Nabuchodonoſoris; de qua ibidem ſermo eſt; pòſt prævisionem precum Sanctorum, atque earum coram Deo per Angelos oblationis, & præſentationis: id enim, & non aliud, ſibi volunt ea verba: *Decretum eſt hoc à Deo in conſpectu Angelorum*: alioqui de Deo affirmaretur temporaliter decernere.

20 Eodem pacto Venerab. Author alludens ad æternam præſcientiam, & determinationem Redemptionis Chriſti, ſalutiſque hominum ex ea manantis; iuxta à ſe dicta num. 47. & 48. docet, tanc primùm Verbũ intercesſiſſe nomine Humanitatis, cùm audita fuit in cœlo vox illa, *nunc facta eſt, &c.* id eſt, cùm ab æterno Deus per ſuum decretum poſt præviſum Luciferi caſum, ipſumque reprobatum, Chriſtum conſtituit hominum Redemptorem, atque pro ipſis apud Deum Advocatum; quanquàm maioris expresſionis ergo (pro his præcipuè, qui ſubtilitates Theologicas non callent) ad temporalem illum eventum recurrat, per ipſum exponendo ordinem prævisio nis, & decretorum.

21 Non diſsimiliter ac cùm num. 115. alludens etiam ad præfatum Apocalipſis textum, ait. *Alia quoque decrevit Deus eo tempore, quo iuxta Evangeliſtam facta fuit ſalus, poteſtas, virtus, & regnum Chriſti.* Quin ideò docere intendat, Deum temporaliter decernere; ſed quòd Deus ab æterno decrevit Chriſtum Redemptorem, plura alia in eodem ſimul ſigno decernendo; vt apertiſsimè conſtat ex alijs, quæ ſubiungit, præcipuè compoſitis cum ordine decretorum, ab eadem Matre explicato à num. 35. quanquam humano mori indulgens prædicta aſſumpſerit verba, perinde ac ſi Deus temporaliter decerneret.

22 Hactenùs dicta conſentanea admodùm ſunt textibus, & contextibus Venerab. Abbatiſſæ, ideòque non eſt cur eius propoſitio in perverſum obiectionis, num. 8. propoſitæ, ſenſum deformetur; maximè conſideratis, vt muneris Cenſorum erat quæ præmiſſerat eadem Mater num. 27. & 28. ad miraculum ediſſerens de Trinitate, & conſubſtantialitàte divinarum Perſonarum; & num. 67. diſertè docens, *opera ad extra eſſe communia tribus divinis Perſonis*, ac proinde Verbum nihil ex privata Perſona agere potuiſſe, opera ad extra concernens, vtì concerneret quidem interceſsio illa pro hominibus, cuius occaſione confecta eſt Cenſura.

23 Vnde in forma, vt aiunt, fit ſatis argumento num. 8. con-

conceſsis præmiſsis, negando conſequentiam, quæ nulla eſt propter variationem ſenſus: quippè præmiſſæ procedunt de interceſsione ſubiectiva, & exercita; Venerab. Author loquitur de obiectiva & prævifa, & neque hanc vllatenus invehit, niſi ſimul obiectivè repræſentato Verbo Incarnato iuxta explicationem in ſuperioribus expenſam, quam fruſtra iterarem. Vtinam eam librent Cenſores, atque prædictam diſtinctionem conſiderent, vt probum malè notatæ propoſitionis ſenſum obtineant; interea vero *deſinant ea culpare* (verba ſunt (q) D. Athanaſij) *quæ non intelligunt, aut potiùs quæ diſtinguere nequeunt*, ne dicam, nolunt.

(q) *Epiſt. ad Dion. Alexand.*

24 Reſpondeo ſecundò. Præfata abundè à Cenſura protegunt Venerab. Abbatiſſæ propoſitionem, ſat enim, illis prætermiſsis, ad id iudico, ſi ponderentur limitationes ipſi adiectæ. *Verbum*, inquit Venerab. Author, *interceſſit*, non vtcunque, ſed *nomine Humanitatis*, vtique aſſumendæ: quorum energia verborum craſſo etiam ingenio demonſtrat, nullam divino Filiò quà Deo aſciſci interceſſionem pro hominibus, ſed ſolum quà Homini: quid enim ſibi volunt verba ea *nomine Humanitatis*, vt habet textus Venerab. Authoris, ſive *per Humanitatem*, vt vertunt Cenſores, niſi quòd Verbum ex ſe ipſo, & præciſſè vt Deus, nomen non habuit, nec habere potuit, quo intercederet, quia interceſsio inferioritatem ſupponit; & ideò vt intercederet alienam naturam, eiuſque ſibi nomen, adſcripſit: quid, inquam, aliud verba illa denotant? Profectò, couſque pervium id eſt, vt mirari non ſinam, prætervolaſſe acumen hominum, qui ſe Doctores Pariſienſes produnt.

25 Adhæc: Venerab. Mater num. 111. exponens verba Apocalipſis non ſemel memorata habet. *Fuit hæc vox Filij, nomine Humanitatis ſibi copulandæ, petentis ab æterno Patre, vt fieret ſalus, virtus & regnum, &c. & fuit* (nota) *VELVTI quædam petitio ante Thronum Sanctiſſimæ Trinitatis, &c.* Quo addito diminuente *veluti* rexalat rigorem præcedentium vocum: *Fuit hæc vox Filij petentis*: in eandemque latitudinem trahit ſubſequentia, quæ adhæc alludunt, verba num. 112. ſcilicet. *Tùm primum Verbum nomine Humanitatis interceſſit.* Optimè enim noverat Venerab. Author, hoc aſſertum, *Verbum nondum Incarnatum, ſed Incarnandum, nomine Humanitatis interceſſit*, impropriam, laxamque continere ſolùm poſſe loquutionem, & ideò ſcitè præmiſsit *veluti*.

26 Validè hæc confirmat, quòd Venerab. Antiſtita 2. p. ſui operis num. 126. iterùm introducens Verbum divinum, nondum

rea-

Digitized by Google

realiter Incarnatum, ſed Incarnandum, deprecans ab æterno Patre hominum ſalutem, illico, num. ſcilicet 128. addiderit: *Hæc omnia iuxta noſtrum intelligendi modum agebantur in Cælo in Throno Beatiſſimæ Trinitatis*: eo additamento erroris ſpeciem penitùs eliminando: ſicuti & Theologi conſimilibus ſæpenumero vtuntur reſtrictionibus ad quædam exponenda, quæ, illis ſuppreſsis, abſonè proferrentur. Quare præmiſſæ difficiliorem non referunt ſenſum, quàm quæ eadem Mater docuit hac 1. p. num. 45. ibi equidem poſt deſignatum ſignum, in quo Virgo Maria decreta fuit Mater Chriſti Domini, ſubdit. *Tunc iuxta modum noſtrum concipiendi præſtita eſt diuino Verbo Fides, atque cùm ipſo veluti initus contractus de ſuæ Matri conferendis ſanctitate, perfectione, ac dotibus gratiæ, & gloriæ.* Vt ergo hæc ob adiunctam limitationem abſque offenſione dicuntur, nec à Pariſienſibus fuere caſtigata, ita & ſuperior propoſitio taxanda minimè, ſed dimittenda erat.

27 Reſpondeo tertiò. Venerabilis Mater non in proprietate ſermonis, ſed per appropriationem, & quidem proſopopæiam involventem, attribuit Verbo, nondum Incarnato reverà, quòd interceſſerit pro hominibus: repræſentato enim humano genere per peccatum deperdito coram Sanctiſsimæ Trinitatis Perſonis, veluti in Synodo congregatis ad deliberandum de illius ſalute, & remedio; introducitur Verbum vt Interceſſor: ſed quia nomine proprio, & præciſſè vt Deus, intercedere nequit, & deinde humanitatem aſſumpturum, Redemptoris hominum partes, & onera ſubiturum erat, figuratur tanquam ſuſcepiſſet iam nomen, & vocem Humanitatis; aditum ita interceſsioni aperiendo, perinde ac ſi Humanitas, nondum exiſtens, per proſopopæiam induceretur humani generis patrocinium agens, à Deoque poſtulans humanæ ſalutis beneficium.

28 Et idcircò, vtque omnem erroris ſpeciem amoveret, adhibuit in hac 1. p. num. 111. fuiſſe *veluti* quandam petitionem; & ibidem ac num. 112. Verbum petijſſe, & interceſsiſſe *nomine* Humanitatis: & eodem num. *Patrem Æternum noſtro modo intelligendi cum alijs Perſonis ſuper hac petitione conſultationem habuiſſe.* Pariter 2. p. num. 126. vbi rurſùs Verbum, nondum reapſe Incarnatum, petijſſe ſcripſit, adiungit, *nomine Humanitatis* id egiſſe, & num. 128. *iuxta noſtrum intelligendi modum ita accidiſſe.* Quam ſolutionem crediderim (ſi ſapientioribus me non diſplicuerit)

prio-

priori præferendam: tum quòd morem humanum loquendi, cui hac in parte mirè indulget Venerab. Abbatiſſa, magis redoleat: tum quòd eadem Mater nonnulla interſerat, quæ, ſi critico admodùm iudicio appendantur, faciliùs hac via, quàm priori, exponentur.

29 Vtcunque tamen id ſit, hoc vnum liquidò conſtat, propoſitionem videlicet Venerab. Matris Cenſuras evadere Pariſienſium, nec ab ipſis ſatis perceptam, adeò vt repetere ex Baſilio Magno liceat, quæ ipſe, apud Neocæſarianos de errore contra Fidem falsò accuſatus, (r) aiebat. *Oculus vitiatus multa non videt eorum, quæ ſunt, & multa ſuſpicatur, quæ non ſunt. Idem & in iudicanda ſermonum virtute ſæpenumero fieri video, QVANDO EORVM, QVI CONSCRIPSERVNT, MENTEM, HABITVMVE, NON ASSEQVITVR IVDEX.*

(r) *Epiſt. 69. ad Neocæſarianos.*

§. III.

CASTIGANTVR CENSVRÆ.

30 DE Cenſura 2. & 3. propoſitionis à Deputatis confecta nihil eſt quod adiungam dictis §. 1. quæ iam antea animadverterat (a) Illuſtriſsimus Ximenius Samaniego; compertum ſiquidem eſt, Cenſores non aſſequutos verborum ſenſum, imò nec verba ipſa luſtraſſe videntur, quî Sanctiſsimam Trinitatem loquétem inducunt, vbi ſolum Patrem proponit Venerab. Author, id ita conclamante textu: illos certè fefellit pronomen *noſter*, at fefelliſſet nunquam adhibita cura, & benè perſpectis à principio ad finem verbis. Huc belle præfatus Baſilius. (b) *Oportet, vt eadem prope ſint animi induſtria præditi, & qui aliorum ſcripta iudicaturus eſt, & qui illa conſcripſit.*

(a) *Nota 16.*

(b) *Vbi ſuprà.*

31 Prima propoſitio non vndequaque legitimè à Cenſoribus refertur: vbi enim legitur *per Humanitatem*, legendum erat *nomine Humanitatis*, ſicuti habet textus Venerabilis Matris: *en nombre de la Humanidad*: ſed vtrumque tandem in idem recidere exiſtimo, nec materiam iudicio ſubiectam evertes, vtro modo legas.

32 *Hæc propoſitio*, inquiunt Cenſores, *malè ſonat in Fide, & iniurioſa eſt divinitati Verbi*. Si iniurioſa divinitati Verbi, vel, vt aiunt Deputati, *apertè derogat divinitati Verbi*: ergo Hæretica: quî ergo illam hæreſeos non accuſant diſertis terminis? Quòd ſi id iam ſubaudiri dicant in verbis, *iniurioſa, apertè derogat divinitati*:

vt-

Digitized by Google

vt quid exprimunt eam aliam qualitatem *male ſonat in fide*, minoris certè infamiæ, & notiſsimè contentam in qualitate hæreſis, in illiſque terminis *iniurioſa, derogat diuinitati*? Ergo Cenſura aut deficit, aut redundat. Si reſpondeant, propoſitionem Venerab. Matris mediatè ſolùm opponi cum veritate de Fide, & ideò ſe eam non proſcribere abſolutè vt hæreticam. Nihil proficit, quia ſic erronea eſt, & ne id explicant. Præterea, quia illa propoſitio in prauum ſemel deducta ſenſum, & quem Cenſores arbitrantur, immediatè repugnat veritati Fidei, ſeu immediatè pugnat cum veritate, quæ eſt immediatè de Fide: vt ex ſe conſtat, & ex argumento nu. 8. efformato; ac proinde eadem recurrit obiectio.

33 De falſitate, & iniquitate Cenſuræ fruſtra verba repeterem, euicta iam, & demonſtrata in proceſſu Diſſertationis. Id tantum iuuat addere, quod frequentiſsimè Cenſores labuntur, quia ſenſum verborum requirere nolunt ex contextibus, habitaque ratione inſtituti, quo de agitur; ſed nudis quibuſdam particulis inſiſtentes, eaſque in peius ſemper tetrico rigore interpretati, ſtatim in Cēſuras ſeſe effundunt; at tales profectò, quæ facillime diſpellātur, falſitatiſque conuincantur. Quare præfidenter, ſicuti & Baſilius Magnus, (c) falsò accuſatus apud Neocæſarianos, fecit, admonere illius Verbis liceat Pariſienſes hos Iudices. *Probetur natura ſui condemnatum eſſe ſcriptum, quod obijcitur, magis quàm quòd ex ignorantia accuſatoris culpandum eſſe videatur. Sunt namque multa bona, quæ non exacto mentis iudicio præditis talia non apparent.*

(c) *Epiſt. 69.*

ARTICVLVS VIJ.

NVm. 172. *Niſi enim ſpeciali voto adſtricti fuiſſent ad eam Templo conſecrandam, antequam cognoſcerent eam, & cum ea agerent, videndo eam poſtea tam amabilem, tamque ſuavem, omnes difficultates excogitabiles paſſi fuiſſent, ſi ab ea ſeparari oportuiſſet, nec niſi contranitente corde obtuliſſent eam, propter magnum amorem, quo erga illam afficiebantur.*

Digitized by Google

CENSVRA DEPVTATORVM.

H*Æc propoſitio pietati, & Sanctitati Parentum Beatiſſimæ Virginis derogat.*

ARTICVLVS VIIJ.

PAg. 204. 229. 230. 231. & 232. Num. verò 186. 206. 209. 210. 211. & 214.

CENSVRA DEPVTATORVM.

I*N his paginis continentur propoſitiones caſtarum aurium offenſivæ.*

CENSVRA SVPPOSITITIA FACVLTATIS.

I*N hiſce paginis continentur propoſitiones caſtarum aurium offenſivæ.*

ARTICVLVS IX.

NVm. 220. *Propter hoc myſterium glorioſiſſimæ Mariæ Spiritus Sanctus ordinavit, quòd Eccleſia dicaret diem Sabbati Virgini.*

CENSVRA DEPVTATORVM.

H*Æc propoſitio falſa eſt, & temeraria.*

Authores Suppoſititiæ Facultatis Cenſuræ propoſitiones huius, & Articuli ſeptimi, reiecerunt inter propoſitiones Articuli vltimi.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VIII.

CRISIM CENSVRARVM CVM EARVNDEM caſtigationibus exhibeo.

NEc *grande eſt* (aiebat Hieronymus (*a*) Alipio, & Auguſtino reſcribens) *ineptiſſimis nænijs reſpondere.* Quapropter nec eximium quidquam me facturũ puto, ſi horum Articulorum Cenſuras falſitatis revicero, & quidem breviſſimè: id enim copioſis non eget impenſis. (*a*) *Epiſt.* 79.

§. I.

DOCTRINA VENERAB. MATRIS NON SVBiacet Cenſuræ Articuli ſeptimi.

1 QVO ducti fundamento ſuggillaverint Doctores Pariſienſes propoſitionem Articuli ſeptimi, ſatis conſtat ex Cenſura cum eâdem propoſitione cõpoſita; at futile admodùm eſſe, falſumque dogma fovere, conſtabit etiam.

2 Primùm. Inſignis error eſt, perfectionem evangelicam conſiſtere in apathia quadam Stoica, nempè, in omnium affectionum, & perturbationum carentia, quaſi in viro perfectè evangelico nullus vnquam exiſtat conflictus carnis & ſpiritus, nulla inclinationis naturalis & rationalis lucta, & extinguatur in illo peccati fomes.

3 Vnde cùm Sanctus Auguſtinus ad verba ea Matthæi (*b*) *Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur*, nonnunquam dixiſſet: *Sapientia congruit pacificis, in quibus iam ordinata ſunt omnia, nullúſque eſt motus adverſus rationẽ rebellis, ſed cuncta obtemperant ſpiritui hominis, cùm & ipſe obtemperet Deo.* Se ipſum expoſuit (*c*) in retractationibus, adiungens: *Quod meritò movet, quomodo dixerim. Non enim cuiquam provenire in hac vita poteſt, vt lex repugnans legi mentis omninò non ſit in membris. Quandoquidem etiam ſi ei ſic reſiſteret ſpiritus hominis, vt in nullum eius laberetur aſſenſum,* (*b*) *Cap.* 5. (*c*) *Lib.* 1. *cap.* 19.

Digitized by Google

non ideò tamen illa non repugnaret. Hoc ergo quod dictum eſt, nullum eſſe motum adverſus rationem rebellem, *rectè accipi poteſt, id nunc agentibus pacificis, domando concupiſcentias carnis, vt ad iſtam pacem pleniſſimam quandoque veniatur.* In Beatitudine videlicet, vt continuò declarat.

4 Prætereà. Procul dubio eſt, Chriſtum, & Chriſtiparam etiam in hac vita mortali degentes; omnem huiuſmodi conflictum, & pugnam appetitus ſenſitivi, & rationalis ignoraſſe, præeunte ſemper ratione, & ſibi partem inferiorem pleniſsimè ſubijciente: ſic enim exigebat illorum ſanctitatis eximia perfectio. Id quod ipſis reſervatum profitentur Theologi, nec niſi temerè quiſquam Ioachimo, & Annæ, alijſque Sanctis, dum viverent concedere tentabit.

5 Modò reſpondeo. Interpres Gallicus nimiùm hîc exceſsit, & Authorem potiùs quàm Interpretem egiſſe videtur, quî ex proprio ſenſu multa addidit, & Venerab. Matris verba non tàm vertit, quàm evertit; huius namque textus is eſt. *Porque ſi antes de conocerla, y tratarla, no ſe obligaran con voto particular de ofrecerla al Templo, viendola deſpues tan dulce, y agradable criatura, no lo pudieran hazer con tanta promptitud, por el vehemente amor que la tendrian.* Id eſt. *Quoniam ſi priuſquam illam* (Virginem) *cognoſcerent* (Ioachimus, & Anna) *cum eaque agerent, ſpeciali non fuiſſent adſtricti voto ipſam Tēplo offerendi, poſtea tam dulcem, tamque amabilem contemplando; id non ita promptè præſtare valerent ob vehementem amorem, quo erga eandem afficerentur.*

6 Quapropter præmiſit eodem num. Venerab. Mater. *Y el hazer eſte ofrecimiento fue por eſpecial impulſo de el Spiritu Santo, que ordenava como antes de tener ſer la que avia de ſer morada del Vnigenito Hijo* del Eterno Padre, *fueſſe ofrecida, y como entregada por ſus Padres al miſmo Señor. Porque ſi, &c.* Scilicet: Sanctiſsimos Parentes ante *obtentam prolem emiſiſſe votum eam offerendi Templo*, vt inibi Deo inſerviret, *ex ſpeciali manavit impulſu Spiritus Santi ordinantis, vt ea, quæ futura erat ſedes, & habitaculum Vnigeniti Filij* Æterni Patris, *antequàm eſſet, iam ipſi Domino à Parētibus data & oblata eſſet: Quoniam ſi priuſquam, &c.* recurrunt verba num. antecedenti relata.

7 Deſiderantur hic exaggerationes Interpretis, quæ animos Cenſorum exaſperarunt. *Omnes difficultates excogitabiles paſſi fuiſſent: nec niſi contranitente corde eam obtuliſſent.* Et Venerabilis Mater nihil interſerit, quod alienum à Sanctiſsimis Parentibus,

quod-

Digitized by Google

quodque impietatis Cenſura dignum fuerit, cunctis hinc inde ſedulò appenſis,& compoſitis; quinimo eximias promeretur laudes ob divinum in gratiam tantorum Parentum conſilium affabre expoſitum; ſat namque ſignificat, quòd cùm Altiſsimus prævideret Ioachimum,& Annam, præfato non emiſſo voto, *non ita promptè*, ac contigit,oblaturos dulciſsimam Filiam ſuam; vt tantis Parentibus omninò, & nulla non viæ conſuleret, ordinavit, eos generoſa illa,& ſummis præconijs extollenda promiſsione, aſtringi.

8 Nec cuiquam ſcrupuloſo moveant ſtomachum verba ea Matris: *non ita promptè*: cùm vel ex ipſis pateat, Matrem minimè negare, Parentes Beatiſsimæ Virginis ſub hypotheſi non emiſsi voti promptè oblaturos illam, ſed tantummodo, quòd ita promptè offerrent, ac reipsà obtulerunt præconcepto voto: id autem, vltrà quàm nemo impoſsibile cenſebit, nec probabitur non futurum conditionatè, imò futurum confirmat Venerab. Abbatiſſa divinâ revelatione, perſuadent momentoſæ coniecturæ.

9 Etenim quis non percipit, votum ante adeptam Virginem emiſſum à Ioàchimo, & Anna, non eo tantum nomine, quòd à Deo obtinuit,vt Beatiſsimi Parentes fœcundi efficerentur,triſtemque diuturnæ ſterilitatis notam à ſe propulſaverint;ſed etiam,quia iam dudum ipſo renunciatis naturæ ſolatijs,imò & virtutum exēplis, quæ tantis Parentibus à tam ſuavi, generoſa, ſanctaque prole, ſi eam apud ſe retinerent, provenire poterant; quis, inquam, non percipit, votum illud expeditiorem, facilioremque paraſſe viā inclytis Genitoribus,à ſe puellam omnibus titulis ſpecioſiſsimam abducendi, Temploque conſecrandi; quàm ſi prætermiſſo voto,& poſt illam impetratam cum libertate domi retinendi, poſtque ipſius agnitas,& expertas dotes, in eam incidiſſent cogitationem, vt à ſe illam ſepararent, Temploque offerrent? Quod & nihil præterea ſuis innuit verbis Venerab. Antiſtita.

10 Idipſum ampliùs ſuadetur. Seiunctio Trimulæ Mariæ à Parentibus dura ex ſe, & admodùm violenta eorum erat naturæ, eoque magis, quò amabilior, & æſtimabilior ſeparanda Filia; & vel hinc magnopere excrevit oblationis meritum. Item, naturalis amor Ioachimi, & Annæ erga inclytam puellam, non ita cohibitus, ac modò præmiſſo voto, gravius inijſet bellum adverſus ſeparationem, eique acriùs repugnaret. Vnde nihil à rationabili coniectura alienum involuit, quòd Beatiſsimi Parentes, præter-

termiſſo voto, quum primùm poſt adeptam puellam Mariam, eiuſque cognitas dotes, de ipſa Templo offerenda cogitarent, conflictu partis ſuperioris, & inferioris quodammodo præoccupata ratione, non ita promptè, ſicut nec ita facilè, ac contigit, de oblatione, & ſeparatione, omninò firmiter deliberarent. Neque enim Ioachimi, & Annæ ſanctitas, quanquàm eximia, huiuſcemodi naturæ, & appetitus ſenſitivi aſſultus ignorabat, quemadmodùm prædixi de Chriſti, & Chriſtiparæ Sanctitate num. 4.

11 Ad Interpretis Gallicani verba defendenda adverſus Cenſores devenio, & hactenùs dicta confirmo. *Omnes difficultates excogitabiles paſſi fuiſſent.* An ne futurum dicit, vt Beatiſsimi Parentes illis ſuccumberent? Neutiquam. An num ſentire, & conſentire (vt aiunt) idem ſunt? Minimè. Num verò iniurius in Ioachimum, & Annam, qui ipſos liberos non prædicaverit ab omni naturæ & rationis, partis ſuperioris & inferioris conflictu? Apage. Quorſum ergo impietatis Cenſura? Profectò quò perfectior evaſerat ſoboles, eò maioris ponderis eſſent, quæ naturam Parentum, præſertim ſenium, allicerent vt repugnaret ſeparationi, vtque in ſuas partes conaretur voluntatem trahere. Videſis ea pulchrè deſcripta (*d*) apud Ioſephum à Ieſu Maria. Hæc autem proculdubiò fortiùs pugnaſſent præconcepto modò voto non elicito, eoque non præventa adverſus naturam voluntate.

(*d*) *Lib.* 1. *de Vita Virg. cap.* 50. *nu.* 5.

12 Quare ingentes tunc circundaſſent Parentum animos difficultates; id eſt, plurima & gravia, amorique naturali maximè conſentanea, Beatiſsimis obijcerentur Parentibus, obſiſtentia triennis puellæ, & gratiſsimæ ſibi filiæ oblationi, ac ſeiunctioni; quod & nihil aliud ſibi volunt præfata Interpretis verba: nec ipſe negat, quin apertè ſignificat, Præclariſsimos eoſdem Parentes, adverſarijs omnibus devictis, glorioſum deportaturos triumphum, omnibuſque ſæculis decantandam victoriam. At hîc quidquam Cenſura reprehendendum nego, mecumque negabunt cuncti ſapientes.

13 Poſteriora verba: *nec niſi contranitente corde eam obtuliſſent:* reipsà nihil prædictis addunt, ſed expreſsiùs pugnam ſignificant, nec contemnendo ſtylo; cor enim ſedes dicitur affectionum naturalium, imò & ſedes eſt appetitus ſenſitivi, ſi probabili quorundam credimus ſententiæ; & quanquàm interdum pro voluntate vſurpetur, modò pro ea non accipi ab Interprete, vel dubitari non poteſt, niſi ab his forſan, qui omnia in peius interpretantur: cùm ſatis id contextus evincant, pugnaque ipſa partis inferioris adverſus ſuperio-

rio-

Digitized by Google

riorem inibi deſcripta : ideòque verba illa perinde ſe habent ac *contranitente natura.* Sed dixiſſet, quòd exurgente conflictu quodammodo obnubilata parte ſuperiore ab ea extorſiſſet pars inferior imperfectum quendam conſenſum, nec deliberatum plenè; nihil certè pronunciaſſet, quod à Sanctiſsimis viris,huiuſmodi luctis nonnunquam obnoxijs, quamvis tandem victoribus, alienum ſit: quiſquis enim putaverit, gravia, & dira certamina inter carnem & ſpiritum, appetitum ſenſitivum & rationalem, non iam perfectis accidere, ſed tantummodo incipientibus iuſtis, turpiter errat, Pauli (*e*) verba, Auguſtini (*f*) doctrinam,& Sanctorum Hiſtorias parvipendens.

(*e*) *Ad Romanos* 7. *v.* 22. *&* 23.

(*f*) *Suprà.*

14 Deinde. Rogo Cenſores: vtrum auderent impietatis, & iniuriæ eum poſtulare, qui dixerit, nec Apoſtolos etiam poſt acceptum Spiritum Sanctum, nec Ioannem Baptiſtam, nec Ioachimum & Annam poſt adeptam quoque Virginem, immunes fuiſſe ab omni culpa veniali?Abſque vlla hæſitatione arbitror non poſtulaturos.Quî ergo nunc impietatis accuſant doctrinam efferentem, Beatiſsimos Ioachimũ, & Annam ſub conditione non emiſsi voti gravi afficiendos conflictu, demùm tamen naturam victuros, & oblationem electuros; cùm Virginem licèt offerre Templo nolent,non ideò vel culpam aliquam venialem admitterent,ſiquidem offerre, res tunc eſſet conſilij, non præcepti?Miror ſanè,viros alioqui doctos, & qui ſe Sorbonicos Doctores iactant, miſerè adeò lapſos.

15 Igitur Pariſienſium Cenſura:*Hæc propoſitio pietati,& Sanctitati Parentum Beatiſſimæ Virginis derogat* : vt minimùm falſa eſt.Cui enim Sanctitati illa derogat propoſitio?Non quidem Sanctitati de facto,& reipsà obtentæ à Sanctiſsimis Parentibus: nam iſtam minuere quomodò potuit eventus ſub conditione nunquam impleta,aut implenda,tantummodo futurus? Nec Sanctitati,quam ijſdem Parentibus ſub ea hypotheſi concedere debemus, vt dicta evincunt; quinimò illam commendat, cùm hinc multam difficultatem,inde vero eorum victoriam,qualis eſſe potuiſſet, excogitat, & depingit; niſi (quod nunquam de Catholicis credidero Theologis) contendant Cenſores, Stoicam apathiam fovere; impiumve recenſendum, iuſtos ſanctitatis perfectionem aſſequutos (quales fuerunt certè, & eſſent quoque ſub conditione non emiſsi voti Ioachimus, & Anna) repræſentare obnoxios præfato, & ſimilibus duris, diriſque luctaminibus; aut certum eſſe,non defuturum Beatiſsi-

tiſsimis Parentibus in ea hypotheſi exemptionis à conflictu privilegium, quod libere omninò diceretur: his certè omnibus confovendis, & ad nihil vltrà, vtilis eſt Cenſura.

16 Cui nec anſam dedit extremum verbum *afficiebâtur*, ineptè licèt ab Interprete pro *afficerentur* ſuppoſitum: nam ipſe naturalis amor, quo modò erga puellam flagrarunt, non ita, ac modò emiſſo voto, cohibitus, graviùs pro natura decertaſſet, atque difficiliorem multò abiunctionem & ſeparationem feciſſet. Porro, ſi voluerint Adverſarij, Sanctiſsimos Parentes nullum tunc ſubituros bellum, ſed toto Orbe in pace compoſito dilectiſsimam Filiam Templo conſecraturos, per ipſos ſtat ita ſentire; at Cenſuris adverſæ parti inferendis ſuperſedeant; memores Hieronymi (g) Auguſtino ſcribentis graviſsimi moniti. *Optimè novit prudentia tua, vnumquemque in ſuo ſenſu abundare, & puerilis eſſe iactantiæ, quod olim adoleſcentuli facere conſueverant, ACCVSANDO ILLVSTRES VIROS, SVO NOMINI FAMAM QVÆRERE.*

(f) *Epiſt.* 91.

§. II.

VENERAB. MATRIS DOCTRINA NON SVBIAcet Cenſuræ Articuli octavi.

17 NIhil minùs vnquam cogitaveram, quàm impuritatis inſimulari potuiſſe Vener. Matris ſcripta, vndiq; nitentiſsima, nec niſi pudicitiam redolentia: ex quo impacto probro ſumpta eſt occaſio, eandem caſtiſsimam Matrem verbis, & ſcriptis diffamandi cùm per Pariſienſem vrbem, tùm per Provinciam, fœtulentiſsimiſque titulis onerandi, quos nominatim promere, me puderet. Scio tamen, Satanæ hoc eſſe artificium optimè deſcriptum (a) à Sancto Cypriano ad Antonianum ſcribente, vt purgaret Sanctum Cornelium Papam, falſis rumoribus per Novatianos verbo, ac ſcripto diſſeminatis gravatum. Hæccine Sancti Doctoris verba. *Quòd autem quædam de illo inhoneſta, & maligna iactantur, nolo mireris; cùm ſcias hoc eſſe opus ſemper Diaboli, vt ſervos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet: vt qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur.*

(a) *Epiſt.* 62.

18 Profectò Cenſoribus incumbebat, de Authoris inſtituto in notatis locis admonere; dum enim Articulus nihil determinat, omnia cogitare ſinit. Inſtitutum id eſt, ſanum certè, piiſsimum

atque

Digitized by Google

atque plurimis DD. probatiſsimum. Oſtendere Omnipotentiam Dei, virtutemque gratiæ dominatam in Conceptione Sanctiſsimæ Virginis; abſolutiſsimamque eius puritatem demonſtrare; atque in illa Beatiſsimos Ioachimum,& Annam, Virginis Genitores,in deliberatis etiam concupiſcentiæ motibus, qui peccati originalis veluti præcurſores ſunt, immunes, atque incontaminatos oſtendere. Deinde: appoſitè diſtinguere in Conceptione eiuſdem SS. Virginis libidinem à propagine, & concupiſcentiam à natura; & docere,Cóceptionem Deiparæ à Verbi Incarnati Conceptione diſtinctam, quòd hæc ſola Spiritu Sancto Virginem ſine viro obumbrante effecta eſt: diſcretam quoque à communi poſterorum Adæ conceptu, quòd non inſtigante concupiſcentia, ſed gratia ſuffragante, ex Matre ſterili, ac Patre annoſo per miraculum, & ſine vllo naturæ vitio, ſit peracta. Quibus mirè aditum præcludit Caſtiſsima Mater argumento cuidam adverſus Puriſsimam Mariæ Virginis Conceptionem validiſsimo exiſtimato ab illius Impugnatoribus.

19 Stylus præterea, quem in his explicandis, deſcribendiſque obſervavit Venerab. Mater, vltrà quàm dici poteſt mundiſsimus eſt,ac limpidiſsimus,demirantibus omnibus,quotquot ſunt Hiſpanicæ linguæ periti, tam cautè, tamque pudicè illa potuiſſe declarari; id quod inſuper agnoſcet quiſquis ea conferre voluerit cum ijs, quæ de argumento ipſo conſcripſerunt S.Brigitta, (b) Dionyſius Carthuſianus, (c) & Illuſtriſsimus Ximenius Samaniego. (d) Hæc cùm ita ſint,Hiſpanicis Venerab. Matris verbis huc tranſcribendis ſuperſedeo; neque enim tanto opus eſt negotio (alioqui licèt mihi gratiſsimo) ad diſpellendam illatam impudicitiæ notam, aiente Athanaſio, (e) *quod nimis falſa non ſunt refellenda, ne habita fuiſſe credibilia videantur.*

20 Verùm quia opponent Cenſores,ſe in Verſionem Gallicam tantummodo animadvertiſſe, ea etiam diſcutienda eſt. Fateor,Interpretem nonnulla adieciſſe textui Hiſpanico, quæ aliquantulum malè ſonant Gallicè; ſed non tanti ſunt momenti, nec adeò gravia caſtis auribus, vt digna fuerint, quæ celeberrimæ Facultatis Cenſuræ ſubijcerentur. Alicubi etiam, vt num. 2 1 1. Interpres ſenſum Authoris nō eſt aſſequutus. *Attamen* (verba ſunt (f) Doctiſsimi Theologi, & linguæ Gallicæ peritiſsimi) *propter quatuor, aut quinque verba minus pudica, ſed non impudica ſanè, & quæ pleriſque intento pio videntur accommoda,& neceſſaria,nefas fuit, Authe-*

(b) *Lib. 1. cap. 9. & lib. 6. cap. 49.*

(c) *Lib. 1. de laud. Virg. art. 6.*

(d) *Nota 23.*

(e) *Epiſt. ad Epictetum.*

(f) *In Cenſura Cenſuræ. Art. 8.*

Digitized by Google

rem ſimul, & Interpretem indiſcriminatim prænotatæ Cenſuræ infamia conſpergere.

21 Dignoſcitur hinc enormiſsimus, iſque frequens, Cenſorum lapſus. Interpres Gallicus nonnunquam diſsidet à textu Hiſpano Venerab. Abbatiſſæ, & ita quidem, vt ſolummodo ex diſsidentibus verbis Interpretis potuerint aliquando ſibi fingere Cenſores ſuggillandi occaſionem: ſic factum experior hîc, ſic articulo 7. & ſic alibi. At quamobrèm tunc non monent, Venerab. Matris doctrinam non ſubijacere Cenſuris, ſed ipſis tantum proſcribi verba ab Interprete ex privato ſenſu, & non benè ſibi perſpecto idiomate Hiſpanico, adiecta? Id certè illorum muneris erat, ſic exigente proximi fama non facilè violanda, ſic quoque exigente exemplo cunctorum Tribunalium, vbi de Authorum libris dijudicatur: cùm enim Authoris nomen non deperdant ſcripta, quòd ab alio in alteram tranſferantur linguam; ſi tranſlata infami nota dedecorantur, eandem neceſſe eſt ſubeant fortunam exemplaria, niſi Iudex admoneat ea in parte, qua damnantur, Interpretem Authori diſſentaneum evaſiſſe.

22 Dicent, verum hoc eſſe tunc ſolùm, cùm exemplaria innoteſcunt Iudici, ipſique offeruntur; aliter autem ſatis concredito ſibi muneri conſulere, declarando, ſe accuſatum librum, prout in Verſione exhibetur, proſcribere. Sit ita; atqui exemplaria Venerab. Matris oblata fuere Cenſoribus (quidquid Authores præfationis in Cenſuram negare videantur,) ſed ab ipſis non ſuſcepta, obtendentibus, nihil ſibi cum Authore, ipſiuſve exemplaribus Hiſpanicis, ſed duntaxat cum Verſione Gallica, quatenus iacet in editione Maſsilienſi. Deinde, nec deerant ex Cenſoribus, qui linguam Hiſpanicam apprimè callerent; de hoc ſiquidem gloriantur nonnulli Deputati. Ergo ab officio aberrarunt Cenſores, etiam ex hoc capite ſpectatos, anſam ſubminiſtrando, ob non diſcreta Interpretis, & Authoris verba, vt Venerab. Matris fama apud innumeros laboraverit obſcuriſsimis nominibus deformata, quibus illius doctrina, quatenus in exemplaribus apparet (quo modo ipſius tantummodo eſt,) vel à tetricis ijſdem Cenſoribus non niſi per atrocem & apertam calumniam dehoneſtaretur.

23 Abs re non erit, Pariſienſibus nominatim obijcere vnum è plurimis, quæ proſtant Sanctiſsimarum Inquiſitionum exemplis. Nonnullis ab hinc annis tranſlatæ fuere ex lingua Luſitana in Hiſpanam conciones quædam Patris Antonij Vieyræ, ſed hac diſſo-

diſſonantia, vt in verſione legeretur: *Pater & Filius generant Spiritum Sanctum* : vbi exemplar catholicè habebat : *Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum.* Animadvertit in verſionem Sanctiſſima Hiſpaniarum Inquiſitio, ſimul admonens diſsidentiam exemplaris, & verſionis , ne ex huius errore Authori , eiuſque ſcripto Luſitano, vlla crearetur invidia. Adeò proſpicit Scriptorum famæ vigilantiſsimum Fidei Tribunal, vel dum totum vertitur periculum in errore eouſque craſſo , eouſque abalienatæ ſuſpicionis à Gente Hiſpana & Luſitana, Authore & Interprete,vt prudens nemo cogitaſſet ab illis ortum,ſed irrepſiſſe incogitantiæ Typograhi cauſa. Diſcite Pariſienſes Cenſores, diſcite.

24 *Sibi autem* (quod eſt ipſorum aliud effugium) *nihil eſſe cũ Authore, nihilque cum editione Hiſpanicâ linguâ primùm vulgata:* quantùm coniectare poſſum,prætextus eſt ad liberiùs accuſandum excogitatus.Quoniam identidem condemnantur in editione Gallica,quæ eundem referunt ſenſum cum Hiſpana; ſi autem nihil Cenſoribus cum editione Hiſpanicâ linguâ vulgata , huius ſenſum integrum impunitumque dimittere debuerant : cùm verba ratione ſignificationis , non ſyllabarum , aut literularum , æſtimentur à Theologis,& quanquam ſono, literis, aut idiomate diverſa,ſi idem ſignificent,eadem iudicentur; aliter autem proteſtatio non res, ſed verba dat. Præterea: ſi nihil ipſis cum Authore,quorſum Præfationis effrontiſsima illa verba : *Quantum hoc in genere exceſſerit & aberraverit mulier illa, &c. ſi non intendit illudere legentibus, ipſa profectò manifeſtè illuditur, vbi fabulas, nugas, &c.* Quorſum ergo? Vereor , ne ipſis acciderit , quod de quibuſdam nugonibus dixit (g) Auguſtinus. *Senſum perdiderunt ſtudio contradicendi.* (g) *Lib. de natura boni,cap.25.*

§. III.

VENERAB. MATRIS DOCTRINA NON SUBIAcet Cenſuræ Articuli noni.

25 TRia ſignificat propoſitio ſubiecta Cẽſuræ à Pariſienſibus. Primum , quòd Sabbati dies dicata ſit ab Eccleſia Sanctiſsimæ Virgini. Secundum,quòd Spiritus Sanctus ita Eccleſiam egiſſe ordinavit. Tertium , quòd Spiritus Sanctus id ordinaverit propter immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ. Quid configere intendunt Cenſores ? Non primum : id enim quàmpie &

benè, verèque affirmari, norunt omnes, nec probationes expendere neceſſarium duco. Legeſis Auguſtinum Vvichmanum,(*a*) qui eruditum de hoc argumēto edidit opus, & poſt illum cunctos ferè, qui de Virginis Mariæ excellentijs diſſeruerunt. Non ſecundum; quis enim ignoret, Spiritum Sanctum inviſibiliter regere Eccleſiam, ab illoque, quæcunque ipſa ordinat, verè eſſe? Atque, vt alia omittam, ijſdem ferè terminis loquūtur Ioannes Baptiſta Novatus,(*b*) & (*c*) Antonius Spinellus. Ille. *Ex Spiritus Sancti impulſu fit, vt in eius* (Virginis) *explicitam laudem Sabbati dies à fidelibus habeatur.* Alter. *Sabbatum ab Eccleſia, quæ Spiritu Sancto regitur, perpetuo cultu B. Virgini dicatum eſt.*

(*a*) *In Sabbatiſmo Mariano.*

(*b*) *Tom. 2 in praxi exhibendi obſequia B. V.*

(*c*) *Cap. 20. nu. 13.*

26 Nec tertium, nam vnde noverunt Cenſores, Spiritum Sanctum in ea ordinatione ad immaculatam Virginis Conceptionem non attendiſſe? Cenſent ne Conceptionem Virginis culpa originali infectam, ideòque ſacro & religioſo cultu indignam? Reor, non ita illos ſentire; & quamvis intus & in corde iudicaſſent, proculdubiò, proferre non poſſe citra culpam, ſcio. Ergo cùm Virginis Mariæ Conceptio digna fuerit, cui Eccleſia ex directione Spiritus Sancti conſecraverit diem Sabbati; quo iure Cenſores, Spiritu Sancto non revelante, nec Eccleſia declarante non ita factum, accidiſſe condemnant?

27 *Temerarium eſt*, inquiunt, *aſſerere, Spiritum Sanctum attendiſſe ad Conceptionem immaculatam in hac inſtitutione: cùm id necunde conſtet.* En inſulſam cantilenam, quam ad nauſeam vſque inculcant Cenſores. Ergo quia non conſtat Spiritum Sanctum non attendiſſe ad myſterium Conceptionis in illa inſtitutione, ſicuti, vt ipſi aiunt, neſcitur attendiſſe, partem affirmantem veluti falſam accuſare nequeunt abſque temeritate; vbi enim neutra contradictionis pars prudenter affirmari poteſt, temerè quælibet determinatur, ſed æquè temerè falſitatis inſimulatur. Quò ergo tendunt ea Cenſuræ verba: *Hæc propoſitio eſt falſa*? Inſuper: Venerab. Mater affirmat ſibi à Deo revelatum, quòd Spiritus Sanctus ſpectarit præfatum myſterium in ea ordinatione: ergo cùm potuerit ita evenire, nec certò pateat non contigiſſe, non niſi imprudenter tanquam temerarium configitur nullo præmiſſo examine aſſertæ revelationis.

28 *Videtur ibi*, inquiunt etiam, *iuſſio aliqua, veluti ſignificata Eccleſiæ, & ab eadem exequutioni mandata, inſinuari: liquet autem huiuſmodi iuſſionem nuſquam Eccleſiæ innotuiſſe.* Cæterùm Grammati-

Digitized by Google

maticus nemò ignorat, quòd *ordinare ſignificat diſponere*, & quomodocunque rem aliquam rectè *inſtituere*. Imò & vox Gallica *ordonner* eodem modo ſignificat, ac Hiſpana, *ordenar*, & Latina *ordinare*: quamvis autem aliquando *ordinare* denotet iuſsionem, in præſentiarum nihil eſt, quod evincat ita vſurpati, imò nec quod leviter ſuadeat aliud ſignificare, quàm ex *directione, impulſu*, ſeu *inſtinctu* Spiritus Sancti id factum; vtî & conſueverunt loqui Authores, dum docent, diem Sabbati ab Eccleſia Virgini ſpecialiter dicatum.

29 Quamobrèm in his & ſimilibus offendere, vt de more habent auſterisſimi Cenſores, ac ſignificationis vocum rigidisſimi exactores, nodum eſt in ſcirpo quærere, & contentioſi potiùs, quàm ſynceri iudicij index eſt: proinde huc non immeritò ſpectare puto, quæ adverſus calumniatores Auguſtinianæ doctrinæ aiebat (d) S. Proſper. *Vnde in hanc auſteritatem ſupercilium tam tetricæ frontis ſe armavit, vt menſuras ſenſuum, pondera loquutionum numeros ſyllabarum inſidioſus ſcrutator eventilet, magnumque ſe aliquid conficere præſumat, ſi Catholico prædicatori* (Catholicæ Authori) *notam erroris affigat?*

(d) *Lib. 4. Reſponſionum. cap. 1*

ARTICVLVS X.

NVm. 251. *Deſcendit ornata & ditata propter Deum, qui quidem dedit illi quidquid voluit, & qui voluit dare illi quidquid potuit, & potuit illi dare quidquid non eſt ipſum eſſe Dei.*

CENSVRA DEPVTATORVM.

C*Vm ea dona Deus Beatiſſimæ Virgini contulerit, quæ ſecundum ordinem ſapientiæ illi conferre decebat, & in Evangelio manifeſtum ſit, non omnia ei contuliſſe, quæ conferre potuit: Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, & Evangelicæ doctrinæ contraria.*

SVP-

Digitized by Google

SVPPOSITITIA FACVLTATIS CENSVRA.

CVm ea dona Deus Beatiſſimæ Virgini contulerit, quæ ſecundum ordinem ſapientiæ ſuæ ipſi conferre decebat; & in Evangelio manifeſtum ſit, Deum non ei omnia contuliſſe, quæ conferre potuit: hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, & Evangelicæ doctrinæ contraria.

DISSERTATIO IX.

CRISIM CENSVRARVM CVM EARVNDEM caſtigationibus exhibeo.

(a) *In Metalogica nu. 1406.*

HÆrent communes argumentandi formulę, inquit (a) venuſtè Caramuel, *cùm ad Mariam venitur; eſt enim ipſa Omnipotentiæ prodigium, & cùm diſputatur de illa, valent argumentationes prodigioſæ.* Quibus quantùm ſolito rigore obſiſtant Cenſores, præſentis Articuli oſtendet Cenſura, latæ diſcuſſioni ſubijcienda.

§. I.

PRÆFIXA PROPOSITIO EO NOMINE IMPVNIS evadit, quòd conſonet probatis Patrum, & DD. alloquijs.

1 HVIVS diſſertationis argumentum ſummam continet omnium perfectionum, quibus ab omnipotenti Deo ipſius Sanctiſsima Mater, & vltra quã dici poteſt Glorioſiſsima, exornata fuit & ditata; veruntamen cunctas percurrere, præterquàm nobis in hac vita impoſsibile (*Neque enim mundus ipſe caperet omnes, qui ſuper his ſcribendi eſſent libros*, vt aiebat Cancellarius Pariſienſis oratione (*b*) coram Patribus Concilij Cõſtantienſis habita) operæ pretium non exiſtimò ad Venerab. Abbatiſſæ

(b) *De Nativit. Virg Initio.*

Digitized by Google

ti iſtæ propoſitionem à Pariſienſium iaculis defenſandam: ſufficiet enim ſelectiora quædam è Patribus, & Doctoribus repetere teſtimonia, vt illius oſtendatur veritas ſub iiſdem,aut ſimilibus terminis communibus,& generalibus, quibus refertur.

2 Ducat agmen S.Anſelmus. (c) *Rogamus ergo te Domina per ipſam gratiam, qua te pius & omnipotens Deus ſic exaltavit, & OMNIA TIBI SECVM POSSIBILIA ESSE DONAVIT.*

(c) *De excell. Virg. cap.* 12.

3 S. Bernardinus Senenſis. (d) *Excepto Chriſto, tanta gratia Virgini à Domino data eſt, QVANTAM VNI CREATVRÆ PVRÆ DARI POSSIBILE EST.*

(d) *Tom.* 1 *Serm.* 61. *art.* 2. *cap.* 10.

4 Auguſtinus Anconitanus interrogans: *An Deipara Virgo fuerit magis plena gratia, quàm aliqua alia creatura eſſe poſſit?* Reſpondet,(e) præmiſsis quatuor gratiæ præcipuis effectibus. *Poſſumus igitur dicere, quòd plenitudo gratiæ Beatæ Virginis in iſtis quatuor exceſſit gratiam datam, & POSSIBILEM DARI CVILIBET CREATVRÆ ANGELICÆ VEL HVMANÆ.*

(e) *In Salutat. & Annunciatio. Angelic. lect.* 8. *q.* 1.

5 Ambroſius Spiera. (f) *Omnem gratiam poſſibilem Deo creatura infundere, Virgo glorioſa ſuſcepit.* Et iterum.(g) *Omnes Doctores noſtri concedunt, quòd ex quo Virgo incœpit eſſe Mater Dei, quod fuit finitis illis verbis, ecce ancilla Domini, &c. mox in illam OMNES GRATIÆ POSSIBILES HVMANÆ CREATVRÆ* (imò & Angelicæ, quoniam obedientialis potentia, ratione cuius creatura intellectualis capax dicitur ſuſcipiendi gratiam, eiuſdem eſt rationis,& amplitudinis in Homine & Angelo) *cum benedicto Verbo pariter DESCENDERVNT.* Pende ea verba. *Omnes Doctores noſtri.*

(f) *Serm.* 11. *Cōſiderat.* 3. *Concluſ.* 1.

(g) *Serm.* 32. *Cōſiderat.* 1. *Concluſ.* 1.

6 Vnde hunc conſtruo ſyllogiſmum. Deus contulit Virgini Mariæ omnia gratiæ ornamenta puræ creaturæ poſsibilia; ſed hoc perinde eſt ac contuliſſe omnia gratiæ ornamenta,quæ puræ creaturæ elargiri potuit: ergo reipsà ea Virgini Mariæ contulit. Maiorem dant producta teſtimonia,minorem & cōſequentiam termini ipſi. Atqui Deus voluit Virgini conferre quidquid illi dedit: ergo voluit illi dare quotquot gratiæ ornamēta puræ creaturæ dare potuit. In quod tandem conſentit totus quantus ſenſus propoſitionis confixæ, prout iacet.

7 Sanctus Anſelmus.(h) *Decebat vt illius hominis Conceptio de Matre puriſſima fieret: Nempè, decens erat, vt ea puritate, QVA MAIOR SVB DEO NEQVIT INTELLIGI, VIRGO ILLA NITERET.* Neque Anſelmus loquitur ſolùm de puritate negativè

(h) *Lib. de Conceptu Virg. cap.* 18.

accep-

Digitized by Google

accepta pro formali receſſu à culpa, ipſiuſque formali carentia, eò quòd Virgo Sanctiſsima omni culpa caruerit; ſed etiam de puritate, & munditia poſitivè accepta pro ſanctitate, quam omnis culpæ carentia, permagnaque dona ſupernaturalia conſequebantur illi conſentanea. Tùm quia id conſonat alijs textibus Anſelmi poſtmodùm expendendis. Tùm, quia ſi ſolummodo vſurparetur ab Anſelmo pro formali carentia peccati, eam non adiecißet exceptionem, & limitationem, *qua maior ſub Deo*, quippè neque in Deo maior eſt puritas ſic conſiderata; cùm ea ratione maior excogitari non poſsit, quàm formale non eſſe omnis culpæ.

8 Idipſum ex mente Anſelmi eius verba illuſtrando confirmant plures Doctores. S. Albertus Magnus. (*i*) *Dicimus ergo quòd hæc puritas eſt ab originali non dico diſtantia, ſed ſegregatio, & ad primam lucem, QVANTVM POSSIBILE EST PVRÆ CREATVRÆ, Deiformis approximatio. Vnde ſecundum rem nihil aliud eſt hæc puritas, niſi peccati originalis deletio* (id eſt impeditio) *fomitis extinctio, & gratuitarum perfectionum vltimatio.*

9 S. Antoninus. (*k*) *Dicit enim Anſelmus, quòd ea puritate decuit, vt niteret* (Virgo Maria) *qua maior ſub Deo nequeat inveniri.... Notandum tamen, quòd puritas ſecundum Albertum non tantùm dicitur per receſſum ab impuro, ſed etiam per approximationem, & acceſſum ad ſummè purum.* (*l*) Et alibi. *Erit anima tua vas puriſſimum continentivum liquoris gratiæ divinæ. Hanc ſummè habuit B. Maria, QVIA EA PVRITATE ENITVIT, QVA MAIOR SVB DEO NEQVEAT INVENIRI.*

10 Abulenſis. (*m*) *Fuit autem hæc puritas, & mundities animi perfectiori modo in B. Virgine, quàm in alijs omnibus creaturis: ſic enim ſacri teſtantur Doctores, decuiſſe nimirum, vt BEATISSIMA DEI MATER TANTA PVRITATE POLLERET, QVA MAIOR SVB DEO NON POSSET REPERIRI: ſive accipiatur puritas propriè pro privatione, aut abſterſione omnis culpæ, aut maculæ, &c. ſive accipiatur puritas pro augmento virtutum, aut ſecundum numerum, aut ſecundum gradualem intenſionem.*

11 Pelbartus. (*n*) *Per hoc quòd dicitur gratia plena, intelligitur præeminentia ſanctitatis, quæ in hoc attenditur; quòd ipſa ſuper omnes Angelos & Sanctos infra Deum eſt Sanctiſſima, & puriſſima ea puritate, QVA SVB DEO MAIOR NEQVIT INTELLIGI.*

12 Bernardinus de Buſto. (*o*) *Beatiſſimam Virginem habuiſſe PVRITATEM IN SVMMO POSSIBILEM HABERI AB ALI-*

QVA

(*i*) *Lib. 2. de laud. Virg. cap. 179.*

(*k*) *4. part. tit. 15. cap. 20. §. 7.*

(*l*) *Cap. 34 §. 2.*

(*m*) *Paradoxo 1. cap. 6.*

(*n*) *In Stellario. lib. 1. p. 5. art. 2. cap. 3.*

(*o*) *4. part. Mariæ. Serm. 10. part. 4.*

Digitized by Google

QVA PVRA CREATVRA, probatur authoritate Anſelmi. Poſteà verò memorato S. Alberto ex eius mente addit. *Maior puritas attenditur per maiorem acceſſum, & approximationem ad ſummè purũ.*

13 Hunc ex his conficio ſyllogiſmum. Deus conceſsit Beatiſſimæ Virgini tantam puritatem, id eſt, tantam ſanctitudinem, & donorum gratiæ perfectionem, vt maior ſub Deo inveniri aut intelligi nequeat; ſed hoc perinde eſt, ac conceſsiſſe quantum ſanctitudinis, & virtutum, conferre poteſt alicui puræ creaturæ: ergo reverà totum id Virgini conceſsit. Maiorem evincunt teſtimonia adducta, minorem & conſequentiam termini ipſi. Atqui voluit Deus Virgini Mariæ concedere, quidquid illi dedit: ergo voluit illi dare quantum ſanctitatis, & virtutum excellentiæ, dare potuit, infra vnionis Hypoſtaticæ ordinem: in quem tandem ſenſum devolvitur Venerab. Abbatiſſæ notata propoſitio.

14 Sanctus Thomas à Villanova. (p) *Quænam obſecro pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria Matri Dei non congruit? Solve cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias, & deſcribe apud te in animo Virginem quandam puriſſimam, prudentiſſimam, pulcherrimam, devotiſſimam, humillimam, mitiſſimam, omni gratia plenam, omni ſanctitate pollentem, omnibus virtutibus ornatam, omnibus chariſmatibus decoratam, Deo gratiſſimam: quantum potes, tantum auge, quantum vales, tantum adde, maior eſt iſta Virgo, excellentior eſt hæc Virgo, ſuperior eſt hæc Virgo. Non eam Spiritus Sanctus literis* (in Evangelio) *deſcripſit, ſed tibi eam depingendam reliquit, vt intelligas nihil illi gratiæ, aut perfectionis aut gloriæ, QVAM ANIMVS IN PVRA CREATVRA CONCIPERE POSSIT, DEFECISSE.* Venuſtiſsima, plenaque dulcedine verba, & digna ſanè, quæ ſemel, iterum, atque ſæpius percurrantur. (o) *Serm. 2. de Nativit. Virg.*

15 Idem Sanctus Doctor. (q) *Sed iam ad dona, gratias & virtutes tranſeamus. De his quid dicere poſſumus, niſi quòd illi datum eſt, QVANTVM CAPAX EST PVRA CREATVRA.* (q) *Serm. 3. de Nativit. Virg.*

16 S. Antoninus. (r) *Nulla pura creatura eſt plena gratiâ ſuſceptivè, præterquàm Beata Virgo, QVÆ TANTAM SVSCEPIT, QVOD PVRA CREATVRA MAGIS SVSCIPERE NON POTVIT.* (r) *Suprà cap. 24. initio.*

17 Richardus à Sancto Laurentio. (s) *Omnis alia creatura aliquid habuit vacuitatis, quia maiorem gratiam recipere potuit. Ipſa autem ſic vſquequaque gratia plena fuit, QVIA MAIOREM GRA-* (s) *Lib. 1. de laudib. Virg. cap. 4.*

TIAM HABERE NON POTVIT, NISI IPSA DIVINITATI VNIRETVR, hoc eſt, niſi ipſa Deus eſſet.

18 Dionyſius Richelius poſt relata varia gratiæ dona Virgini conceſſa, (*t*) addit. *Nunquid parva ſunt iſta? Nonne tam magna, tam ſumma & ſingularia ſunt, VT PVRÆ CREATVRÆ, CITRA PERSONALEM VNIONEM CVM VERBO ÆTERNO, MAIORA DARI NON VALEANT?*

(*t*) *Lib. 1. de laudib. Virg. art. 26.*

19 S. Albertus Magnus. (*u*) *Sua gratia tanta fuit, QVOD PVRA CREATVRA MAIORIS GRATIÆ CAPAX NON FVIT.*

(*u*) *Sup. Miſſus eſt. quæſt. 164*

20 Bernardinus de Buſto. (*x*) *Deus illi contulit tantam bonitatem, ac gratiam, tantamque dignitatem, QVOD MAIOREM ALICVI PVRÆ CREATVRÆ, ET NON VNITÆ PERSONALITER, CONFERRE NON POTVIT.*

(*x*) *12. p. Maria. Serm. 2. part. 1.*

21 Alphonſus Salmeron. (*y*) *Maria illi* (Chriſto) *proxima, ac ſingulariter coniuncta, plena dicitur gratia, quantam Matrem Meſſiæ habere decebat, QVANTVMQVE PVRA CREATVRA POTERAT ESSE CAPAX.*

(*y*) *Tom. 3 in Evang. tract. 5. §.*

Obijciunt Hæretici.

22 Modò arguo ita: Deus conceſsit Virgini eam gratiam, eamque virtutem & donorum perfectionem, qua maiorem conferre non potuit puræ creaturæ, & Deo perſonaliter non vnitæ; quaque maiorem pura creatura, & citra Perſonalem vnionem cum Deo, recipere nequit; ſed hoc perinde valet, ac Virgini conceſiſſe quantam cuivis creaturæ puræ, & Deo hypoſtatice non vnitæ, conferre potuit gratiam, donorum & virtutum perfectionem: ergo eam Deus Virgini reipsà dedidit. Maiorem ſuadent advocatæ authoritates, & quod ſpectat virtutes & dona gratiæ ſanctificanti addita, vltrà confirmat celſitudo ipſa gratiæ, cuius ſunt conſectaria cum iure æqualis gradus. Minorem & conſequentiam dant termini. Atqui Deus voluit Virgini Mariæ elargiri, quidquid illi dedit: ergo voluit illi dare tantam gratiam, donorumque & virtutum perfectionem, quantam puræ creaturæ, & Deo ipſi non vnitæ, dare potuit: quod quidem non ſtrictiorem refert ſignificationem, quàm Venerab. Antiſtitæ propoſitio.

23 Rurſum appello Anſelmum, qui (*z*) de amore Dei erga Virginem hæc protulit. *Oſtendit ergo amorem erga Matrem, quo nullum putemus eſſe poſſe maiorem.* Item: *quid ergo hic dicemus; eſt ne putatis vlla mens hominis, quæ modum huius dilectionis, quam Deus ad hanc Virginem habuit, queat penetrare?* Et poſtea. *Poteſt ne quæſo vllus Hominum, aut Angelorum iſtius amoris immenſitatem*

(*z*) *De Excell. Virg. cap. 4.*

tem

tem penetrare? Quæ, adiuncto trito Sancti Thomæ (*a*) principio, validum hoc inducunt argumentum. Amor Dei infundit, & creat bonitatem in rebus, cùmque nullam in ſe & ex parte actus patiatur intenſionem aut remiſionem, maior vel minor tantummodo dicitur, quatenus maius vel minus bonum communicat. Atqui ex Divo Anſelmo Deus ſuam dilexit Matrem amore eximio, magnoque adeò, vt nullus maior eſſe poſsit erga puram creaturam: ergo illi impertivit excelſam ita bonitatem, vt ſuperiorem conferre nequeat puræ creaturæ; ac proinde quantam puræ creaturæ concedere potuit, ſuæ eidem contulit Matri. Quid vltra ſibi volunt Venerab. Matris verba? Nihil ſanè.

(*a*) 1. *part. quæſt.* 20. *art.* 2. & 3.

24 Ergo hactenùs expenſis demonſtratum relinquitur, Venerab. Abbatiſſæ propoſitionem conſentaneam valde eſſe aſſertis Patrum & Doctorum: quibus ſi non ſuccenſent Pariſienſes, cur Matri Venerabili? Aut ſi eam carpunt, damnent quoque Anſelmos, Albertos Magnos, Bernardinos, Antoninos, Richardos, Toſtatos, Richelios, &c. quibus illa conſonat. Et tunc certè omnium in ſe manus iurè provocabunt, vt enim appoſitè aiebat (*b*) D. Bernardus Abaelardum expugnans: *Nonne meritò omnium in ſe provocat manus, cuius manus contra omnes?*

(*b*) *Epiſt.* 190.

§. II.

VENERAB. MATRIS PROPOSITIONEM CONfirmant probatæ Regulæ Dialecticæ Marianæ.

25 P*Erfectiones Beatiſſimæ Virginis admetiendæ ſunt Maternitati divinæ.* Is eſt canon primarius, & fundamentalis Marianæ Dialecticæ, à Patribus, & cæteris Doctoribus admiſſus, & identidem ad Marianas dotes deducendas aſſumptus. Nec deficit congruentiſsima ratio: quia cùm Beatiſsima Virgo potiſsimùm delecta fuerit ad Maternitatis Dei munus ſubeundum; & aliunde Deus prudentiſsimè ſemper operans adaptet perfectiones & dotes muneribus, quæ committit, conſentaneas; inde eſt, quòd Virgini Matri ſuæ exiſtimare debeamus contuliſſe ea decora, & ornamenta, quæ ſublimiſsimo Maternitatis muneri ſint proportionata, quæque tantam Matrem decerent.

26 Atqui in pura creatura, & infra vnionem phiſicam cum Deo nulla eſt poſsibilis maior dignitas Maternitate Dei; vt docet

Digitized by Google

(a) Suprà cap. 4.

S. Anſelmus (*a*) dicens. *Hoc ſolùm de Sancta Virgine prædicare, quòd Dei Mater eſt, excedit omnem altitudinem; QVÆ POST DEVM DICI, VEL COGITARI POTEST.*

(b) Serm. ſuper ſignũ magnum.

27 S. Bernardus (*b*) de Virgine vt Matre loquens. *Iure ergo Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam divinæ Sapientiæ vltrà quàm credi valeat penetravit abyſſum, VT QVANTVM SINE PERSONALI VNIONE CREATVRÆ CONDITIO PATITVR, luci illi inacceſſibili videatur immerſa.*

(c) In 3. diſt. 9. art. 1. quæſt. 3. in corp.

28 S. Bonaventura. (*c*) *Excellentiſſimum nomen habet, ita QVOD EXCELLENTIVS PVRÆ CREATVRÆ CONVENIRE NON POTEST.* Et pòſt, quodnam hoc ſit nomen exponens, ait. *Hoc autem nomen eſt, QVOD VIRGO EXISTENS, DEI MATER EST.*

(d) Sup. Miſſus eſt. quæſt. 141

(e) Ibidem cap. 178.

29 S. Albertus Magnus. (*d*) *Manifeſtum eſt; QVOD MAIOR GRATIA NON POTEST INTELLIGI PVRÆ CREATVRÆ PARTICIPARI, QVAM ESSE MATREM DEI.* Et alibi (*e*) *Dominus Beatæ Virgini SVMMVM DONAVIT, CVIVS CAPAX FVIT PVRA CREATVRA; SCILICET DEI MATERNITATEM.*

(f) Sup. tit. 15. cap. 20 §. 9.

30 S. Antoninus. (*f*) *Niſi ipſa Deitati vniretur.... Niſi ipſa ESSET DEVS, MAIOR GRATIA INTELLIGI NON POTEST, QVAM QVOD ESSET MATER DEI.*

(g) Tom. 3 Serm. 6. de B. Maria art. 3. cap. 1.

31 S. Bernardinus Senenſis. (*g*) *Status Maternitatis Dei, ad quẽ Deus Virginem eligebat, ERAT SVMMVS STATVS, QVI PVRÆ CREATVRÆ DARI POSSET.*

(h) Serm. 3. de Nativit. Virg.

32 S. Thomas à Villanova, (*h*) Anſelmi verba probat. *De Virgine dicere ſolùm, QVOD MATER DEI EST, EXCEDIT OMNEM CELSITVDINEM, QVÆ SVB DEO EXCOGITARI POTEST.*

(i) De laudib. Virg. lib. 1. fructu 1.

(k) Lib. 3. fructu 4.

(l) In Gemino ſydere Mariani diadematis, per totum.

33 Bartholomæus Piſanus. (*i*) *Cùm eſſe Mater Dei ſit GRATIA MAXIMA PVRÆ CREATVRÆ CONFERIBILIS, &c.* Iterum. (*k*) *Cum Seraphico Doctore dicamus, quòd nihil nobilius cogitari poteſt, QVAM VIRGINEM DEI GENITRICEM MARIAM IN MATREM FVISSE ELECTAM TANTI NOBILISSIMI FILII.* Alios penè ſine numero Authores, & veteres & recentes, in huius argumenti, & prædictorum §. præcedenti, illuſtrationem congeſtos ſumma cura, & eruditione dabit (*l*) Pater Ioannes de Cardenas.

34 Ergo Beatiſsimæ Virgini Mariæ intuitu Maternitatis conceſsit Deus alia gratiæ ornamenta tantæ dignitatis & perfectionis, quantam in pura creatura, & Deo non vnita, obtinere poſſunt: alioqui excelſiſsimæ dignitati Maternitatis debita proportione non

correſ-

correſponderent;& infra illius exigentiam ea Deus limitaſſet. Ergo hac ratione conceſsit Deus ſuæ Matri quantum potuit, eam puram reliquendo creaturam & ſibi non vniendo; ac proinde eadem ratione illi dare voluit, quidquid potuit; præſertim cùm nullũ ſit donum gratiæ puræ creaturæ poſsibile, quod Maternitati Dei belliſsimè non congruat, ex §. antecedenti, & dicente S. Thoma à Villanova. (m) *Quæ gratia, quæ perfectio, quæ gloria Matri Dei non congruit?* Quod ſatis ſuperque eſt, vt ſuam potuerit proferre propoſitionem Venerab. Abbatiſſa.

(m) *Serm. 2. de Nativit. Virg.*

35 *Qui potuit, quæcunque voluit: voluit quæcunque potuit in Maria.* Canon eſt, percommodè in rem noſtram cadens, quem totidem verbis tradidit Doctus Pater Franciſcus Garau, (n) illum multis venuſtè exornans; è quo gratiſsimè libabo nonnulla, Beatiſsima Virgine facem præferente. Quanquam ea ſit Dei omnipotentiæ & voluntatis neceſsitudo, vt nullum Deus operetur effectum, quem nolit, & faciat quæcunque vult, nihilominùs Virgo Maria, ſibi Deum propitium gratulata, non volentem, ſed potentem (o) prædicat: *Fecit mihi magna, qui potens eſt*: Leproſus verò munificum ſibi Deum exorans, volentem requirit, (p) potentiam ſupponens: *Si vis, potes me mundare*: imò & Dominus ipſe annuit, nihil de potentia, ſed ſolùm de voluntate reſpondens: *Volo mundare.* Quid hoc diſcriminis eſt? Audi præfatum Authorem: (q) Quamvis Dominus (r) quæcunque voluit fecit, non tamen vbique voluit, quæcunque potuit: & licèt nunquam voluerit, quod non potuit; attamen in aliјs creaturis potuit multa, quæ non voluit, *in Maria fecit quæcunque voluit, & voluit quæcunque potuit,* in pura ſcilicet creatura & Deo non vnita, vti ſemper ſubauditur. Experta erat Maria, in ſe vna voluntatem Dei potentiæ non deficere: voluiſſe, ſciebat, Deum quidquid in ipſa poterat: & ideò non memorata voluntate, quam certiſsimè præſumebat, potentiam tantummodo atteſtatur, vt inde quid Deus in illa voluerit, quidque fecerit dignoſcatur.

(n) *In Deipara elucidata, principio* 8. §. 2.

(o) *Lucæ* 1.

(p) *Matth.* 8. *v.* 2.

(q) *Pſalm.* 113. *v.* 51.

(r) *Suprà num.* 113.

36 *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt.* His iuxta Sanctum Thomam (s) in medium adducit Sanctiſsima Virgo cauſam, ob quam generationes omnes Beatam erant illam prædicaturæ. *Ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Tantorum præconiorum Marianam dignitatem Maria ipſa Divinæ Omnipotentiæ admetiendam docet, vt inde tantùm agnoſcatur, quàm excelſa ſit Maria, vnde cognoſcitur, quã potens ſit Deus, eò quòd ipſe fecerit quæcũ-

(s) *In Catena aurea Lucæ* 1.

que

que in illa potuit. Quòd ſi ijs illuſtrationibus multum deferre nolis, quoniam nimiùm ſubtiliter, nec ita ſolidè tibi videntur excogitatæ, habes ſuperiùs expenſa, & oppidò adiungenda, quæ præfatum Canonem graviter ſuadent.

37 *Mariana decora communibus non ſunt trutinanda regulis, ſed per Dei omnipotentiam dimetienda.* Canon eſt Marianæ Dialecticæ cunctis Doctoribus gratus; ſed quem ſibi ſenſum vendicet, non vniſonè illi determinant; quibuſdam largiſsimè, non ita liberaliter alijs, alijſque nimis ſtrictè exponentibus: proximiorem verò præſenti inſtituto intelligentiam edocuerunt hi magnæ authoritatis viri, quos ſubnecto. Subtiliſsimus Scotus. (t) *Excellentius tribuendum eſt Virgini, quotieſcunque non repugnat Sacra Scriptura, neque authoritati Eccleſiæ.*

(t) *In 3. diſt. 3. q. 1. §. ad quæſtionem.*

38 Pater Soarius. (u) *Concluditur myſteria gratiæ, quæ Deus in Virgine operatus eſt, non eſſe ordinarijs legibus metienda, ſed diuina Omnipotentia, ſuppoſita rei decentia, abſque vlla Scripturarum contradictione, aut repugnantia.*

(u) *Tom. 2 in 3. part. diſp 3. ſect. 5 §. Quinta ratio.*

39 Gabriel Vazquius. (x) *Quidquid dignitatis & honoris tribuere poſſumus Beatæ Virgini, minimè pugnans cum Sacra Scriptura, cum dignitate Filij, aut cum Eccleſiæ* Traditione, *abſque dubio ei tribuere debemus.* Subſcribunt complures alij, quorum verba longum eſſet exſcribere. Vnde deducta eſt argumentandi formula, qua frequenter vtuntur Doctores, concludendo hanc vel illam perfectionem Virgini à Deo conceſſam, eò quòd conceſiſſe non repugnet, & Virginem deceat. Quam arguẽdi normam ita commendat (y) Caramuel. *Hæc eſt Dialectica ſecuriſſima & efficaciſſima, qua plurimi Doctores vtuntur.*

(x) *Tom. 2 in 3. part. diſp. 117. cap. 7.*

(y) *Suprà.*

40 Sed maius ea accipit robur ex Sancto Auguſtino, qui illam obſervavit, & cæteris, vt arbitror, exemplo fuit: cùm enim de Virginei Corporis incorruptione (z) diſſereret, ſcripſit. *Quid ergo de Mariæ morte, quid de eius Aſſumptione dicendum eſt, vbi Diuina Scriptura nihil commemorat? Quærendum ratione, quod conveniat veritati.* At quas putas rationes adduxit Sanctus Doctor? Totus eſt in evincendo quòd Deus potuerit corpus Beatiſsimæ Virginis incorruptum ſervare, & inde, ſuppoſita rei decentia, ita factum concludit, ſubiungens. *De cuius poteſtate, ſi nullus dubitat Eccleſiaſticorum, quin poſſet Matrem ſine corruptione in perpetuum ſervare, cur dubitandum eſt, voluiſſe quod attinet ad tantæ benignitatis gratiam?* Suadet igitur Auguſtinus, Deum ita voluiſſe corpus Matris ſuæ

(z) Tom. 9 *Hom 4. de Aſſumpt.*

exor-

Digitized by Google

exornare, quia ita facere potuit, hanc-confirmans Dialecticam: *Potuit in Maria: ergo voluit: ergo fecit.* Aſtipulatur Sanctus Thomas, (*a*) Auguſtinianam procedendi rationem adducens, vt probet Sanctiſsimam Virginem in vtero ſanctificatam.

(*a*) 3. *part. quæſt.* 27. *art.* 1. *in corp.*

41 Præſparſas doctrinas ad ſummam nunc redigendo infero: ergo Virgini Mariæ tribuere debemus, quidquid tribuere poſſumus, quod eius augeat perfectionem, ſi ex adverſò nec militet tanti ponderis ratio, cui prudenter reſiſtere nequamus, nec militet firmum teſtimonium. Ergo ſervatis ijſdem limitationibus tribuere debemus Virgini quidquid in illa Deus potuit. Hæ conſequentiæ ſua ſponte deſcendunt ex iactis doctrinis, eaſque ſimul cum prædictis canonibus in eundẽ trahunt ſenſum. Atqui Venerab. Abbatiſſa non intelligit verba illa: *Voluit illi dare quidquid potuit:* abſque eiſdem moderationibus, ſed eas obvijs manibus amplectitur; vt manifeſtè convincitur ex progreſſu totius operis, in quo interdum plura negat Virgini dona, quæ reverà ipſi potuit Deus conferre; & negat quidem, quia veritati & facto oppoſitum adverſatur: ergo Venerab. Abbatiſſæ propoſitio Cenſuræ obnoxia non eſt, ſed probabilibus Marianæ Theologiæ regulis conſentit.

42 Quamobrèm innoteſcit quàm frigida, quàmque ieiuna ſit obiectio Cenſorum. Conſtat, inquiebant, Virgini non revelatum fuiſſe myſterium Incarnationis quoad circunſtantiam Maternitatis illius, vſque ad tempus, quo peractum eſt: conſtat etiam Sanctiſsimam Virginem neſciſſe, Filium ſuum remanſurum in Ieruſalem inter Doctores: quæ tamen potuit Deus illi revelare & aperire. Sic & potuit eam Deus liberare, nec liberavit, à gladio, qui animam illius pertranſivit: ergo non conceſsit Deus Virgini quidquid potuit: ergo non quidquid potuit, voluit illi dare, cuius oppoſitum enunciat Venerab. Abbatiſſæ propoſitio; quæ proinde Evangelicæ doctrinę contradicit, quòd ex Evangelio prædicta conſtent.

43 Apparet, inquam, ridiculum admodùm hoc eſſe argumentum. Imprimis enim ſic validè retorquetur. Ergo Adverſarius Evangelicæ doctrinæ Sanctus Anſelmus, qui, Virginem alloquens dixit: *Omnia tibi ſecum poſſibilia eſſe donavit omnipotens Deus.* Ergo Evangelicæ doctrinæ contrarius Ambroſius Spiera; qui dixit: *Ex quo Virgo incæpit eſſe Mater Dei, mox in illam omnes gratiæ poſſibiles Humanæ creaturæ cum benedicto Verbo pariter deſcenderunt:* cùm in illam non deſcenderit tunc cognitio futuræ manſionis

Digitized by Google

Filij in Ieruſalem inter Doctores; quæ quidem donum gratiæ erat humanæ creaturæ poſsibile. Ergo Adverſarius Evangelicæ doctrinæ Sanctus Thomas à Villanova, quòd dixerit. *De his* (donis, gratijs, & virtutibus) *quid dicere poſſumus, niſi quòd illi datum eſt, quantum capax eſt pura creatura*? Cùm data non fuerit Virgini prænotio dictæ futuræ manſionis Filij in Ieruſalem, cuius capax fuit. Pariter de alijs diſcurrere poſſem, ſed libens abſtineo, quia dicta ſufficiunt.

44 Porrò deductæ conſequentiæ tenent, ſtando Dialecticæ Cenſorum; verum tamen quis prudens & ſapiens illas admittet? Nullus profectò. Quia propoſitiones illæ, aut ſimiles, prolatæ à viris Catholicis, & de Religione Chriſtiana optimè meritis; vniverſaliſsimam verbo tenus referunt amplitudinem; & ſubauditas, niſi oppoſitum aliunde appareat, ſecum afferunt moderationes opportunas, vt verbo Dei debita ſervetur reverentia; atque adeò contradictionis cum Evangelica doctrina nequibunt iuſtè inſimulari propter ſignificationem terminorum ſuapte natura ampliſsimam. Id quod maximè vrget, cùm deveniendo ad exceptas propoſitiones ex verbo Dei notas, eas amplectitur Author, nec oppugnat: tunc enim non iam tacitè ſolum & ex benigna, eaque debita, preſumptione, vniverſalis limitatur propoſitio, ſed expreſsè etiam.

45 Sic accidit in præſentia: quoniam Venerab. Abbatiſſa infinities, præſertim à cap. 1. vſque ad 11. partis 2. docet, Sanctiſſimam Virginem ignoraſſe vſque ad tempus Incarnationis Verbi circunſtantiam ſuæ Maternitatis, nunquamque ſe Dei Hominis futuram Matrem cogitaſſe. De manſione Filij in Ieruſalem inter Doctores latè agit 2. p. lib. 5. cap. 4. & 5. confitens, illam non prævidiſſe Beatiſsimam Virginem, ſatiuſque id fuiſſe ob inſigne meritum, quod illi occaſione huius ignorantiæ accrevit, ſummum dolorem in triduo perditi Chariſsimi Filij, & Dei ſui, æquo animo, & conſtantiſsimè perferendo. Prophetiam Simeonis: (*b*) *& tuam ipſius animam pertranſibit gladius*: refert ibidem lib. 4. cap. 20. exponens, ex hoc gladio eximia Virgini proveniſſe bona meritorum, & augmenti ſpiritualis perfectionis: & familiare valde eſt Venerab. Antiſtitæ quaſdam negare Sanctiſsimæ Virgini gratias gratis datas, quum inde Sanctiſsima Virgo maioris meriti occaſionem ſibi comparabat, quumque aliæ inſtabant rationes talium gratiarum conceſsioni præponderantes, ſpectatis diverſarum virtutum exercitijs, quæ Deus, iuxta altiſsima ſua Conſilia, à

(*b*) *Lucæ 2. v. 33.*

Vir-

Digitized by Google

Virgine pro varietate temporum requirebat.

46 Nec ſatis mirari poſſum, Cenſores crudè adeò, atque dure interpretari propoſitionem Venerab. Abbatiſſæ, cuius primã Operum partem, in quam animadvertunt, luſtrarunt; ibi enim identidem negat Venerab. Mater aliqua dona Sanctiſsimæ Virgini, quæ ipſi Deus conferre potuit: quo manifeſtè ſignificat, præfatam propoſitionem non ita largè, vt ſonat, accipiendam, ſed quaſdam pati limitationes; eas videlicet, quæ Verbo Dei, & veritati alia via notæ, conſonant. Sed Cenſores nihil minùs curant, quàm ea indagare, vnde, ſiquæ occurrunt in ſpeciem difficilia, legitimum & ab Authore intentum ſenſum comparare poſſunt: quam negligentiam perſæpè Patres ſeveriſsimè reprehendunt in ijs, qui de aliorum libris, & dictis, dijudicant. *Vide §. ſequentem à num. 60.*

47 Pariter demiror Cenſorum dialecticam, quæ puerorum ingenio potiùs, quàm gravitate Doctorum Pariſienſium digna eſt; quæque, ſi Venerabilem Matrem premit, ferè cunctos quoque Sanctos PP. alioſque Doctores pungeret, vtì indicavi num. 43. & promptum cuique erit comprobare, ex illis repetendo vniverſaliſsima verba, quibus Virginis excellentiam declamant: quaproptèr aut Venerab. Matris doctrinam neceſſe eſt liberam dimittant, aut vnà cum illa omnes ferme Scriptores damnent, eam ita promerendo reprehenſionem, qua cum ſale invehebatur Hieronymus (*c*) in quendam ſui Cenſorem. *Quid agis, ò columen literarum, & noſtrorum temporum Ariſtarche, qui de vniverſis ſcriptoribus ſententiam feras?*

(*c*) *Epiſt.* 101.

§. III.

VENERAB. MATRIS PROPOSITIO PENITVS declaratur.

48 MVlta in præcedentibus dedi, vt oſtenderem, formam loquendi vſurpatam à Venerab. Matre, atque à Pariſienſibus notatam, neque abſurdam eſſe, neque adverſam vſitatis locutionibus graviſsimorum Doctorum: quorum teſtimonia inde validiùs illam confirmant, quod ferè omnia à ſuis Authoribus proferantur, vbi non rethoricæ aut concionatoriæ indulgent licentiæ, ſed morem ſcholaſticum obſervant: modò verò medullitus veſtigandus eſt ſenſus confixæ propoſitionis, eam etiam cum alijs Venerab.

Authoris componendo: quo demonſtrabitur non vno, quin pluribus etiam nominibus, latas Cenſuras evadere.

49 Hæc eſt propoſitio, prout iacet in Opere, cum ſubſequentibus, quæ omiſſerunt Cenſores. *Baxò adornada, y preparada para Dios, que la diò todo lo que quiſo, y quiſo darla todo lo que pudo, y pudo darla todo lo que no era ſer Dios; pero lo mas inmediato à ſu Divinidad, y lo mas lexos del pecado, que pudo caber en pura criatura.* Nempè: *Deſcendit ornata, & præparata Deo, qui quidem dedit illi quidquid voluit, & voluit illi dare quidquid potuit, & potuit illi dare quidquid non erat eſſe Deum* (hîc ſiſtunt criminatores) *ſed Deo immediatius, & à peccato remotius, quod pura creatura capere potuit.* Ergo voluit Deus id conferre Virgini infra eſſe Deũ quo nihil Deo immediatius, nihilque à peccato remotius reperiri potuit in pura creatura: quæ conſequentia legitima eſt, & in ſe ipſam reſoluit totum, quẽ præferunt, ſenſum poſtrema verba à Cenſoribus prætermiſſa. Sed hæc omnia, ſive in ſe ipſis conſiderata, ſive comparata cum alijs doctrinis Venerab. Abbatiſſæ, nihil non verum, nonque commendandum continent: ergo Cenſuris Pariſienſium obnoxia non ſunt. Totum negotium devolvitur ad minorem, ſed eam evinco multiplici propoſitionis ſuffixæ expoſitione.

50 Primùm. Verba à Cenſoribus relata non denotant, Deum voluiſſe Virgini conferre quidquid, ſeu cuncta, quæ abſolutiſsimè, & de abſoluta ſua potentia, potuit illi conferre. Hoc demonſtrant ſubſequentia, quæ adieci verba: *quod capere potuit pura creatura*: Deus enim potuit Virginem ad altius evehere eſſe, eam ſibi hypoſtaticè vniendo. Demonſtrant etiam verba illa *præter non eſſe Deum*, quæ nedum excipiunt *eſſe Deum* per identitatem quod omninò Virgini repugnat, ſed etiam *eſſe Deum* per vnionem, vt totus manifeſtat contextus, quod tamen Virgini conferre poterat Deus de potentia abſoluta.

51 Deinde, nec verba à Cenſoribus tranſcripta ſignificant, Deum voluiſſe Virgini concedere quidquid, eam relinquendo puram creaturam, nec ſibi vniendo, de potentia abſoluta conferre potuit: ne ita ſignificant, limitando *ly quidquid* ad augmentum gratiæ ſanctificantis, virtutum, & donorum eam conſequentium. Vtramque partẽ probat limitatio in hac 1. parte Operis, & in reliquis, à Venerab. Matre inducta, identidem aliqua negante Virgini, quæ ſanè Deus elargiri potuit. Et inſuper ſimul comprobant aperta alia teſtimonia eiuſdem Matris.

Se-

Digitized by Google

52 Secunda part. num.84. inducit Virginem ita loquentem. *Filia, penetralia Altiſſimi ſunt penetralia Regis divini,& Domini Omnipotentis,& ideò continent prætioſa monilia abſque numero, & menſura ad ornatum ſponſarum, & electarum ſuarum: & quemadmodum meã ditavit ille animam,poſſet & alias innumeras ditare;& tunc adhuc infinita ſupereſſent;*ornamenta videlicet nedum numero infinita, ſed & in infinitum ſe excedentia in perfectione, & augmento; quatenus denotant verba ea, *abſque numero, & menſura.*

53 Eadem parte num. 83. vbi Venerab.Mater,poſt memorata auctiora,& auctiora ſanctitatis ornamenta, quibus paulò ante Incarnationem ſucceſsivo fluxu decoraverat Deus Sanctiſsimam Virginem, quaſi prima fronte id creditu difficile eſſet, eò quòd illorum quodlibet ornamentorum magnum ita evaſerit, vt maius ſupereſſe non videretur, prout in ſimili explicat num. 781.ſubiunxit, huiuſmodi augmentum nec repugnare ex parte Divinæ potentiæ, quæ infinita eſt, nec ex parte ſanctitatis, quæ in immenſum augeri poteſt, ita vt qualibet data maior, & maior ſuperſit abſque termino, & fine. Huius emphaſis ſunt illius verba, quæ repræſento. *Hoc locum habet, & ſpectata infinita Dei potentia, & ſpectato immenſo perfectionis,& ſanctitudinis campo, vbi multa ſemper addenda ſuperſunt.* Videſis manifeſtum aliud teſtimonium 3.p. nu.657. & alia ſæpenumero per integrum Opus occurrentia.

54 Sufficeret certè, tametſi cætera deficerent, quòd Venerab. Mater perpetuò & infinitis locis, 1.partis & reliquarum,docet,ſanctitatem Virginis Mariæ inferiorem eſſe ſanctitate Chriſti non modò ſubſtantiali, ſed etiam habituali, & accidentali; ſed hæc de potentia abſoluta Dei augeri poteſt,& ipſi æqualis, aut etiam maior reperiri in pura creatura; vt fert probabilior atque communior Theologorum ſenſus, nec negat alicubi Venerab. Mater; imò potiùs loco ex 3. parte proximè memorato affirmandi rationem ſcienter attigit: videlicet, quòd hæ & ſimiles perfectiones in quocunque gradu pruductæ finitæ ſunt,& terminis circumſcriptæ, atque adeò non exhauriunt Dei omnipotentiam in quovis genere infinitam,& conſequenter non impediunt,quominus Deus perfectionis augmentum, & augmentum addere poſsit ſine termino in infinitum: ſicuti quantitatis infinitæ ad finitam fieri poſſet additio ſine termino in infinitum. Ergo Venerab. Mater minimè docet, Virgini tantam collatam ſanctitatem, vt maiorem ipſi concedere non poſſet Deus de potentia abſoluta, eam etiam relinquendo in ſtatu puræ creaturæ.

Digitized by Google

55 Vnde & quæ ſupra reluti à num. 2. intelligenda ſunt infra Dei abſolutam potentiam, de gratia videlicet & ſanctitudine, atque virtutum perfectione eximia quidem, ſuperiore omnibus alijs ſimul ſumptis cæterarum creaturarum, et qua maior ſecundum præſentem providentiam in pura creatura reperiri non poſsit; veruntamen non tanta, vt auctiorem abſolutè Deus impertiri nequeat puræ creaturæ; conetur licèt Pater Cardenas (*a*) in oppoſitum ſenſum prædictorum Patrum, & DD. teſtimonia detorquere.

(*a*) *Suprà diſp.* 2.

56 Quare perplacet mihi Sanctus Thomas, qui (*b*) plenitudinem gratiæ, Sanctiſsimæ Virgini conceſſam, ita cautè deſcripſit. *Dicendum, quòd Beata Virgo dicta eſt plena gratia, non ex parte ipſius gratiæ; QVIA NON HABVIT GRATIAM IN SVMMA EXCELLENTIA, QVA POTEST HABERI* (à pura vtique creatura) *nec ad omnes effectus gratiæ, ſed dicitur fuiſſe plena gratia per comparationem ad ipſam: quia ſcilicet habebat gratiam ſufficientem ad ſtatum illum, ad quem erat electa à Deo, vt eſſet ſcilicet Mater Dei.*

(*b*) 3. *part. quæſt.* 7. *art.* 10. *ad* 1.

57 Et alibi (*c*) reſpondens argumento, quo intendebatur, noposſe Deum de potentia abſoluta producere puram creaturam meliorem, & ſanctiorem Virgine Maria, id negat, rationem adijciens. *Bonitas intenditur per acceſſum ad terminum, qui in infinitum diſtat, ſcilicet ſummum bonum: vnde quolibet finito bono poteſt aliquid melius fieri.*

(*c*) *In* 1. *diſt.* 44. *q.* 1. *art.* 3.

58 Sanctus Thomas à Villanova, vnus è Doctoribus ſuprà appellatis, & qui in Virgine laudanda, atque commendanda nulli primas defert, poſtquàm illam pulcherrimam eſſe, ſpecioſiſsimam &c. confitetur; omnibus gratijs, perfectionibus, virtutibus inſignitam depingit, hanc veluti epitomen (*d*) conficit. *Denique, cuiuſcunque virtutis SECVNDVM LEGEM ORDINARIAM* (nempè, ſecundum præſentem providentiam) *eſt capax pura creatura, totum fuit in hac Virgine glorioſa.* Qua cautione, *ſecundum legem ordinariam*, clarè ſignificat ita & non aliter ſuſcipienda, quæ de magnitudine gratiæ, gloriæ, & virtutum Sanctiſsimæ Mariæ dixerat, & exſcripta dedi num 14.

(*d*) *Serm.* 3. *de Nativit. Virg.*

59 Accedo iam, vt confixæ propoſitionis proprium, & genuinum aperiam ſenſum. *Dedit illi quidquid voluit; voluit illi dare quidquid potuit:* Ergo dedit illi quidquid potuit: legitima illatio, & quia in hoc conſequenti tota vertitur offenſionis occaſio ipſum exponendum ſuſcipio moderationibus, Theologis familiaribus, nec à Venerab. Abbatiſſa prætermiſsis.

De-

Digitized by Google

60 *Dedit illi quidquid potuit*: demptis, quæ Virgini conceſſa affirmare, Catholicæ diſſonat veritati. Eam enim regulam, & cautionem diſertis terminis tradidit Venerab. Abbatiſſa 3. part. ſui Operis num. 39. *Nullus favor*, inquit, *& gratia quàmlibet magna, neganda ſunt illi* (Virgini) *quæ vnica & ſingularis exiſtit, dummodo id non repugnet Catholicæ veritati.* Quem eundem canonem graviſsimorum Theologorum conſenſu comprobatum habes à num. 37.

61 *Dedit illi quidquid potuit.* Nempè, impertivit Virgini quæ-tum ſanctitatis, virtutum, & gloriæ augmenti potuit, infra gradum conſimilium perfectionum Chriſti Humanitatis. Quod nulla non fere pagina & perpetuò animadvertit Venerab. Antiſtita, ſtatuens, Virginem Mariam excelſiſsimis infulatam ornamentis, infra Chriſtum tamen, eo ſcilicet ordine, vt digna ſit, quæ ſub Chriſto celebretur *veluti pura creatura, ſed Deo Homini immediata.*

62 Quo pacto Venerab. Abbatiſſa explicatiſsimis ſe expoſuit vocibus 2. part. ſui Operis num. 1615. vbi eandem cum proſcripta interſerit propoſitionem. *Cùm homines*, ait, *in hac vita mortali non plenè aſſequantur dignitatem Matris, & amorem, quo erga eam flagravit, & flagrat Filius ſuus, nec meritorum & ſanctitatis apices, ad quos eam evexit; propterea limitant Dei Omnipotentiæ influxum, non concedentes Matri quidquid ille potuit: id enim fuit totum, quod voluit.* Et paucis interpoſitis quomodo hæc ſint intelligenda declarat, eodem num. ſubiungens. *Regula generalis eſt, quòd nullam gratiam, nullumve beneficium, & donum, negaverit Matri ſuæ, ex ijs, quæ ei conferre potuit, ita vt redundarent in ipſius ſanctitatem, & gloriam, infra gloriam, & ſanctitatem Humanitatis Chriſti.* Quā quidem doctrinam confirmatam, & illuſtratam habes §§. præcedentibus.

63 *Dedit illi quidquid potuit.* Id eſt, Virginem evexit Deus ad ſupremam perfectionem, quam ſecundum ſapientiæ ſuæ leges de facto ſtatutas conferre poterat puræ creaturæ; ita vt cunctis alijs ſuperior exiſtat, maioraque gratiæ decora ſuſceperit, quàm cæteris alijs puris creaturis, etiam ſimul ſumptis, valuerit Deus iuxta præſentem rerum ordinem à ſe ſtabilitum elargiri; quod quidem verum eſt, paſsim à Theologis illuſtratur, & non improprium confert ſenſum verbis illis: *Dedit illi quidquid potuit.* Hanc etiam doctrinam frequenter inculcat Venerab. Abbatiſſa.

64 *Dedit illi quidquid potuit.* Quorſum hæc? Audias ſubſequen-

Digitized by Google

quentia: *Et potuit illi dare quidquid non erat eſſe Deum, ſed Deo immediatius, & à peccato remotius, quod in pura creatura reperiri potuit.* Iſta certè exponunt priora illa verba, & perinde omnia ſe habent, ac ſi Venerab. Mater dixiſſet: *Deus appropinquavit ſibi Mariam, & à peccato elongavit, quantùm potuit puram creaturam*: id quod optimè dicitur. Siquidem Venerab. Mater loquitur de potentia Dei, vt attemperata præſenti rerum ordini à divina Sapientia conſtituto: alioqui nunquam eam adhibuiſſet exceptionem, *quidquid non erat eſſe Deum*, qua, vt ſupra expendebam, negatur eſſe Deum per vnionem hypoſtaticam humanitatis cum Deo; quam vnionem proculdubiò potuit Deus Virgini conferre de potentia abſoluta, & ex ſe non alligata præſentis providentiæ regulis, liberè à Deo de facto ſtatutis & determinatis. Atqui ſecundum præſentem rerum ordinem nullam potuit Deus creaturam magis ſibi appropinquare, & à peccato elongare, quàm Sanctiſsimam Matrem ſuam: cùm determinaverit, & legem tulerit de nulla alia ſuperiùs exaltanda: ergo Deus ſibi Matrem ſuam appropinquavit, & à peccato elongavit, quantùm potuit puram creaturam ſecundum præſentem rerum ordinem à ſe ſtabilitum.

65 Adhæc: per eſſe divinitati immediatius intelligi non incongruè poteſt dignitas Maternitatis, & per eſſe à peccato remotius intelligitur non admiſsio culpæ: Atqui in nulla pura creatura inveniri aut cogitari poteſt dignitas immediatior Deo, quàm Maternitas, nec maior non admiſsio culpæ, quàm nullius peccati contractio: ergo cùm vtrumque hoc privilegium dederit Deus Virgini Mariæ, dedit ei eſſe immediatius Divinitati, & à peccato remotius, quod in pura creatura reperiri valet: ergo ex his capitibus contulit Matri, quantùm conferre potuit puræ creaturæ: quod ſatis, ſuperque eſt ad veritatem propoſitionis integrè acceptæ, quam Venerab. Abbatiſſa conſcripſit.

66 Hactenùs dicta illuſtrantur ſummopere conſideratione quadam Sancti Anſelmi, compoſita cum Venerab. Antiſtitæ verbis. Argumentum, quod verſat Venerab. Mater num. illo 251. vnde excerpta fuit ſuffixa propoſitio, totum in eo vertitur, quòd Altiſsimus futuram ſuam Matrem ad id munus præparaverit eximijs gratiæ decoribus, ditiſsimis virtutum monilibus, prætioſiſsimis donorum ornamentis; vtque quouſque Deus tantarum divitiarum acceſsiones cumulaverit, ac quouſque ſuas exeruerit vires in futura ſua Genitrice locupletanda dignoſcatur, adiunxit Vene-

rab.

rab. Abbatiſſa verba ea: *Deſcendit ditata & præparata Deo, qui dedit illi quidquid voluit, & voluit illi dare quidquid potuit.*

67 Eidem incumbentem argumento invenio S. Anſelmum,(e) cuius gravia verba abſque iniuria non reticerem. *Inter homines vſus obtinuit, ſi tamen cœleſtium ad terrena poteſt eſſe comparatio vlla, vt, cùm Præpotens aliquis & Perſona dives aliquò vadit hoſpitaturus, clientes præcurrant, vt locum muniant, mundent, ornent, & cuſtodiant; quo venienti Domino ſuo aptatus ad habitandum, & congruus fiat. Quòd ſi talis apparatus fit pro adventu terreni hominis, & momentaneæ poteſtatis, QVALIS APPARATVS OMNIS BONI putamus fiebat pro adventu Cœleſtis Regis, & Æterni, in corde Sacratiſſimæ Virginis?* Perpende energiam eorum verborum, *qualis apparatus omnis boni*, non minorem præferentium amplitudinem, quàm Venerab. Antiſtitæ verba: *Dedit illi quidquid potuit*; & pariter ſubiacentium malè materiatis cavillis, quæ adverſus eiuſdem Abbatiſſæ propoſitionem machinati fuere Cenſores.

(e) *De Excell. Virg. cap.* 3.

68 Demonſtratum igitur manet, Venerab. Abbatiſſæ propoſitionem, prima licèt ſpecie ampliſsimam, pluribus coarctari limitationibus, veritati conſentaneis, & quibus invicè compoſitis abundè, nedum ſatis, diruuntur argumenta, & Cenſuræ Pariſienſium. Relegantur moderationes toto hoc §. expenſæ, & inſinuatæ nu. 45. Venerab. Abbatiſſæ familiares: quibus addere poſſem alias in eius Opere paſsim obvias. Vnde compertum ſit, Cenſores, nimio rigore correptos, abiectaque cura indagandi ex cohærentibus legitimum præfati aſſerti ſenſum, illud inique damnaſſe; vnà proſcribendo cunctos aut prope cũctos Theologos, quippè eorum teſtimonijs comprobatum & ſuffultum: quocirca in ſingulos Cenſorum appoſitè detorqueo, quæ olim Hieronymus (f) quendam refutans Adverſarium ſcribebat. *Si res ad probationem venerit, & impudentiam frontis oppreſſerint teſtimonia plurimorum* (vti factum eſt) *palinodiam Stheſicore more cantato.* At quid ſibi vult *Stheſicore more*? Marianus Victorius (g) ita exponit: *Stheſicorus Poeta, cùm vituperatâ Helenâ oculis orbatus eſſet, eam rurſus laudavit, & ſic oculos recepit.* Applicationem vivido committo Lectori.

(f) *Lib.* 1. *Adu. Ruffinum.*

(g) *Scholio* 12.

§. IV.

§. IV.

CENSVRARVM VITIA EXACTIVS *aperiuntur.*

69 DEputatorum & Facultatis Cenſuræ omnino ſibi conſonant, & ijſdem propterea ſunt obnoxiæ criminibus: nec Deputatorum iudicium ex aliorum acceſsione Doctorum quidquam roboris aſſequitur; quoniam, optimè affirmante (*a*) Hieronymo, *peccantium multitudo non parit errori patrocinium.* *Cum ea*, inquiunt, *dona Deus Beatiſſimæ Virgini contulerit, quæ ſecundum ordinem Sapientiæ ſuæ illi conferre decebat.* Verum id eſt, at intempeſtivè aſſumptum ad Cenſuras colorandas, imò tanquam vnum ex fundamentis, quibus ducuntur, vt Venerabilis Matris propoſitionem ſuffigant: illa etenim minimè oppugnat, quin manifeſtè docet, ea Deum Virgini Mariæ contuliſſe dona, quæ ſecundum ordinem Sapientiæ ſuæ illi conferre decebat: ſed quanta hæc fuerint dona, quodammodo exponit ſubijciens: ſecundum ordinem divinæ Sapientiæ conferri decuiſſe, quidquid Deus potuit: quatenus pronuper explicui.

(*a*) *Epiſt. 56. ad Ruffinum.*

70. Quòd ſi ideò Cenſores putant, Venerab. Antiſtitam traducendam veluti divinæ Sapientiæ ordinem deturbantē, traducant Sanctum Thomam, qui (*b*) vtpotè Marianus diſcipulus, & Angelicus Doctor, nec magis dicere potuit, nec minus dicere debuit, quàm *quòd in Beata Virgine debuit apparere omne illud, quod perfectionis eſt*: quæ verba non minorem exprimunt latitudinem quàm Venerab. Matris propoſitio. Traducant quoque complures alios PP. imò & omnes prope Theologos, quippè, vt ex ſuperiùs datis conſtat, in eiuſdem Matris ſenſum conſentiunt, ijſdem, vel diverſis terminis expreſſum. Tot autem ac tantis viris ſuccenſuros Pariſienſes hos non credam, niſi (quod Deus avertat) incurrere velint Cenſuram à Sancto Hieronymo (*c*) latam de librorum ſuorum quibuſdam obtrectatoribus. *De eo* (aiebat) *audent iudicare, quod neſciunt.... eruditoſque ſe exiſtimant, & diſertos, ſi de cunctis ſcriptoribus detrahant.*

(*b*) *In 4. diſt. 30. q. 2. art. 1. Quæſtiunc. 1. in corp.*

(*c*) *Proœ. lib. 9. comment. in Eſaiam.*

71 *Et in Evangelio manifeſtum ſit, non omnia ei contuliſſe, quæ conferre potuit.* His verbis aliud ſignant Cenſores fundamentum, quo nixi propoſitionem damnarunt; ſed æquè importune id obtendunt

dunt ac præcedens: quoniam Venerab. Antiſtitæ verba eas ſecum ferunt moderationes tùm tacitè, tùm expreſsè, vt antea expendebam, quæ debitam verbo Dei fidem commendant, nec vllatenus exagitant. Et quidem ſi Cenſorum nova Logica vti fas eſt, cunctos in Scriptores licebit animadvertere, quippè qui creberrimè in hac & ſimilibus materijs non dimiſsiliter quàm Venerab. Antiſtita loquuntur.

72 Præterquàquod canon eſt firmus & ſolidus Marianæ Dialecticæ: *Nulli puræ creaturæ communicatum, aut communicari poſſe ex vi præſentis providentiæ donũ quodpiam ex iis, quæ ad ſanctitatẽ ac puritatem animæ, maioremque cum Deo coniunctionem, pertinent, quod non ſit communicatum Deiparæ.* Videſis Theophilum Raynaudum. (d) Quo convincitur, Deum voluiſſe Virgini, ac dediſſe, quæcunque huiuſmodi dona puræ creaturæ conferre potuit ſecundum præſentem rerum ordinem, à divina Sapientia ſtabilitum; & patefit (vltra ſuperiùs dicta) Venerabilem Abbatiſſam id, & non aliud, ſua propoſitione proferentem, Evangelio nulla ratione adverſari; vbi hactenùs nemo Catholicorum intellexit præfatæ claſsis donum aliquod Beatiſsimæ denegari Virgini; & ſolùm Hæretici ibidem negari impudenter contendunt, eandem Virginem in Evangelio infidelitatis, arrogantiæ, &c. accuſari procaciter affirmantes.

(d) *In Diptychis Marianis. Cautione* 3.

73 *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, & Evangelicæ doctrinæ, contraria.* Hæccine probra traditis doctrinis omninò concidunt, adeò male ſubſtructa ſunt: at pro maledictis nolo maledicta reddere, & adverſarios talione mordere; quinimo ſequutus S. Anſelmi exemplum, id Cenſoribus Venerab. Antiſtitæ doctrinæ accidere cupio, quod contigiſſe lætus (e) narrat idem S. Doctor nonnullis Theologis, ipſius quandam doctrinam nimis accelerata reprehenſione inſequutis: *Qui tamen*, inquit, *nunc cognoſcunt, ſe non conſideratè reprehendiſſe, & hac occaſione, quod priùs non animadvertebant, gaudent ſe cognoſcere.*

(e) *Lib.* 1. *Epiſt.* 74.

ARTICVLVS XJ.

NVm. 252. *Denuntio ſemel, & ſæpius ex vi veritatis & luminis, in quo video myſteria iſta ineffabilia, omnia privilegia, gratias omnes, omnes prærogativas, &*

Digitized by Google

omnia dona conceſſa puriſſimæ Mariæ, ipſa Matris Dei dignitate non excepta, pendere & ducere originem, ſecundum eam, quæ ſit mihi, manifeſtationem, ab eo quòd fuit immaculata, & plena gratia in Conceptione ſua puriſſima; ita vt abſque hoc privilegio cætera omnia imperfecta viderentur, & veluti magnificum ædificium abſque fundamento ſolido & proportionato.

CENSVRA DEPVTATORVM.

HÆc *doctrina, quæ dogmata de Sanctiſſima Virgine, ad Fidem Catholicam pertinentia, vt Dei Maternitatem, perpetuam eius Virginitatem, pendere facit à ſententia, quæ de Fide Catholica non eſt: falſa eſt, temeraria, & Fidem in Conciliis ſtabilitam infirmans.*

SVPPOSITITIA FACVLTATIS CENSVRA.

QVamvis *Facultas Theologiæ Pariſienſis tenuerit, & teneat, Sanctiſſimam Virginem fuiſſe in ſua Conceptione à labe originalis peccati præſervatam, tamen hæc doctrina, quæ dogmata de Sanctiſſima Virgine ad Fidem Catholicam pertinentia, vt Dei Maternitatem & perpetuam Virginitatē, pendere aſſerit à ſententia, quæ de Fide Catholica non eſt, & ita pendere, vt alioqui fundamentum ſolidum non haberent, falſa eſt, temeraria, & Fidem in Conciliis ſtabilitam infirmans.*

ARTICVLVS XIJ.

NVm. 290. *Charitas illa erga Eccleſiam militantem magis eluxit in nocte, qua perfuſſa eſt Eccleſia Chriſto mortuo, per adminiſtrationem, quam habuit Regina illa initio Legis Evangelicæ, & per affectum ferventem, quo petijt, vt hæc lex & Sacramenta eius ſtabilirentur, cooperans omnibus.*

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA DEPVTATORVM.

H*Æc propoſitio falſa eſt, temeraria, & erronea.*

SVPPOSITITIA FACVLTATIS CENSVRA.

HVius Authores Cenſuræ tranſcriptam propoſitionem referunt ſuppreſſis verbis, *per affectum ferventem, quo petiit, vt Lex Evangelica & Sacramenta eius ſtabilirentur, cooperans omnibus*, & mutilatam hoc damnant iudicio. *Hæc propoſitio, quæ tribuit Sanctiſſimæ Virgini regimen Eccleſiæ, falſa eſt, temeraria, & erronea.*

DISSERTATIO X.

CRISIM CENSVRARVM CVM EARVNDEM caſtigationibus exhibeo.

MAximus Doctor Hieronymus ſibi iniurium adverſarium his depinxit (*a*) coloribus. *Vſque adeò ne obduraſti frontem, vt mendacium ponas ſpem tuam, & exiſtimes, te protegi poſſe mendacio, & quidquid finxeris tibi credendum putes?* Quibus num adumbrari quoque promereantur iſtorum Cenſores Articulorum, ſequentia diriment.

(*a*) *Lib.* 2. *adv. Ruff.*

§. I.

ARTICVLI VNDECIMI PROPOSITIO NVLLA eſt digna confixione.

1 ID vt exactè demonſtrem, placet ſub hac ſpecie præmittere argumentum à Cenſoribus non obſcurè inſinuatum. Fides divina omnem formidinem pellit, nec nutat, ſed intellectum penitùs certum conſtituit de obiecti crediti veritate; non ſic conſtitutura, ſi penderet ab opinione aliqua, aut, quod perinde eſt, ſi revelatam veritatem non crederet, niſi

Digitized by Google

prout coniunctam cum veritate aliqua opinabili, & probabiliter non certò, cognita: nam quemadmodùm opinio aſſenſus eſt formidoloſus, ſic & formidinem contraheret Fides, ſe attemperans opinioni, ipſique ſe ſubijciens; & ea de cauſa nec Fides divina eſſet, nec in ipſam divinum teſtimonium derivaret certitudinem, quæ Fidei divinæ propria eſt. Sed doctrina Venerabilis Abbatiſſæ Fidem divinam de Maternitate, & perpetua Sanctiſsimæ Mariæ Virginitate, pendentem facit ab opinione de immaculata eiuſdem Sanctiſsimæ Virginis Conceptione: ergo divinæ Fidei certitudinem extenuat, infirmatque. Imò etiam ſi non ab opinione, ſed à ſententia certa, at non æquè ac Fides divina, hæc pendens diceretur, vel tunc eius debilitaretur certitudo, quippè maior quàm illius ſententiæ.

2 Reſpondeo. Latæ Cenſuræ, iſque diſcurſus, Cenſores produnt aut impoſtores, aut indoctos, hallucinatoſue, vt hoc patefacio dilemmate: quoniam vel Abbatiſſæ Venerabili attribuunt, quòd dixerit, aſſenſum divinæ Fidei de Virginis Maternitate, & perpetua eius Virginitate, pendere à ſententia de immaculata Conceptione, & hoc apertiſsimum pariter ac impudentiſsimum eſt mendacium, cùm Venerab. Mater nullum ibi verbum faciat de Fidei divinæ aſſenſu, vti textus ipſe evincit. Vel putant, eiuſmodi dependentiam deduci ex connexione illa à Venerab. Matre inducta Maternitatis, perpetuæ Virginitatis, &c. cum immaculata Conceptione; & huiuſmodi illatio eſt novitia Dialectica, turpiſsima affecta ignorantia: quippè paſsim vniverſi Theologi obiectivas veritates, alioqui Fide divina creditas, connexas affirmant cum obiectivis veritatibus, opinione & aſſenſu probabili tantum cognitis, ab ipſiſque reverà & ex parte obiecti pendentes dicunt; quin propterea in hanc vſque horam quiſquam ſapiens & prudens reprehenderit & accuſaverit illos, velùti à ſuis opinionibus Fidem divinam pronunciantes dependentem: & meritò quidem; quia toto cœlo diſtant: Fidem divinam pendere ab opinione; & obiectivas veritates per illas attactas inter ſe dependentiam ſortiri, aut conecti, ſicque catenatas probabiliter aſſerere: ergo fœdiſsimæ ſeu inſcitiæ, ſeu impoſturæ, iuſtè Cenſores poſtulo, apertèque accuſant Cenſuræ ipſæ.

3 Conceſſa ergo maiore argumenti, nego minorem prorſus falſam, iuxta doctrinam proximè traditam & vberiùs illuſtrandam. Venerab. enim Mater exponit ſpecioſam ſtructuram & conſonantiam gratiarum Virginis Deiparæ, primam immaculatæ Concep-

tio-

Digitized by Google

tionis,valde intenſa exornatæ gratia, prærogativam appellans fundamentum, ſupra quod aptè ſtruxit Altiſsimus mirificum,& vltrà quàm dici poteſt ſtupendum ædificium Maternitatis,& cæterarum perfectionum ; ita Civitatis, in qua *Homo & Homo natus eſt* (*b*) fundamenta iaciens *in montibus ſanctis* : quemadmodùm pulchrè interpretantur Eximius Soarius (*c*) & alij Mariani Theologi crebrò: fundamentum autem primam obtinet ſedem, & ob id fundamentum nuncupatur , atque ab eo ſuperimpoſita ædificij moles pendet,& originem trahit; ideò nihil mirum, ſi Venerab. Abbatiſſa pronunciet,ab immaculata Conceptione cæteras Virginis Sanctiſſimæ excelſas gratias *pendere,& ducere originem.*

(*b*) *Pſal.* 86.
(*c*) *3. part. quaſt. 27. diſp. 4. ſect. 1. §. Quartò addo.*

4 Præterea: Maternitatem, aliaſque dotes gratia originali poſteriores, conceſsit Deus Matri ſuæ in adeò ſuperiori perfectionis gradu conſtitutas , vt alicuius ſaltem connaturalitatis iure exigerent fauſtum, ſanctumque Conceptionis initium : à quo & etiam eædem perfectiones,per ſe licèt magnæ,non modicum ſibi vendicarunt ſplendoris incrementum: quamobrèm ſi his Deus non annuiſſet,Virginem Mariam virulenta originis culpa ſordere permittens, benè ait Abbatiſſa Venerab. quòd *cætera omnia imperfecta viderentur* (animadverte cautiſsimam illuminatæ Scriptoris ſe explicandi formulam per verbum *viderentur*,quòd ſufficeret ad evertendam difficultatem,ſiquæ alioqui occurreret) *& veluti magnificum ædificium abſque fundamento ſolido & proportionato* : quippè tunc carerent originalis gratiæ fundamentario ſolo,& decore inde proveniente, maximè illis conſono , maximèque proportionato ; & eouſque herclè,vt frequenter Theologi diſertè doceant,illud Deum poſuiſſe, nec Virginem Mariam originali peccato illigari paſſum, vt hac via idoneam illam ſibi Matrem præpararet.

5 Hæc, quamvis ſuæ veritatis pondere perſtent , firmiora adhuc oſtendet conſenſus graviſsimorum Doctorum : quorundam tantummodo verba tranſcribam ; nam *dies me deficiet* (vtì aiebat (*d*) S.Hieronymus) *ſi omnium,qui ad ſenſum interpretati* (loquuti *ſunt, teſtimonia replicavero.* Agmen ducat Sanctus Anſelmus, (*e*) quo, deſipio,ſi quis alius opportuniùs effari potuit. *Adhuc*, inquit, *propone tibi Palatium , quod ſpecialiter ſuis vſibus aptum exſtat, conſtruere volentem , in quo & ipſe frequentiori & feſtiviori curſu converſetur,& omnibus ope eius,atque auxilio indigentibus,mitiori, & lætiori vultu reſpondeat , & auxilietur. Pateretur ne quaſo in principio Palatij fundamentum invalidum, & ſtructura, quæ foret adi-*

(*d*) *Epiſt. 91. de optimo genere interpretandi , ad Pammach.*
(*e*) *Lib. de Concept. Virg. Mariæ cap. 6.*

Digitized by Google

ædificanda, incongruum & non cohærens? Non puto, ſi ſaperet & propoſitum ſuum ad effectum perduceret vellet. Ergo Sapientiam ante omnia ſæcula propoſuiſſe ſibi habitaculum, quod ſpecialiter inhabitaret, conſtruere, ſimiliter indubitata Fide tenemus. Quod autem habitaculum iſtud fuerit, iam dudum innotuit; hoc enim habitaculum, illud ſacrarium Spiritus Sancti eſſe fatemur, in quo & per quod eadem Sapientia humanæ naturæ coniungi voluit, & incorporari; & omnibus ſe pura mente confitentibus parcere & miſereri. Quod ſacrarium, aula videlicet vniverſalis propitiationis, cùm operante Spiritu Sancto conſtrueretur, ſi fundamentum illius, ſcilicet initium, ſeu primordium formationis Beatæ Mariæ, corruptum fuit, ipſi certè conſtructuræ non congruebat, nec cohærebat. Nulla eget ponderatione textus, quem in eandem rem & ob eandem rationem exſcripſit (f) quoque Illuſtriſsimus Ximenius Samaniego, nec expendit.

(f) *Nota* 24.

6 Anſelmo conſonant Eximius Soarius, qui diſputans de magnitudine gratiæ initio deditæ ſubdit. (g) *Ad hunc finem* (Maternitatem) *Sanctificata eſt, & veluti ad hanc formam paulatim diſpoſita; ideò tantò perfectius initium habuit, quantò terminus & finis altior futurus erat: tantòque meliùs eſt diſpoſita, quantò propter meliorem formam: tantò denique meliora iacta ſunt fundamenta, quantò ædificium altiùs erigendum erat.*

(g) *Suprà.* §. *tertiò addo.*

7 Fridericus Nauſea (h) inquiens: *Ipſa fuit ſpeciale Dei Tabernaculum: ergo ſpecialiter præparandum: quale non fuiſſet, ſi ipſa in peccato originali extitiſſet.*

(h) *Hom.* 81. *Cent. primæ.*

8 Andreas Pintus Ramirez vehementiùs, ſcribens (i) hæc. *Maria in Matrem electa, ſi ſub culpa oriretur* (ortum vſurpat pro Conceptione) *ridiculum ſpectaculum exhiberet.* Quod per duos integros §§. multiplici eruditione de more ſuo politiſsimè ſuadendum aſſumit.

(i) *De Concept. Anthologia* 16. §§. 5. & 6.

9 Ergo Virgine Maria vitam auſpicante à Conceptione non illibata, ſed labe originali conſpurcata, Aula Regalis Incarnatæ Sapientiæ cógruo, & ſibi cohærente fundamento careret, ex Anſelmo nu. 5. Non quò altiùs Marianæ perfectionis ædificium erigendum erat, ad Maternitatem vſque Dei nimirum, eo meliora fuiſſent iacta fundamenta, nec ſic conſona præcurriſſent præludia, qualia exigebat clariſsima Maternitatis forma, ex Soario nu. 6. Tabernaculum Dei ſpeciale, non ſpecialiter foret præventum, vt expetebat, ex Friderico Nauſea num. 7. Ac tandem diſſonum Matri Dei reſponderet initium & plauſibus futuræ Genetrici conſentaneis

adver-

adverſarium, ex Pinto Ramirez nu. 8. Quæ omnia perinde ſonant ac Venerab. Antiſtitæ propoſitio,& eandem perſpicuè confirmant.

10 S.Thomas à Villanova.(k) *Non ſolum*,inquit,*quando puella, ſed quando parvula, Sanctiſſima, & in vtero Sanctiſſima, & in Conceptione Sanctiſſima; non enim decebat Sanctuarium Dei, Domum Sapientiæ,Reliquarium Spiritus Sancti,Vrnam mannæ Cæleſtis,vllam in ſe habere labem.*

(k) Serm. 3.de Nativit. Virg.

11 Gregorius de Valentia (l) ait: *Adeò decuiſſe præſervari divinitus à peccato originali Beatam Virginem, poſito quòd erat deſtinata ad tantam dignitatem,quanta eſt, eſſe Matrem Dei,vt contrarium meritò iudicari poſſit fuiſſe futurum indecorum.* Id quod alij Authores, benè multi, qui pro Immacula Deiparæ Conceptione ſcripſerunt, tertio quoque verbo teſtantur,inde grave eruentes argumentum: qua loquutione ſatis ſignificant,futurum,vt Dei Maternitas à conveniente ſibi perfectione deſciſceret,ſi Dei Mater ſordidum pateretur initium: atque adeò imperfecta eſſet, nedum *videretur*,quemadmodùm profert Antiſtita Venerab.

(l) 3.part. diſp.2.q.1. punct. 2. ver. Quarto probatur.

12 Totus Ordo Noſter (m) ab immemorabili tempore quotidie in Choro poſt Completorium orationem recitat de Conceptione Virginis, cuius hæc primà verba. *Deus,qui immaculatam Virginem Mariam, vt digna Filij tui Mater exiſteret, ab omni labe peccati in Conceptione ſua præſervaſti.*

(m) In quotidiana de Conceptione Virgin. Commemorat.

13 Theophilus Raynaudus Conceptionem Virginis in gratia probans (n) ait. *Nec verum erit* (ſi ita Virgo non fuit concepta) *quod ait Petrus Damiani Serm. 3. de Nativit. Virg.Talem creavit eam, vt dignè naſci potuiſſet ex ea.*

(n) In Dipty.his Marianis part 2. punct.2. num. 22.

14 Horum & præcedentium rationem docuit me (o) Sanctus Thomas de idonea Virginis præparatione ad Maternitatis munus obeundum effatus. *Dicendum, quòd illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat,& diſponit,vt ad id,ad quod eliguntur,inveniantur idonei.* Et poſt pauca. *Non fuiſſet autem idonea Mater Dei, ſi peccaſſet aliquando.* Vnde non peccaſſe infert. Et quanquam Sanctus Doctor de peccato tantummodo actuali Virgini negando concludat,magis piæ ſententiæ Authores illud deflectunt argumentum,vt evincant præſervationem etiam ab originali: quia hoc præpóderat actuali, ſaltem veniali, longèque eſt gravius exiſtimandum, ſive infectionis, ſive turpitudinis, ſive magnitudinis ratio habeatur: & hinc determinant,non fuiſſe futuram idoneam Dei Matrem Virginem Mariam, ſi originalem contraxiſſet culpam.

(o) 3.part. quæſt. 27. art. 4. in corp.

Mo-

Digitized by Google

15 Modò arguo. Ex prædictis conſtat: fundamentariam immaculatæ Conceptionis perfectionem à Deo præmiſſam, vt Virgo eſſet illius digna & idonea Mater; & quòd ſine illa nec digna, nec idonea Dei Mater extitiſſet;ſed inde perviè deducitur,abſque fundamentali illo decore dignitaté MatrisDei imperfectam evaſuram, dignoque ſibi & idoneo fundamento, aut, quod idem cenſetur, perfectionis initio carituram: alioqui ſine eo digna & idonea Dei quoque Mater conſtitiſſet,neque ad eius muneris dignitaté & idoneitatem fœlix illud deſideraretur auſpicium: ergo cùm id,& non aliud, dicat Venerab.Antiſtita, & moderatiùs quidem per verbum *videretur*, nihil ſua propoſitione enunciat, quod in communem Theologorum ſenſum non prorſus relabatur.Cenſores igitur Pariſienſes Venerab. Abbatiſſæ aſſertionem irreprehenſam dimittant, aliter namque doctrinam cunctis iam Theologis gratam ſe intelligant accuſare, nec querantur, ſi quis ipſis illud Hieronymi (p) occinat. *Inventæ ſunt Plautinæ familiæ,& ſcioli.... qui in eo ſe doctos oſtentare velint,ſi omnium dicta dilacerent.*

(p) *Ad Pămachium* Epiſt. 50.

§. II.

PRÆCEDENTIS §. ARGVMENTVM AD FInem perducitur.

16 OPponet forſan aliquis: dicta probare Abbatiſſæ Venerab. propoſitionem, prout Maternitatem non autem alias Virginis gratias ſpectantem: quoniam de illa, non de reliquis procedunt corrogata teſtimonia.

17 Reſpondeo. Si ſemel quod ad dependentiam Maternitatis ab immaculata Conceptione attinet, conceditur Venerabili Antiſtitæ, funditus corruit Cenſura, utpotè ideò confecta, quòd veritates de Fide Catholica pendentes conſtituantur à ſententia,quæ de Fide Catholica non eſt. Adhæc: reliquæ Marianæ dotes, teſtante communi Theologia, admetiendæ ſunt Maternitati, & intuitu ipſius obtinuere in Virgine Maria excellentiæ magnitudinem omnibus numeris abſolutam; à qua proinde quodammodo deficerent, decreſcente Maternitatis ſplendore, vtì decreſceret, non præmiſſa immaculata Conceptione,& à peccato præſervata. Relege num.4.

18 Oppones deinde. Theologi frequenter docent, Maternitatem

rem eſſe fundamentarium decus, & radicem cæterorum donorum Virginis, atque divinæ erga eam beneficentiæ: Venerabilis etiam Mater 2.part. Operis num.578. Maternitatem vocat excellentiam Virginis primariam, *& cæterarum fundamentum*: ergo eadem Mater nec veritate, nec ſecum, cohæret, modò ſtatuens, immaculatam Virginis Conceptionem fundamentum eſſe Maternitatis, & aliarum omnium Virginis gratiarum.

19 Reſpondeo. Hæc ſibi conſtant, nec vllam afferunt contradictionem: ſiquidem Maternitas apellatur fundamentum & radix aliarum Virginis dotum, non quaſi fuerit ordine exequutionis prima, vt per ſe eſt notum non fuiſſe; ſed quatenùs alias dignitate excedit, & intuitu ac ipſius gratia illas Deus Virgini dedidit; ita profectò vt cenſeatur metrũ, cui reliqua Virginis ornamẽta ſint admetienda, & regula determinandi, cùm de aliqua Dei erga Virginem largitate incidit ſermo. Immaculata Conceptio nuncupatur fundamentum alia valde ratione, quia nimirum ordine exequutionis prior, & veluti primus lapis, reliquam Sanctæ Dei Civitatis ſtructuram ſuſtinens, & ſuper quem eam Deus extruxit, & erexit. Hæc mens Theologorum, hæc Venerabilis Abbatiſſæ. præſertim compoſitis huius articuli propoſitione, & textu in obiectione memorato, cum ſcriptis prima parte ſui Operis, num.42. 55. cum ſequentibus, & alibi ſæpe. Nec in adeò clara conſonantia expendenda ampliùs immorari patior: qui plura volet, adeat Illuſtriſsimum Ximenium Samaniego. (*a*) (*a*) *Suprà.*

20 Oppones denique pro Cenſoribus dependentiam, quam Venerab. Mater adſcribit dogmatibus Fidei à ſententia non de Fide.

21 Reſpondeo. Portentum illud à Cenſoribus materiatum de infirmata Fide Catholica ob dependentiam quade loquitur Venerab. Mater, Cenſores ipſos accuſat: & vel probat in Authorem, doctrinamque innocentem debacchatos, vel aggreſſos, totam fermè Theologiam Scholaſticam opinativam ablegare (quod gratiſſimum ſibi vltro profiterentur Hæretici præcipuè Recentiores) cuius magna, aut maior pars illius deſudat in exponendis, & declarandis per probabilia ratiocinia veritates, alioqui Fide Catholica creditas; inque probabilibus eruendis veritatibus, à quibus illas dependentes, & cum ipſis connexas, ſtatuit. In his itaque bonam laboris ſui partem abſumunt vniverſi Theologi Scholaſtici, quin Cenſurarum ſpicula, quæ modò Pariſienſes vibrant, nonnemo in

illos direxerit; vt generatim dixi num. 2. & ſpeciatim comprobo ſtatim.

22 Adeſte quæſo animis rigidiſsimi Iudices. Fide Catholica credimus concordiam divinæ immutabilitatis cum divina libertate. Theologos rogo, qua ratione ſibi cohæreant in Deo immutabilitas & libertas? Innumeræ ſunt opiniones, innumera probabiliter excogitarunt Doctores, vt hunc diſſoluerent nodum, & ita vnuſquiſque ſuæ probabili ſententiæ acquieſcit, vt abſolutè pronunciet, non aliter ſtare, aut ſtare poſſe præfatam concordiam, quàm ipſe probabiliter docet.

23 Fide Catholica credimus libertatem creaturarum rationalium; & nihilominus PP. Societatis diſertè docent, non perſtituram abſque indifferentia illa, quam adſcribunt divino concurſui; & Thomiſtæ abſque phiſica prædeterminatione: vterque tamen dicendi modus probabilibus tantum modo nititur momentis.

24 Fide Catholica credimus, Virginem Mariam eſſe verè & propriè Matrem Chriſti; & tamen non ita futuram dicunt nonnulli Theologi, ſi vnio, quam produxit, animæ & corporis Humanitatis Chriſti inter ſe, non eſſet etiam vnio hypoſtatica eiuſdem Humanitatis cum Verbo: quæ vnionis identitas probabilis ſolummodo eſt. Haud diſsimiliter alij Doctores pleraque, pro opinionum varietate, probabiliter deſignant, ſine quibus iudicant Sanctiſsimam Virginem non fuiſſe extituram verè & propriè Chriſtiparam.

25 Quid multa? Fide Catholica credimus Virginem dignam & idoneam Chriſti Parentem: non ita credimus immaculatam Virginis Conceptionem; aſt eam inde repetunt Theologi, quòd ſine ipſa putent, & proferant non fuiſſe futuram dignam & idoneam Dei Matrem. Alijs referendis ſuperſedeo, ne in re nota infinitus ſim.

26 Hæc cùm ita ſe habeant, quiſnam rogo cordatus homo propterea Theologos inſimulavit infirmatæ ab ipſis Fidei Catholicæ, dependentiæque inductæ eiuſdem Fidei ab opinionibus ſuis? Nullus, nullus omnino; & iure: cùm ſummis ſpatijs diſtent, fidem divinam pendere ab opinionibus, & obiecta, Fide divina credita, pendere ab obiectivis veritatibus, probabili opinione, nondum verò Fide divina, cognitis: Fides enim divina non credit propoſitam veritatem alio innixa motivo, quàm teſtimonio Dei loquentis, qui nec fallere, nec falli poteſt: vnde opiniones, quæ circa

ma-

materiam creditæ veritatis verſantur, varijs hinc inde excitatis quæſtionibus à Theologis, talis veritatis naturam & rationes inveſtigantibus, non curat; quippè ſui muneris diſputare non eſt, vel naturam ſui obiecti per intrinſeca ipſius prædicata diſcurrendo perſcrutari, ſed duntaxat verbo Dei inſiſtendo revelatam amplexari veritatem.

27 Veruntamen id non impedit, quominùs ſalva ſemper veritate, Fidé divina credita (eam equidem Catholici nunquam in dubium revocamus) plura probabiliter perquirantur, quæ, eodem pacto vera exiſtimata, dicantur reipsà eadem cum obiectiva illa veritate; dicantur etiam cum eadem connexa, & ita quidem; vt huius naturam, atque affectiones, per obiectivas veritates probabiliter adinventas exponant, & explicent Theologi; ac (quod inde deſcendit) veritatem ipſam obiectivam, Fide divina creditam, ex parte obiecti, & in eſſe rei (vt aiunt Scholaſtici) pendentem probabiliter affirment ab obiectivis alijs veritatibus non certis, ſed probabilibus; aut (quod modò pro eodem accipitur) veritatem illam obiectivam ſine his reapſe dari non poſſe, abſolutè doceant, probabilibus ducti argumentis: quemadmodùm paulò antè exemplis illuſtrabam, & identidem experimur in concertationibus Theologicis.

28 Iſthæc porro Theologorum ſtudia non averſantur, non peſſundant, non periculo exponunt, Fidem Catholicam, & non modo eam, ſed & obiectivam veritatem ſub ratione credibilis Fide Catholica, & quà talis, pro cùl ab opinionibus, à probabilibus procùl conſtituunt, nec ab ipſis pendentem vllatenùs muſsitant: rogas enim me, cur credo concordiam immutabilitatis cum divina libertate? Reſpondeo; quia Deus dicit, & ipſo pacto reſpondebò rogatus de alijs veritatibus, Fide divina creditis: quin ad opinabilia confugiam. At ſciſcitaris, cur cohæreant in Deo immutabilitas & libertas? Tunc non ad motivum Fidei, nam de illo non interrogas, ſed ad naturam divinæ libertatis per intrinſecas ipſius rationes perſcrutandam convolo; & veluti Theologus diſputator probabiliter tibi reſpondeo iuxta opinionem meam de conſtitutivo divinæ libertatis; & haud diſsimiliter in alijs huiuſmodi quæſtionibus procedo: imò aliter reſpondere nunquam poſſem, nam quà Fidelis ſum, de his non cogito, cùm ad Fidem non ſpectet huius ſolutio quæſtionis; cur cohæreant immutabilitas & libertas? Sed huius; cur creditur ea concordia? Sic de alijs.

29 His omnibus ſi annuant Cenſores, non niſi mente furore, aut inconſideratione arrepta, invehi queunt in Venerab. Abbatiſſæ propoſitionem, vt ſummùm efferentem dependentiam in eſſe rei, & ex parte obiecti, alicuius obiectivæ veritatis, Fide Catholica creditæ, ab obiectiva alia veritate non ita de Fide, vt explicui nu. 2. quod & frequentiſsimè Theologos præſtare, abundè liquet ex traditis. Sin minùs annuant, totam propè analyticam Scholaſticam Theologiam proſcribunt; & ſanè, quoquo modo ſe geſſerint in ferenda Cenſura, ex ea, prout iacet, infertur abſurda hæc Theologiæ ſubverſio; neminique permiſſum iri ex principijs, Fide divina creditis, quidquam probabiliter & probabile eruere; eadem ſiquidem huius eſt ratio, ac præcedentium. Tàm abſonum verò, quàm inauditum ſyſtema foviſſe, Doctoribus præſertim neutiquam diſsimulandum cenſeo: *Nam plebeijs hominibus* (vt verba Gregorij Nazianzeni (b) appoſitè flectam) *qui per errorem id admiſſerint, ignoſcendum fortaſſe fuerit, quibus illud plerunque ſaluti eſt, quod animum à curioſa exploratione alienum habeant: AT DOCTORI QVO TANDEM MODO IDEM CONCEDEMVS, QVI ALIORVM ETIAM INSCITIAS EMENDAT, NISI ID FALSO SIBI NOMEN ARROGET?*

(b) Orat. 21.

30 Reſpondeo 2. argumento propoſito initio Diſſertat. nu. 1. & propoſito num. 20. Venerabilis Mater non opinione, ſed Fide divina, aut alio aſſenſu æque certo ob evidentiam in Deo atteſtante, cognovit veritatem immaculatæ Conceptionis Virginis: cuius revelationem privatam promunt numerus ille 252. & præcedentes, adiunctis quæ generatim dedi Diſſertat. 4. per totam: ac proinde reliquas Virginis dotes pendere enuncians ab immaculata Conceptione, non eas pendere facit à veritate obiectiva non ſibi Fide divina, vel alio aſſenſu pariter firmo, nota; idque cùm poſſet & intenderet manifeſtare, quod divinitus agnoverat, eam dependentiam à ſe ex vi luminis ſuperni perceptam ſcripſit.

31 Quo penitus corruunt Cenſuræ, & concluditur, minimè potuiſſe Cenſores propoſitionem Venerab. Matris configere, niſi prius ſaltem alijs ex capitibus diſcernendi veras inter, & adſcriptitias revelationes, hac, quade agitur, improbata & convulſa (quod hactenùs nec tentarunt, non modò fecerunt) potiſsimè non proſcripta, vtî neque proſcripſere, revelatione de immaculata Deiparæ Conceptione; quoniam ea permiſſa, omnis omninò eſt adempta cavillandi occaſio, apertaque contradictione fulmina iacu-

iaculantur Pariſienſes; in quos propterea convenit illud Iuris (c) Canonici: *Vſque adeò calumniandi cupiditate cæcantur, vt non attendant, quàm ſint inter ſe contraria, quæ loquuntur.* (c) *Cap.* 54 *de Apellat.* & *Cap. quod autē* 23.*q*.7.

§. III.

ARTICVLI DVODECIMI PROPOSITIO INIVſtè à Pariſienſibus damnatur.

32 PEtram ſcandali finxere ſibi rigidiſsimi Iudices in vocul̄is illis, *per administrationem*; ſed quàm ineptè, excipiant velim à Gallo Authore, eò commodiùs, quò ipſis gratiore, Patre Vincentio Contenſono, Theologo pio & gravi, (a) aiente. *Quanta verò fuerit vis amoris & pietatis adverſum Matrem ſacram Dei Genitricem Mariam, facilè exiſtimaverimus, ſi conſideremus Chriſtum ſui obitum, Matri tamen de Filio providiſſe, & vicarium amoris ſui Ioannem ſubrogaſſe, dum dixit: Mulier ecce Filius tuus. Vtque moriens impleret præceptum omnibus impoſitum de honorandis Parentibus, EAM ADMINISTRATRICEM TOTIVS ECCLESIÆ, PRÆFECIT, ET SVÆ AVTHORITATI SVFFECIT; dum Ioanni præſenti, & in eius Perſona toti Eccleſiæ, dixit. Ecce Mater tua.* En Mariam Eccleſiæ adminiſtratricem appellatam, et, quod duriùs ſonat, in illa adminiſtranda authoritati Chriſti ſuffectam, quin ideò Author is Francigena, cuius elucubrationes non latent Doctores Sorbonicos, hactenus audierit ab ipſis temerarius, erroneæque doctrinæ Patronus. Quid iſthuc diſcriminis eſt in iudicando apud viros, Chriſtianam profeſſos Religionem, quæ, vt optimè creditus (b) Paulinus, *neſcit perſonas accipere, nec conditiones hominū, ſed animos inſpicit ſingulorum*: Quid, inquam, iſthuc rei eſt?

(a) *Lib.* 10 *Diſſertat.* 4 *Cap.* 1. *ſpeculat.* 1.

(b) *In Epiſt. ad Celanciam, tom.* 2. *in App.*

33 At iam mihi videre videor Pariſienſes reſpondentes, Patrē Contenſonum ea verba exponere per illico ſubiuncta, nimirum; *Quaſi apertè* (Chriſtus) *diceret: ſicut nemo poteſt ſalvari niſi per meritum crucis & mortis meæ, ita nullus ſanguinis illius particeps erit, niſi interceſſione Matris meæ: ille ſolus Filius dolorum meorum reputabitur, cui Maria Mater erit.* Perbellè: ergo Virginem Mariam adminiſtratricem Eccleſię geſsiſſe, non idem valet, ac Præfecturam, iuriſdictionemve Eccleſiaſticam in ſe ſuſcepiſſe, aut Eccleſiæ Præſidem egiſſe: aliter priora verba tàm non præfatus Author poſterio-

ribus

ribus expoſuiſſet, quàm prorſus negaſſet, revocaſſetque. Cur ergo Pariſienſes vt in Venerabilis Matris Gallico Opere invenere verba ea *per adminiſtrationem*, ſtatim in rigidiorem accepere partem, atque in nequiſsimum ſenſum, quem præſefert ſuppoſititia Facultatis Cenſura, ſunt interpretati? Præſertim cùm ſenſus propoſitionis, ab Authore Venerabili intentus, aliò remittatur declarandus & illuſtrandus: *ſicut dicam ſuo loco*: quæ verba, à tranſcriptis nullo interciſa puncto, præterquam doloſè, aut nimiùm oſcitanter, nequivere Deputati reticere, & nec Facultati repræſentare; viam ita præcludendo diſcuſsioni illius loci, omni iure debitæ, & quam proculdubio adhibuiſſet Facultas.

34 Eum porro locum adire fas eſt, & comparare cum quibuſdam textibus Sancti Thomæ de Villanova, paucis generatim perſtringentis, quæ ibi Author Venerab. minutatim & fusè refert, vt impunitas propoſitionis affatim demonſtretur. Ex Venerab. Matre 2.p. Operis, nu. 1457. Virgo Maria, poſt Chriſtum ſepultum, miſit è Cœnaculo Ioannem, vt Petrum quęreret, inventum ad ſe accerſeret, pariterque cum alijs, quos inveniſſet, Apoſtolis ageret, omnibus ſpem veniæ, & ſuam ſpondendo amicitiam; Ioanni continuò Petrus occurrit, pudore & lachrymis plenus, qui, gravi affectus timore, coram excelsâ Regina ſe iam conſtiturus accedebat; ſed illi tantæ Matris pijſsima ſignificata promiſsione ſolatio fuit Evangeliſta, & quidquam roboris attulit; ſtatimque ambo cæteros conquiſierunt Apoſtolos, & eorum quibuſdam repertis, cuncti vnà Cœnaculum petierunt, vbi ipſorum aderat Remedium, atque (ex num. 1458.) Virginis in conſpectu, ipſaque ſuffragante, primùm Chriſti Vicarius & Eccleſiæ Paſtor, poſtmodum revocatæ Apoſtolicæ oves, profuſis lachrymis, & eximiæ contritionis oſtenſis argumentis, præterita planxerunt errata, & ab eadem Virgine & Matre in Fide Redemptoris, ac veniæ ſpe, obfirmati fuere.

(c) *Serm. de Chriſti Reſurrect.*

35 Modò audi Sanctum Thomam de Villanova. (c) *Virgo cũ Apoſtolico cœtu in Sancto illo Cœnaculo commoratur: illuc nanque mæſta familia poſt Domini ſui obitum convenerat* (nota) *Matris ſolatium, & Magiſterium loco Filij ſuſceptura.*

36 Quòd ſi protrahere quoque ſermonem placet ad tempora Chriſto in Cœlum evocato poſteriora, iteratò appello Sanctum Archiepiſcopum Valentinum. (d) *Cui* (Virgini) *propter ſingularem, & excellentem eruditionem, cœleſtis Magiſter, ad Patrem, vnde venerat, rediturus, Scholam, & Cathedram ſuam reliquit.* Cuius Magiſterij,

(d) *Serm. 3 de Aßũpt. Virgin.*

tij, & munera & onera exactiſsimè expleviſſe Chriſtiparam, cùm Apoſtolos, tum Evangeliſtas inſtruendo, dirigendo, erudiendo, etiam in his,quæ ad vniverſæ Eccleſiæ regimen ſpectabant, & præſtitis conſilijs, & dubijs diſſolutis, habetur dilucidè, latèque 3. p. Myſticæ Civitatis; conſentientibus item cunctis Catholicis, complurie propterea Virginem nuncupantibus Apoſtolorum & Evangeliſtarum Doctricem & Illuminatricem, Fidei Magiſtram, omnium hæreſum Interemptricem, &c.

37 Vnde, ni de voce contentioſè diſputent Pariſienſes, haud vnquam inficiari audebunt adminiſtrationem Virginis erga Eccleſiam,& nocte illa funeſta & pòſt: quotuſquiſque enim Theologorum erit, qui Sanctiſsimam Mariam,iam vtì Matrem,iam vtì Magiſtram, Petrum Eccleſiæ Caput, alioſque Eccleſiæ Filios piè foventem, ad pietatem excitantem, dirigentem, protegentem,& innumeris alijs officijs ardentiſsimè proſequentem, Eccleſiæ ambigat adminiſtratricem inclamare? Nullus; exiſtimaverim: quippè nullus in prælatis Virginis muneribus non perſpicit adminiſtrationis genus quoddam;vno vel altero illorum excepto hominum,qui anguſto pectore omnia rimantur, qui in omnibus ferè offendunt; ex his nanque crediderim, nonneminem recuſaturum conſonam tantis operibus adminiſtrationis vſurpationem.Relegātur Contenſoni verba num.32.& 33.

38 Verùm quantis ſpatijs abfuerit Venerab. Mater ab arroganda Deiparæ Eccleſiaſtica vlla, nedum ſuprema, Præfectura, compertum fiet evoluenti eius Opera memoratis locis; vbi diſertè ementitum & falſum hoc ornamentum denegat, Deiparamque introducit idipſum non ſemel confirmantem, ſe Petro veluti Eccleſiæ poſt Chriſtum Supremo Antiſtiti, ſe Ioanni (quanquam alioqui ſubrogato Filio) veluti Altiſsimi Sacerdoti, ſe cæteris Filij ſui Chriſti Domini Eccleſiaſticis Miniſtris ſubditam,inferioremque eadem ratione, ſæpeſæpius profitentem, & ſemetipſam totidem verbis ab huiuſmodi laurea alienam conclamantem; quæ utpote veris ſemper cumulata titulis,falſis nunquam indiguerit honoribus.

39 Quocum rectè cohæret expenſa in ſuperioribus adminiſtratio, alia longè rubrica invecta; denotans nempe tenerrimam & officioſam tantæ Matris curam erga novę Evangelicæ legis,à Filio ſanguine ſuo firmatæ,profeſſores;denotans tantæ Magiſtræ eruditionem; non è ſacro ſuggeſtu, ſed è domo, non à ſe in publicis Eccleſiæ conventibus expoſitam,ſed privatim & familiaribus colloquijs

quijs

quiſjs oblatam,& petentibus & indigentibus;in Eccleſiæ Paſtorem atque oves redundantem;ac tandem, vt paucis omnia comprehendam, denotans delatum Virgini convenientem honorem in Eccleſiæ Regimine & incremento, tanquam Dei & Fidelium Parenti, vtque divinarum veritatum Sacrario. Quamobrèm pro Antiſtita Venerabili accipias Sanctum Thomam de Villanova, qui poſteaquam dixit,Chriſtum ſuæ Matri Scholam & Cathedram reliquiſſe, ſubdidit ſtatim: *Non quidem vt oves ſuas regeret ſicut Petrus, ſed vt Diſcipulos ſuos cœleſti ſapientia, quam ab eo didicerat, erudiret.* Hæc ſunt, quæ ſignificantur verbis illis: *Sicut dicam ſuo loco*: à Deputatis prætermiſsis, adeò quidem conſentanea Venerabilis Matris Hiſtoriæ,adeò veritati addicta,vt niſi per atrocem calumniam detorqueri nequeant in erroneum dogma.

40 Imò etiam ſi propoſitio, Cenſuræ ſubiecta à Pariſienſibus, prout iacet,prædictis abſciſsis verbis,diſcutiatur, Cenſorum evadit accuſationes:quippè nō in ea habetur,*per adminiſtrationem*,abſolutè, ſed *per adminiſtrationem,quam habuit*, nempe per illam adminiſtrationem, quam habuit, quæcunque ea fuerit: hunc enim ſenſum omninò referunt verba illa:ad cuius veritatem ſufficit quævis adminiſtratio,etiam latiſsimè vſurpata. Deinde (quod maximè eſt ponderandum) ibidem non legitur, *per adminiſtrationem,quam habuit,Eccleſiæ,aut legis Evangelicæ tunc naſcentis*:ſed *per adminiſtrationem, quam habuit Regina illa initio legis Evangelicæ*: quæ valde differunt, nec ſibi æquivalent: quemadmodùm, exempli gratia, ſummopere diſsident, *Ludovicum* 14. *in hoc Eccleſiæ ſæculo adminiſtrationem gerere*, quod verè affirmatur, quoniam nunc Rex eſt Galliæ; *& eundem Ludovicum currentis modò Eccleſiæ adminiſtrationem ſortiri*; quo nihil abſurdius. Igitur vtrumque illum ſenſum confundere, & Venerabili Antiſtitæ priorem loco poſterioris obtrudere, eſt eidem, aut emota mente, aut per ſummum nefas, falſum pro vero affingere.

41 Si opponant Pariſienſes energiam eorum verborum: *Cooperans omnibus*: reſpondeo, iam ibidem temperatam præcedentibus verbis, *per affectum ferventem, quo petijt,&c.* quo pacto fuiſſe cooperatam optimè dicitur, nec vllatenus ſignificatur aliqua Virginis Eccleſiaſtica Poteſtas. Temperantur item eadem verba per ſubſequentia, à Deputatis ſuppreſſa: *Sicut dicam ſuo loco*:quibus ea Virginis Mariæ erga Eccleſiam ſignificantur officia,quæ per totum §. illuſtravi,& deſcripſi.

Si

42 Si etiam opponant vim verbi Gallici *gouvernement* per *administrationem* latinè expoſiti; reſpondeo, nec tantam cenſeri, vt vox illa ſatis generalis non ſit, & latiſsimè pateat, accipique poſſit pro quovis adminiſtrationis, & regiminis genere. Præterea, quidquid de illius energia ſit, omnino diſſolvitur obiectio ex dictis, potiſsimè num. 40. & 41. Præterquamquod ſi vox illa ambigua videbatur, conſulere tenebantur Cenſores Exemplar Hiſpanum; ſæpe enim inculcatus prætextus animadverſionis in Editionem Gallicanam, non Hiſpanam quodammodo excuſationem pareret, ſi Cenſuræ *præfatiunculam non haberent*, vt non in diſsimili prorſus eventu proferebat (e) adverſus Ruffinum S. Hieronymus.

(e) *Lib. 2.*

43 Veruntamen vt conſtet Venerab. Matris doctrinæ puritas, atque ipſam inter & Interpretem diſsidium, repræſento verba, prout iacent in Exemplari Hiſpano. *Y luciò mas eſte amor en la noche, que cubriò la Igleſia con la muerte de ſu Hijo Santiſſimo, y en el Magiſterio, que tubo eſta gran Reyna en los principios de la Ley Evangelica, y en el afecto con que pidiò ſu eſtablecimiento, y de ſus Sacramentos; cooperando à todo (como en ſus lugares dirè) con el ardentiſſimo amor que tubo à la ſalud humana.* Id eſt: *Amor ille* (Virginis erga Eccleſiam Militantem) *magis eluxit in nocte, qua perfuſſa eſt Eccleſia morte Sanctiſſimi Filij ſui, et in Magiſterio, quod habuit Magna hæc Regina initio Legis Evangelicæ, et in affectu, quo petiit, vt ea & ipſius Sacramenta ſtabilirentur; cooperans omnibus (ſicut dicam ſuis locis) ardẽtiſſima dilectione, qua flagrabat humanæ ſalutis.* Hæc plana & ſyncera tranſlatio Hiſpani Exemplaris.

44 Vnde profectò clareſcit, Interpretem à ſuo aberraſſe munere, ſupponendo dictionem Gallicam *gouvernement* pro Hiſpana *Magiſterio*, quæ minus quàm illa ſonat; & ſatis implexè, atque incongruè referendo tria illa, in quibus magis eluxiſſe, refertur, amorẽ Reginæ erga Eccleſiam militantem; cum ea diſtinctè & cõcinnè admodum exponat Venerabilis Antiſtita. In cuius tandem præſentatis verbis nihil apparet, quod viris, benè in Virginem Mariam animatis, ſtomacho eſſe poſsit, quodque non cautè deſcribat eadem Author ſuis locis, & paſsim profiteantur Mariani Scriptores cùm Theologi, tùm Hiſtorici. Quapropter omnibus hinc inde apprimè penſatis, vndique liquet Cenſurarum iniquitas, Cenſorum fœdiſsimus lapſus, ita malè fucatus, ut ſeſe cuivis ſtatim prodat, ſic præfidenter commiſſus, ac ſi à nemine revelandus. Tempeſtivè (f) Magnus Parens Auguſtinus, *O Hominem ſe cogitantem dictorem, &*

(f) *Lib. 16 cõtra Fauſtũ. Manich. cap. 26.*

ætum non cogitantem contradictorem! Vbi eſt acumen tuum? An in mala cauſa non poſſes aliter? SED MALA CAVSA TE VANA LOQVI COEGIT; MALAM VERO HABERE CAVSAM NEMO TE COGIT.

§. IV.

CENSVRÆ MINVTIM AD CRISIM revocantur.

45 ARticuli vndecimi ſuppoſititiæ Cenſuræ Authores quædam addiderunt Deputatorum iudicio, ſed quæ illud ſemper retineant, vt ex vtriuſque collatione habetur; idcircò nõ erit cur hoc ſeorſim ad examen traham, ſi illam ad criſim revocavero.

46 *Quamvis*, inquiunt, *Facultas Theologiæ Pariſienſis tenuerit & teneat, Sanctiſſimam Virginem fuiſſe in ſua Conceptione à labe originalis peccati præſervatam.* Tenuit næ id Sacra Facultas, & vt tuerentur, prima ſuos Doctores iuramento adſtrinxit; nec validius probavit hoc Virginis ſpecioſiſsimum decus, quàm ex dignitate Maternitatis, nunquam profectò inde argumentum deductura, ni ſimul putaret permiſſo originali nævo demiſſum quadantenus iri ſplendorem Matris Dei quà talis, & Sanctæ Altiſsimi Civitatis, ipſique congruum admodum, & proportionatum non reſponſurum initium, atque fundamentum: ſi enim æquè ac modò tunc perfecta concederetur Maternitas, & æquè ac modò eius niteret dignitas, perfectio, ac ſtructura, ineptè prorſus ex Maternitate Immaculata repeteretur Conceptio.

47 Sed quovis diſcurſu Immaculatam ſuaſſerint Conceptionem Pariſienſes, neceſſe eſt, eam inter & Maternitatem agnoverint nexum vtrinimùm, & connexionẽ à Deo libito ſuo de facto conſtitutam, atque adeò iuxta præſentem rerum ordinem Virginem Mariam non fuiſſe à Deo electam in Matrem ſuam niſi dependenter ab Immaculata Conceptione: ergo Virginis Maternitatem, aliàs Fide Catholica creditam, dependentem eo ipſo prædicant ab Immaculata Conceptione, nondum ad Fidem Catholicam pertinente; quin propterea Fidem in Concilijs ſtabilitam infirmaverint, in huiuſve criminis ſuſpicionem inciderint. Qui igitur Pariſienſes proferentur, nec conſequenter negare poſſunt idipſum, quod Venerabilis Antiſtitæ vitio vertunt? Huc Petrus Celenſis tam (a) appositè

(a) Epiſt. 23. lib. 9.

vt

ſt in illos agere videatur. *Mira virtus veritatis, quæ adverſarios deprehendit nolentes, & neſcientes in aſtutia ſuas fugitivos nanque ſuos frequenter vrget ad laqueos inevitabilis concluſionis, vt capiantur & illaqueentur ſermonibus ſuis, dum inviti vera loquuntur.*

48 *Tamen hæc doctrina, quæ Dogmata de Sanctiſſima Virgine ad Fidem Catholicam pertinentia, vt Maternitatem, & perpetuam Virginitatem, pendere aſſerit à ſententia, quæ de Fide Catholica non eſt.* Si *ſententia* preſsè accipiatur, falsò id Venerab. Antiſtitæ adſcribunt Cenſores, utpotè non à ſententia de Immaculata Conceptione, ſed à Conceptione ipſa pronuncianti dependentem Maternitatem, &c. At non me fugit, quandoque Scholaſticos vſurpare ſententiam pro re aſſerta, ſicuti opinionem pro obiectiva veritate opinioni ſubiecta; quo in ſenſu reor loquutos Pariſienſes, vt liberaliùs cum eis agam, quàm Venerabili cum Matre egere ipſi.

49 Huius verò ſenſus pietatem, veritatem, & à probroſa Cenſura impunitatem multis evici ſupra, quibus rurſum duo adiungo. Primò: Noſter Silveſter de Saavedra (b) nō quamcunque ſed eſſentialem, metaphiſicam, & nulla Dei potentia diſſolubilem connexionem propugnat Maternitatis Dei cum Immaculata Conceptione Matris: adeò dependentem cogitabat Maternitatem ab Immaculata Conceptione, adeò ſine ea indecoram: quam theſim vti Catholicam & ſanam probarunt doctiſsimi ſine numero Theologi ex probatioribus Hiſpaniæ Academijs; probavit & etiam Sanctum Hiſpalenſe Inquiſitionis Tribunal, ipſi ab Authore ſponte oblatam: eundem poſtmodùm promovit P. Didacus de Avendaño, (c) etſi tandem ſe doctiorum iudicio ſubmittat: promovet quoque P. Franciſcus Garau, (d) ſi eligenda eſſet Mater, eius expectato conſenſu, quemadmodùm contigit reipsà.

50 Quid, quòd & multò antea, ſi non expreſsis terminis, æquivalentibus ſaltem, & doctrinæ conſequentia ligatus, idem docuit Pater Valentia? (e) Aſſeruit enim, *adeò debuiſſe præſervari divinitus à peccato originali Beatam Virginem, poſito quod erat deſtinata ad tantam dignitatem, quanta eſt eſſe Matrem Dei, vt contrarium meritò iudicari poſſit fuiſſe futurum indecorum, atque adeò alienum, & abhorrens à Dei Sapientia, & Bonitate.* Quòd autem talis eſt conditionis, nulla ratione à Deo permitti poteſt; qui nunquam à ſua Sapientia, & Bonitate recedere valet. Quare alios compluresantiquos Doctores, imò & Recentiores perinde eloquutos, meritò in ſuam trahit ſententiam recitatus Saavedra.

(b) *Veſtigat. 2. diſp. 11. per totum.*

(c) *Tom. 2. Problem. in Splend. Practic. nu. 291.*

(d) *In Delp. elucid. Triumpho 7. §. 3.*

(e) *Suprà.*

Digitized by Google

51 Hanc porro probabilem opinionem, meam licèt non faciam, nec exiſtimem neceſſariam ad Venerabilis Abbatiſſæ tuendam doctrinam, ſcio à nemine ſuggillatam, à nemine eo ſpretam nomine, quòd obiectivam veritatem ad Fidem Catholicam ſpectantem couſque pendentem efferat ex parte obiecti, & in eſſe rei ab obiectiva veritate, necdum Fide Catholica credita: ſcio etiam, hactenùs deſiderari, qui Catholicam de Maternitate Fidem ea opinione, vel ſuſpicatus fuerit infirmari: & nihilominùs Pariſienſes Theologi non verentur Venerabilis Matris criminari doctrinam, veluti Fidei Catholicæ firmitati adverſam, multò alioqui minorem invehentem dependentiam; ſed qua id præſtent ratione ignorabit nemo mediocriter eruditus.

52 Conſultò addidi, *à nemine eo ſpretam nomine*, quoniam non me latet, Collegium Salmanticenſe Patrū Excalceatorum Carmelitarum alijs de cauſis in eam Saavedræ opinionem, & quaſdam alias nominatim, ac generatim in totum, aut fere, Opus eiuſdem calamo invectum, (*f*) tam non atramento, quàm felle tincto. *Alia* (inquit) *quæ Saavedra adducit, nempe dignitatem Matris Dei eſſe formam Sanctificantem corpoream.... ET NON POTVISSE* (Virginem) *ADHVC DE POTENTIA ABSOLVTA MACVLARI PECCATO ORIGINALI, ALIAQVE SEXCENTA, CONCITANT QVIDEM ADMIRATIONEM VVLGI, SED MAIOREM GRAVIVM THEOLOGORVM INDIGNATIONEM.* Quorum amabò Theologorum? Vnius R. Fr. Joannis ab Annuntiatione, viri licèt non infimæ ſanè notæ (*nec enim bonis adverſariorū, ſi boneſtum quid habuerint, detrahendum eſt*, vt aiebat (*g*) S Hieronymus) qui Author eſt illius 5 tomi, & tract. 14? Concedo ipſi graves illos, quos vocat, Theologos, dummodo memor ſit, graviſsimos & primarios, eoſq; cōplures, ex Salmātica, & tota propè Hiſpania, propoſitiones, Saavedræ ritè probabiles, nō ſine eximia Authoris laude, iudicaſſe.

(*f*) *Tom. 5 tract. 14. diſp. 4. dub 8. nu. 159.*

(*g*) *Epiſt. 55. ad Pāmachium & Oceanū de erroribus Origenis.*

53 Quorſum ergo adeo malè materiata criminatio? Quam & iamdiù (vt ſæpiùs à Fide dignis excepi viris) Noſter Reverendiſsimus & Illuſtriſsimus D.D. Fr. Joſephus Gonzalez, Primarius Salmantinus, Epiſcopus Civitatenſis, dein Placentinus, vbi paucis ab hinc diebus animam efflavit, modeſtiſsimus vt erat, & doctrina præſtantiſsimus, religiosè admodùm, ac nervosè diluit & contrivit, nimiamque in hac parte Cenſoris licentiam reprehendit publica concertatione, magno audientium plauſu in Salmanticenſi gymnaſio habita, pro Cathedra obtinenda. Certè quidem, Saavedræ

opi-

opiniones non ſic malè audiunt, vt vel literulam, nedum integra folia, iuſſerit eradi Sanctum Inquiſitionis Tribunal.

54 Nec patior alto præterire ſilentio quæ idem ſubdidit Author. *Quod noſtra verò refert* (ait) *admonitum deſideramus Lectorem, inter plures approbationes, quæ limina Operis Saavedræ exornant, reperiri etiam Lectorum huius Collegij Syngraphas laudatorias, in quibus R.P.Fr. Dominicus à S. Thereſia ſubſcribit; ſed virum hunc doctiſſimum ſcimus ſæpè de hac impoſtura conqueſtum fuiſſe, dum ingenuè aſſerebat, ſe nunquam tale iudicium vel tuliſſe, vel probaſſe.* Sed his neſcio quem impoſturæ arguere conatur Author:& niſi per inſignem hercle calumniam Saavedram non poteſt, hominé utpotè ſyncerum & illius generis mercium prorſus ignarum. Præterquamquod (alijs prætermiſsis) quis ſtatim incredibile non cenſeat, in eas ſe conjeciſſe anguſtias, cuius Opus tot, tantorumque Magiſtrorum ad nauſeam vſque calculis reverà commendabatur? Et ſiquidem ſubſcripſiſſe indecorum putat Fr. Joannes ab Annuntiatione, duos alios ſui Collegij graviſsimos Lectores hac labe reſpergit, dum ab vno Fr. Dominico à S. Thereſia eandem abſtergere nititur: ſin minus arbitratur, quò illa Lectoris admonitio? Reſpondet & concludit. *Quod vel inſinuare ſufficiat, vt videat prudens Lector, quanti facere oporteat approbationes, quibus Iuniores quidam exoticas opiniones ſuffulciunt.* Verba hæc ſunt, quæ non vnam tantummodo faciem præſeferunt, & omnino aut delenda aut corrigenda, ſi ipſis Author tentet (quod nec credam, nec gravi abſque iniuria facere potuiſſet) reliquas Operi Saavedræ adiectas ſubſcriptiones impoſturæ vertere.

55 Sed ad id, vnde tantiſper diſceſsi, redeo, & addo ſecundo. Quòd veritas aliqua obiectiva Fide ſit Catholica definita, aut non, illius non immutat naturam, connexiones, & obiectivas dependentias: ergo quemadmodùm ſi Immaculata Virginis Conceptio de Fide Catholica eſſet, liceret per Pariſienſes Cenſores ab ea pendentem aſtruere Virginis Maternitatem, dependentia obiectiva & in eſſe rei, licet & modò, eſtò Fide non credatur, ſed alio teneatur aſſenſu. Et ſanè, ni ego deſipio, nullus Immaculatam Deiparæ Conceptionem concedit, qui eo ipſo ſimul non fateatur connexionem & dependentiam inter illam & Maternitatem, ac reliquas Virginis dotes, manantem ſaltem à libero Dei decreto, non aliter de facto volentis in Matre ſua ornamenta vlla, quàm, vtì primo tantæ Civitatis lapide, fœlici Immaculata Conceptione præmiſſa;

vt

Digitized by Google

15 Modò arguo. Ex prædictis conſtat: fundamentariam immaculatæ Conceptionis perfectionem à Deo præmiſſam, vt Virgo eſſet illius digna & idonea Mater; & quòd ſine illa nec digna, nec idonea Dei Mater extitiſſet; ſed inde perviè deducitur, abſque fundamentali illo decore dignitatē MatrisDei imperfectam evaſuram, dignoque ſibi & idoneo fundamento, aut, quod idem cenſetur, perfectionis initio carituram: alioqui ſine eo digna & idonea Dei quoque Mater conſtitiſſet, neque ad eius muneris dignitatē & idoneitatem fœlix illud deſideraretur auſpicium: ergo cùm id, & non aliud, dicat Venerab. Antiſtita, & moderatiùs quidem per verbum *videretur*, nihil ſua propoſitione enunciat, quod in communem Theologorum ſenſum non prorſus relabatur. Cenſores igitur Pariſienſes Venerab. Abbatiſſæ aſſertionem irreprehenſam dimittant, aliter namque doctrinam cunctis iam Theologis gratam ſe intelligant accuſare, nec querantur, ſi quis ipſis illud Hieronymi (p) occinat. *Inventa ſunt Plautinæ familiæ, & ſcioli.... qui in eo ſe doctos oſtentare velint, ſi omnium dicta dilacerent.*

(p) *Ad Pammachium Epiſt.* 50.

§. II.

PRÆCEDENTIS §. ARGVMENTVM AD FInem perducitur.

16 OPponet forſan aliquis: dicta probare Abbatiſſæ Venerab. propoſitionem, prout Maternitatem non autem alias Virginis gratias ſpectantem: quoniam de illa, non de reliquis procedunt corrogata teſtimonia.

17 Reſpondeo. Si ſemel quod ad dependentiam Maternitatis ab immaculata Conceptione attinet, conceditur Venerabili Antiſtitæ, funditus corruit Cenſura, utpotè ideò confecta, quòd veritates de Fide Catholica pendentes conſtituantur à ſententia, quæ de Fide Catholica non eſt. Adhæc: reliquæ Marianæ dotes, teſtante communi Theologia, admetiendæ ſunt Maternitati, & intuitu ipſius obtinuere in Virgine Maria excellentiæ magnitudinem omnibus numeris abſolutam; à qua proinde quodammodo deficerent, decreſcente Maternitatis ſplendore, vtî decreſceret, non præmiſſa immaculata Conceptione, & à peccato præſervata. Relege num. 4.

18 Oppones deinde. Theologi frequenter docent, Maternitatem

tem eſſe fundamentarium decus, & radicem cæterorum donorum Virginis, atque divinæ erga eam beneficentiæ: Venerabilis etiam Mater 2.part. Operis num.578. Maternitatem vocat excellentiam Virginis primariam, *& cæterarum fundamentum*: ergo eadem Mater nec veritate, nec ſecum, cohæret, modò ſtatuens, immaculatam Virginis Conceptionem fundamentum eſſe Maternitatis, & aliarum omnium Virginis gratiarum.

19 Reſpondeo. Hæc ſibi conſtant, nec vllam afferunt contradictionem: ſiquidem Maternitas apellatur fundamentum & radix aliarum Virginis dotum, non quaſi fuerit ordine exequutionis prima, vt per ſe eſt notum non fuiſſe; ſed quatenùs alias dignitate excedit, & intuitu ac ipſius gratia illas Deus Virgini dedidit; ita profectò vt cenſeatur metrũ, cui reliqua Virginis ornaméta ſint admetienda, & regula determinandi, cùm de aliqua Dei erga Virginem largitate incidit ſermo. Immaculata Conceptio nuncupatur fundamentum alia valde ratione, quia nimirum ordine exequutionis prior, & veluti primus lapis, reliquam Sanctæ Dei Civitatis ſtructuram ſuſtinens, & ſuper quem eam Deus extruxit, & erexit. Hæc mens Theologorum, hæc Venerabilis Abbatiſſæ, præſertim compoſitis huius articuli propoſitione, & textu in obiectione memorato, cum ſcriptis prima parte ſui Operis, num. 42. 55. cum ſequentibus, & alibi ſæpe. Nec in adeò clara conſonantia expendenda ampliùs immorari patior: qui plura volet, adeat Illuſtriſsimum Ximenium Samaniego. (*a*) (*a*) *Suprà.*

20 Opponés denique pro Cenſoribus dependentiam, quam Venerab. Mater adſcribit dogmatibus Fidei à ſententia non de Fide.

21 Reſpondeo. Portentum illud à Cenſoribus materiatum de infirmata Fide Catholica ob dependentiam quade loquitur Venerab. Mater, Cenſores ipſos accuſat: & vel probat in Authorem, doctrinamque innocentem debacchatos, vel aggreſſos, totam ferme Theologiam Scholaſticam opinativam ablegare (quod gratiſſimum ſibi vltro profiterentur Hæretici præcipuè Recentiores) cuius magna, aut maior pars illius deſudat in exponendis, & declarandis per probabilia ratiocinia veritates, alioqui Fide Catholica creditas; inque probabilibus eruendis veritatibus, à quibus illas dependentes, & cum ipſis connexas, ſtatuit. In his itaque bonam laboris ſui partem abſumunt vniverſi Theologi Scholaſtici, quin Cenſurarum ſpicula, quæ modò Pariſienſes vibrant, nonnemo in

Digitized by Google

illos direxerit; vt generatim dixi num. 2. & ſpeciatim comprobo ſtatim.

22 Adeſte quæſo animis rigidiſsimi Iudices. Fide Catholica credimus concordiam divinæ immutabilitatis cum divina libertate. Theologos rogo, qua ratione ſibi cohæreant in Deo immutabilitas & libertas? Innumeræ ſunt opiniones, innumera probabiliter excogitarunt Doctores, vt hunc diſſoluerent nodum, & ita vnuſquiſque ſuæ probabili ſententię acquieſcit, vt abſolutè pronunciet, non aliter ſtare, aut ſtare poſſe præfatam concordiam, quàm ipſe probabiliter docet.

23 Fide Catholica credimus libertatem creaturarum rationalium; & nihilominus PP. Societatis diſertè docent, non perſtituram abſque indifferentia illa, quam adſcribunt divino concurſui; & Thomiſtæ ab que phiſica prædeterminatione: vterque tamen dicendi modus probabilibus tantum modo nititur momentis.

24 Fide Catholica credimus, Virginem Mariam eſſe verè & propriè Matrem Chriſti; & tamen non ita futuram dicunt nonnulli Theologi, ſi vnio, quam produxit, animæ & corporis Humanitatis Chriſti inter ſe, non eſſet etiam vnio hypoſtatica eiuſdem Humanitatis cum Verbo: quæ vnionis identitas probabilis ſolummodo eſt. Haud diſsimiliter alij Doctores pleraque, pro opinionum varietate, probabiliter deſignant, ſine quibus iudicant Sanctiſsimam Virginem non fuiſſe extituram verè & propriè Chriſtiparam.

25 Quid multa? Fide Catholica credimus Virginem dignam & idoneam Chriſti Parentem: non ita credimus immaculatam Virginis Conceptionem; aſt eam inde repetunt Theologi, quòd ſine ipſa putent, & proferant non fuiſſe futuram dignam & idoneam Dei Matrem. Alijs referendis ſuperſedeo, ne in re nota infinitus ſim.

26 Hæc cùm ita ſe habeant, quiſnam rogo cordatus homo propterea Theologos inſimulavit infirmitatæ ab ipſis Fidei Catholicæ, dependentiæque inductæ eiuſdem Fidei ab opinionibus ſuis? Nullus, nullus omnino; & iure: cùm ſummis ſpatijs diſtent, fidem divinam pendere ab opinionibus, & obiecta, Fide divina credita, pendere ab obiectivis veritatibus, probabili opinione, nondum verò Fide divina, cognitis: Fides enim divina non credit propoſitam veritatem alio innixa motivo, quàm teſtimonio Dei loquentis, qui nec fallere, nec falli poteſt: vnde opiniones, quæ circa

ma-

materiam creditæ veritatis verſantur, varijs hinc inde excitatis quæſtionibus à Theologis, talis veritatis naturam & rationes inveſtigantibus, non curat; quippè ſui muneris diſputare non eſt, vel naturam ſüi obiecti per intrinſeca ipſius prædicata diſcurrendo perſcrutari, ſed duntaxat verbo Dei inſiſtendo revelatam amplexari veritatem.

27 Veruntamen id non impedit, quominùs ſalva ſemper veritate, Fidè divina credita (eam equidem Catholici nunquam in dubium revocamus) plura probabiliter perquirantur, quæ, eodem pacto vera exiſtimata, dicantur reipsà eadem cum obiectiva illa veritate; dicantur etiam cum eadem connexa, & ita quidem; vt huius naturam, atque affectiones, per obiectivas veritates probabiliter adinventas exponant, & explicent Theologi; ac (quod inde deſcendit) veritatem ipſam obiectivam, Fide divina creditam, ex parte obiecti, & in eſſe rei (vt aiunt Scholaſtici) pendentem probabiliter affirment ab obiectivis alijs veritatibus non certis, ſed probabilibus; aut (quod modò pro eodem accipitur) veritatem illam obiectivam ſine his reapſe dari non poſſe, abſolutè doceant, probabilibus ducti argumentis: quemadmodùm paulò antè exemplis illuſtrabam, & identidem experimur in concertationibus Theologicis.

28 Iſthæc porro Theologorum ſtudia non averſantur, non peſſundant, non periculo exponunt, Fidem Catholicam, & non modo eam, ſed & obiectivam veritatem ſub ratione credibilis Fide Catholica, & quà talis, procùl ab opinionibus, à probabilibus procùl conſtituunt, nec ab ipſis pendentem vllatenùs muſsitant: rogas enim me, cur credo concordiam immutabilitatis cum divina libertate? Reſpondeo; quia Deus dicit, & ipſo pacto reſpondebò rogatus de alijs veritatibus, Fide divina creditis: quin ad opinabilia confugiam. At ſciſcitaris, cur cohæreant in Deo immutabilitas & libertas? Tunc non ad motivum Fidei, nam de illo non interrogas, ſed ad naturam divinæ libertatis per intrinſecas ipſius rationes perſcrutandam convolo; & veluti Theologus diſputator probabiliter tibi reſpondeo iuxta opinionem meam de conſtitutivo divinæ libertatis; & haud diſsimiliter in alijs huiuſmodi quæſtionibus procedo: imò aliter reſpondere nunquam poſſem, nam quà Fidelis ſum, de his non cogito, cùm ad Fidem non ſpectet huius ſolutio quæſtionis; cur cohæreant immutabilitas & libertas? Sed huius; cur creditur ea concordia? Sic de alijs.

Digitized by Google

29 His omnibus ſi annuant Cenſores, non niſi mente furore, aut inconſideratione arrepta, invehi queunt in Venerab. Abbatiſſæ propoſitionem, vt ſummùm efferentem dependentiam in eſſe rei, & ex parte obiecti, alicuius obiectivæ veritatis, Fide Catholica creditæ, ab obiectiva alia veritate non ita de Fide, vt explicui nu. 2. quod & frequentiſsimè Theologos præſtare, abundè liquet ex traditis. Sin minùs annuant, totam propè analyticam Scholaſticam Theologiam proſcribunt; & ſanè, quoquo modo ſe geſſerint in ferenda Cenſura, ex ea, prout iacet, infertur abſurda hæc Theologiæ ſubverſio; neminique permiſſum iri ex principijs, Fide divina creditis, quidquam probabiliter & probabile eruere; eadem ſiquidem huius eſt ratio, ac præcedentium. Tàm abſonum verò, quàm inauditum ſyſtema foviſſe, Doctoribus præſertim neutiquam diſsimulandum cenſeo: *Nam plebeijs hominibus* (vt verba Gregorij Nazianzeni (b) appoſitè flectam) *qui per errorem id admiſſerint, ignoſcendum fortaſſe fuerit, quibus illud plerunque ſaluti eſt, quod animum à curioſa exploratione alienum habeant: AT DOCTORI QVO TANDEM MODO IDEM CONCEDEMVS, QVI ALIORVM ETIAM INSCITIAS EMENDAT, NISI ID FALSO SIBI NOMEN ARROGET?*

(b) *Orat.* 21.

30 Reſpondeo 2. argumento propoſito initio Diſſertat. nu. 1. & propoſito num. 20. Venerabilis Mater non opinione, ſed Fide divina, aut alio aſſenſu æque certo ob evidentiam in Deo atteſtante, cognovit veritatem immaculatæ Conceptionis Virginis: cuius revelationem privatam promunt numerus ille 252. & præcedentes, adiunctis quæ generatim dedi Diſſertat. 4. per totam: ac proinde reliquas Virginis dotes pendere enuncians ab immaculata Conceptione, non eas pendere facit à veritate obiectiva non ſibi Fide divina, vel alio aſſenſu pariter firmo, nota; idque cùm poſſet & intenderet manifeſtare, quod divinitus agnoverat, eam dependentiam à ſe ex vi luminis ſuperni perceptam ſcripſit.

31 Quo penitus corruunt Cenſuræ, & concluditur, minimè potuiſſe Cenſores propoſitionem Venerab. Matris configere, niſi prius ſaltem alijs ex capitibus diſcernendi veras inter, & adſcriptitias revelationes, hac, quade agitur, improbata & convulſa (quod hactenùs nec tentarunt, non modò fecerunt) potiſsimè non proſcripta, vti neque proſcripſere, revelatione de immaculata Deiparæ Conceptione; quoniam ea permiſſa, omnis omninò eſt adempta cavillandi occaſio, apertaque contradictione fulmina iacu-

iaculantur Pariſienſes; in quos propterea convenit illud Iuris (c) Canonici: *Vſque adeò calumniandi cupiditate cæcantur, vt non attendant, quàm ſint inter ſe contraria, quæ loquuntur.*

(c) *Cap.* 54 *de Apellat. & Cap. quod autē* 23.9.7.

§. III.

ARTICVLI DVODECIMI PROPOSITIO INIVſtè à Pariſienſibus damnatur.

32 PEtram ſcandali finxere ſibi rigidiſsimi Iudices in vocuſis illis, *per adminiſtrationem*; ſed quàm ineptè, excipiant velim à Gallo Authore, eò commodiùs, quò ipſis gratiore, Patre Vincentio Contenſono, Theologo pio & gravi, (a) aiente. *Quanta verò fuerit vis amoris & pietatis adverſum Matrem ſacram Dei Genitricem Mariam, facilè exiſtimaverimus, ſi conſideremus Chriſtum ſui obitum, Matri tamen de Filio providiſſe, & vicarium amoris ſui Ioannem ſubrogaſſe, dum dixit: Mulier ecce Filius tuus. Vtque moriens impleret præceptum omnibus impoſitum de honorandis Parentibus, EAM ADMINISTRATRICEM TOTIVS ECCLESIÆ PRÆFECIT, ET SVÆ AVTHORITATI SVFFECIT; dum Ioanni præſenti, & in eius Perſona toti Eccleſiæ, dixit. Ecce Mater tua.* En Mariam Eccleſiæ adminiſtratricem appellatam, et, quod duriùs ſonat, in illa adminiſtranda authoritati Chriſti ſuffectam, quin ideò Author is Francigena, cuius elucubrationes non latent Doctores Sorbonicos, hactenus audierit ab ipſis temerarius, erroneæque doctrinæ Patronus. Quid iſthuc diſcriminis eſt in iudicando apud viros, Chriſtianam profeſſos Religionem, quæ, vt optimè creditus (b) Paulinus, *neſcit perſonas accipere, nec conditiones hominū, ſed animos inſpicit ſingulorum*: Quid, inquam, iſthuc rei eſt?

(a) *Lib.* 10 *Diſſertat.* 4 *Cap.* 1. *ſpeculat.* 1.

(b) *In Epiſt. ad Celanciam, tom.* 2. *in App.*

33 At iam mihi videre videor Pariſienſes reſpondentes, Patrē Contenſonum ea verba exponere per illico ſubiuncta, nimirum; *Quaſi apertè* (Chriſtus) *diceret: ſicut nemo poteſt ſalvari niſi per meritum crucis & mortis meæ, ita nullus ſanguinis illius particeps erit, niſi interceſſione Matris meæ: Ille ſolus Filius dolorum meorum reputabitur, cui Maria Mater erit.* Perbellè: ergo Virginem Mariam adminiſtratricem Eccleſię geſsiſſe, non idem valet, ac Præfecturam, iuriſdictionemve Eccleſiaſticam in ſe ſuſcepiſſe, aut Eccleſiæ Præſidem egiſſe: aliter priora verba tàm non præfatus Author poſterio-

ribus

ribus expoſuiſſet, quàm prorſus negaſſet, revocaſſetque. Cur ergo Pariſienſes vt in Venerabilis Matris Gallico Opere invenere verba ea *per adminiſtrationem*, ſtatim in rigidiorem accepere partem, atque in nequiſsimum ſenſum, quem præſefert ſuppoſititia Facultatis Cenſura, ſunt interpretati? Præſertim cùm ſenſus propoſitionis, ab Authore Venerabili intentus, aliò remittatur declarandus & illuſtrandus: *ſicut dicam ſuo loco*: quæ verba, à tranſcriptis nullo interciſa puncto, præterquàm doloſè, aut nimiùm oſcitanter, nequivere Deputati reticere, & nec Facultati repræſentare; viam ita præcludendo diſcuſsioni illius loci, omni iure debitæ, & quam proculdubio adhibuiſſet Facultas.

34 Eum porro locum adire fas eſt, & comparare cum quibuſdam textibus Sancti Thomæ de Villanova, paucis generatim perſtringentis, quæ ibi Author Venerab. minutatim & fusè refert, vt impunitas propoſitionis affatim demonſtretur. Ex Venerab. Matre 2. p. Operis, nu. 1457. Virgo Maria, poſt Chriſtum ſepultum, miſit è Cœnaculo Ioannem, vt Petrum quęreret, inventum ad ſe accerſeret, pariterque cum alijs, quos inveniſſet, Apoſtolis ageret, omnibus ſpem veniæ, & ſuam ſpondendo amicitiam; Ioanni continuò Petrus occurrit, pudore & lachrymis plenus, qui, gravi affectus timore, coram excelſa Regina ſe iam conſtiturus accedebat; ſed illi tantæ Matris pijſsima ſignificata promiſsione ſolatio fuit Evangeliſta, & quidquam roboris attulit; ſtatimque ambo çæteros conquiſierunt Apoſtolos, & eorum quibuſdam repertis, cuncti vnà Cœnaculum petierunt, vbi ipſorum aderat Remedium, atque (ex num. 1458.) Virginis in conſpectu, ipſaque ſuffragante, primùm Chriſti Vicarius & Eccleſiæ Paſtor, poſtmodum revocatæ Apoſtolicæ oves, profuſis lachrymis, & eximiæ contritionis oſtenſis argumentis, præterita planxerunt errata, & ab eadem Virgine & Matre in Fide Redemptoris, ac veniæ ſpe, obfirmati fuere.

35 Modò audi Sanctum Thomam de Villanova. (c) *Virgo cũ Apoſtolico cœtu in Sancto illo Cœnaculo commoratur: illuc nanquè mæſta familia poſt Domini ſui obitum convenerat* (nota) *Matris ſolatium, & Magiſterium loco Filij ſuſceptura.*

(c) *Serm. de Chriſti Reſurrect.*

36 Quòd ſi protrahere quoque ſermonem placet ad tempora Chriſto in Cœlum evocato poſteriora, iteratò appello Sanctum Archiepiſcopum Valentinum. (d) *Cui* (Virgini) *propter ſingularem, & excellentem eruditionem, cæleſtis Magiſter, ad Patrem, vnde venerat, rediturus, Scholam, & Cathedram ſuam reliquit.* Cuius Magiſterij,

(d) *Serm. 3 de Aſſũpt. Virgin.*

tij, & munera & onera exactiſsimè expleviſſe Chriſtiparam, cùm Apoſtolos, tum Evangeliſtas inſtruendo, dirigendo, erudiendo, etiam in his, quæ ad vniverſæ Eccleſiæ regimen ſpectabant, & præſtitis conſilijs, & dubijs diſſolutis, habetur dilucidè, latèque 3. p. Myſticæ Civitatis; conſentientibus item cunctis Catholicis, compluries propterea Virginem nuncupantibus Apoſtolorum & Evangeliſtarum Doctricem & Illuminatricem, Fidei Magiſtram, omnium hæreſum Interemptricem, &c.

37 Vnde, ni de voce contentioſè diſputent Pariſienſes, haud vnquam inficiari audebunt adminiſtrationem Virginis erga Eccleſiam, & nocte illa funeſta & pòſt: quotuſquiſque enim Theologorum erit, qui Sanctiſsimam Mariam, iam vti Matrem, iam vti Magiſtram, Petrum Eccleſiæ Caput, alioſque Eccleſiæ Filios piè foventem, ad pietatem excitantem, dirigentem, protegentem, & innumeris alijs officijs ardentiſsimè proſequentem, Eccleſiæ ambigat adminiſtratricem inclamare? Nullus, exiſtimaverim: quippè nullus in prælatis Virginis muneribus non perſpicit adminiſtrationis genus quoddam; vno vel altero illorum excepto hominum, qui anguſto pectore omnia rimantur, qui in omnibus ferè offendunt; ex his nanque crediderim, nonneminem recuſaturum conſonam tantis operibus adminiſtrationis vſurpationem. Relegātur Contenſoni verba num. 32. & 33.

38 Verùm quantis ſpatijs abfuerit Venerab. Mater ab arroganda Deiparæ Eccleſiaſtica vlla, nedum ſuprema, Præfectura, compertum fiet evolventi eius Opera memoratis locis; vbi diſertè ementitum & falſum hoc ornamentum denegat, Deiparamque introducit idipſum non ſemel confirmantem, ſe Petro veluti Eccleſiæ poſt Chriſtum Supremo Antiſtiti, ſe Ioanni (quanquam alioqui ſubrogato Filio) veluti Altiſsimi Sacerdoti, ſe cæteris Filij ſui Chriſti Domini Eccleſiaſticis Miniſtris ſubditam, inferioremque eadem ratione, ſæpeſæpius profitentem, & ſemetipſam totidem verbis ab huiuſmodi laurea alienam conclamantem; quæ utpote veris ſemper cumulata titulis, falſis nunquam indiguerit honoribus.

39 Quocum rectè cohæret expenſa in ſuperioribus adminiſtratio, alia longè rubrica invecta; denotans nempe tenerrimam & officioſam tantæ Matris curam erga novę Evangelicæ legis, à Filio ſanguine ſuo firmatæ, profeſſores; denotans tantæ Magiſtræ eruditionem; non è ſacro ſuggeſtu, ſed è domo, non à ſe in publicis Eccleſiæ conventibus expoſitam, ſed privatim & familiaribus colloquijs

quijs

quiјs oblatam,& petentibus & indigentibus;in Eccleſiæ Paſtorem atque oves redundantem;ac tandem, vt paucis omnia comprehendam, denotans delatum Virgini convenientem honorem in Eccleſiæ Regimine & incremento, tanquam Dei & Fidelium Parenti, vtque divinarum veritatum Sacrario. Quamobrèm pro Antiſtita Venerabili accipias Sanctum Thomam de Villanova, qui poſteaquam dixit,Chriſtum ſuæ Matri Scholam & Cathedram reliquiſſe, ſubdidit ſtatim: *Non quidem vt oves ſuas regeret ſicut Petrus, ſed vt Diſcipulos ſuos cæleſti ſapientia, quam ab eo didicerat, erudiret.* Hæc ſunt, quæ ſignificantur verbis illis: *Sicut dicam ſuo loco*:à Deputatis prætermiſsis, adeò quidem conſentanea Venerabilis Matris Hiſtoriæ,adeò veritati addicta,vt niſi per atrocem calumniam detorqueri nequeant in erroneum dogma.

40 Imò etiam ſi propoſitio, Cenſuræ ſubiecta à Pariſienſibus, prout iacet,prædictis abſciſsis verbis,diſcutiatur, Cenſorum evadit accuſationes:quippè nō in ea habetur,*per adminiſtrationem*,abſolutè, ſed *per adminiſtrationem,quam habuit*, nempe per illam adminiſtrationem, quam habuit, quæcunque ea fuerit: hunc enim ſenſum omninò referunt verba illa:ad cuius veritatem ſufficit quævis adminiſtratio,etiam latiſsimè vſurpata. Deinde (quod maximè eſt ponderandum) ibidem non legitur, *per adminiſtrationem,quam habuit,Eccleſia,aut legis Evangelicæ tunc naſcentis*:ſed *per adminiſtrationem, quam habuit Regina illa initio legis Evangelicæ*: quæ valde differunt, nec ſibi æquivalent: quemadmodùm, exempli gratia, ſummopere diſsident, *Ludovicum* 14. *in hoc Eccleſiæ ſæculo adminiſtrationem gerere*, quod verè affirmatur, quoniam nunc Rex eſt Galliæ; *& eundem Ludovicum currentis modò Eccleſiæ adminiſtrationem ſortiri*; quo nihil abſurdius. Igitur vtrumque illum ſenſum confundere, & Venerabili Antiſtitæ priorem loco poſterioris obtrudere, eſt eidem, aut emota mente, aut per ſummum nefas, falſum pro vero affingere.

41 Si opponant Pariſienſes energiam eorum verborum: *Cooperans omnibus*: reſpondeo, iam ibidem temperatam præcedentibus verbis, *per affectum ferventem, quo petijt,&c.* quo pacto fuiſſe cooperatam optimè dicitur, nec vllatenus ſignificatur aliqua Virginis Eccleſiaſtica Poteſtas. Temperantur item eadem verba per ſubſequentia, à Deputatis ſuppreſſa: *Sicut dicam ſuo loco*:quibus ea Virginis Mariæ erga Eccleſiam ſignificantur officia,quæ per totum §. illuſtravi,& deſcripſi.

Si

42 Si etiam opponant vim verbi Gallici *gouvernement* per *adminiſtrationem* latinè expoſiti; reſpondeo, nec tantam cenſeri, vt vox illa ſatis generalis non ſit, & latiſsimè pateat, accipique poſſit pro quovis adminiſtrationis, & regiminis genere. Præterea, quidquid de illius energia ſit, omnino diſſolvitur obiectio ex dictis, potiſsimè num. 40. & 41. Præterquamquod ſi vox illa ambigua videbatur, conſulere tenebantur Cenſores Exemplar Hiſpanum; ſæpe enim inculcatus prætextus animadverſionis in Editionem Gallicanam, non Hiſpanam quodammodo excuſationem pareret, ſi Cenſuræ *præfatiunculam non haberent*, vt non in diſsimili prorſus eventu proferebat (e) adverſus Ruffinum S. Hieronymus. (e) *Lib.* 2.

43 Veruntamen vt conſtet Venerab. Matris doctrinæ puritas, atque ipſam inter & Interpretem diſsidium, repræſento verba, prout iacent in Exemplari Hiſpano. *Y luciò mas eſte amor en la noche, que cubriò la Igleſia con la muerte de ſu Hijo Santiſſimo, y en el Magiſterio, que tubo eſta gran Reyna en los principios de la Ley Evangelica, y en el afecto con que pidiò ſu eſtablecimiento, y de ſus Sacramentos; cooperando à todo (como en ſus lugares dirè) con el ardentiſſimo amor que tubo à la ſalud humana.* Id eſt: *Amor ille* (Virginis erga Eccleſiam Militantem) *magis eluxit in nocte, qua perfuſſa eſt Eccleſia morte Sanctiſſimi Filij ſui, et in Magiſterio, quod habuit Magna hæc Regina initio Legis Evangelicæ, et in affectu, quo petiit, vt ea & ipſius Sacramenta ſtabilirentur; cooperans omnibus (ſicut dicam ſuis locis) ardētiſſima dilectione, qua flagrabat humanæ ſalutis.* Hæc plana & ſyncera tranſlatio Hiſpani Exemplaris.

44 Vnde profectò clareſcit, Interpretem à ſuo aberraſſe munere, ſupponendo dictionem Gallicam *gouvernement* pro Hiſpana *Magiſterio*, quæ minus quàm illa ſonat; & ſatis implexè, atque incongruè referendo tria illa, in quibus magis eluxiſſe, refertur, amorē Reginæ erga Eccleſiam militantem; cum ea diſtinctè & cōcinnè admodum exponat Venerabilis Antiſtita. In cuius tandem præſentatis verbis nihil apparet, quod viris, benè in Virginem Mariam animatis, ſtomacho eſſe poſsit, quodque non cautè deſcribat eadem Author ſuis locis, & paſsim profiteantur Mariani Scriptores cùm Theologi, tùm Hiſtorici. Quapropter omnibus hinc inde apprimè penſatis, vndique liquet Cenſurarum iniquitas, Cenſorum fœdiſsimus lapſus, ita malè fucatus, ut ſeſe cuivis ſtatim prodat, ſic præſidenter commiſſus, ac ſi à nemine revelandus. Tempeſtivè (f) Magnus Parens Auguſtinus. *O Hominem ſe cogitantem dictorem, &* (f) *Lib.* 16 *cōtra Fauſtū. Manich. cap.* 26.

alium non cogitantem contradictorem! Vbi eſt acumen tuum? An in mala cauſa non poſſes aliter? SED MALA CAVSA TE VANA-LOQVI COEGIT; MALAM VERO HABERE CAVSAM NEMO TE COGIT.

§. IV.

CENSVRÆ MINVTIM AD CRISIM revocantur.

45 ARticuli vndecimi ſuppoſititiæ Cenſuræ Authores quædam addiderunt Deputatorum iudicio, ſed quæ illud ſemper retineant, vt ex vtriuſque collatione habetur; idcircò nō erit cur hoc ſeorſim ad examen traham, ſi illam ad criſim revocavero.

46 *Quamvis*, inquiunt, *Facultas Theologiæ Pariſienſis tenuerit & teneat, Sanctiſſimam Virginem fuiſſe in ſua Conceptione à labe originalis peccati praſervatam.* Tenuit næ id Sacra Facultas, & vt tuerentur, prima ſuos Doctores iuramento adſtrinxit; nec validius probavit hoc Virginis ſpecioſiſsimum decus, quàm ex dignitate Maternitatis, nunquam profectò inde argumentum deducturа, ni ſimul putaret permiſſo originali nævo demiſſum quadantenus iri ſplendorem Matris Dei quà talis, & Sanctæ Altiſsimi Civitatis, ipſique congruum admodum, & proportionatum non reſponſurum initium, atque fundamentum: ſi enim æquè ac modò tunc perfecta concederetur Maternitas, & æquè ac modò eius niteret dignitas, perfectio, ac ſtructura, ineptè prorſus ex Maternitate Immaculata repeteretur Conceptio.

47 Sed quovis diſcurſu Immaculatam ſuaſſerint Conceptionem Pariſienſes, neceſſe eſt, eam inter & Maternitatem agnoverint nexum vtminimùm, & connexionē à Deo libito ſuo de facto conſtitutam, atque adeò iuxta præſentem rerum ordinem Virginem Mariam non fuiſſe à Deo electam in Matrem ſuam niſi dependenter ab Immaculata Conceptione: ergo Virginis Maternitatem, aliàs Fide Catholica creditam, dependentem eo ipſo prædicant ab Immaculata Conceptione, nondum ad Fidem Catholicam pertinente; quin propterea Fidem in Concilijs ſtabilitam infirmaverint, in huiuſve criminis ſuſpicionem inciderint. Qui igitur Pariſienſes profitentur, nec conſequenter negare poſſunt idipſum, quod Venerabili Antiſtitæ vitio vertunt? Huc Petrus Cellenſis tam (a) appoſitè

(a) Epiſt. 3. lib. 6.

vt

vt in illos agere videatur. *Mira virtus veritatis, quæ adverſarios deprehendit nolentes, & neſcientes in aſtutia ſua; fugitivos namque ſuos frequenter vrget ad laqueos inevitabilis concluſionis, vt capiantur & illaqueentur ſermonibus ſuis, dum inviti vera loquuntur.*

48 *Tamen hæc doctrina, quæ Dogmata de Sanctiſſima Virgine ad Fidem Catholicam pertinentia, vt Maternitatem, & perpetuam Virginitatem, pendere aſſerit à ſententia, quæ de Fide Catholica non eſt.* Si *ſententia* preſſè accipiatur, falsò id Venerab. Antiſtitæ adſcribant Cenſores, utpote non à ſententia de Immaculata Conceptione, ſed à Conceptione ipſa pronuncianti dependentem Maternitatem, &c. At non me fugit, quandoque Scholaſticos vſurpare ſententiam pro re aſſerta, ſicuti opinionem pro obiectiva veritate opinioni ſubiecta; quo in ſenſu reor loquutos Pariſienſes, vt liberaliùs cum eis agam, quàm Venerabili cum Matre egere ipſi.

49 Huius verò ſenſus pietatem, veritatem, & à probroſa Cenſura impunitatem multis evici ſupra, quibus rurſum duo adiungo. Primò: Noſter Silveſter de Saavedra (b) nō quamcunque ſed eſſentialem, metaphiſicam, & nulla Dei potentia diſſolubilem connexionem propugnat Maternitatis Dei cum Immaculata Conceptione Matris: adeò dependentem cogitabat Maternitatem ab Immaculata Conceptione, adeò ſine ea indecoram: quam theſim vti Catholicam & ſanam probarunt doctiſsimi ſine numero Theologi ex probatioribus Hiſpaniæ Academijs; probavit & etiam Sanctum Hiſpalenſe Inquiſitionis Tribunal, ipſi ab Authore ſponte oblatam: eandem poſtmodùm promovit P. Didacus de Avendaño, (c) etſi tandem ſe doctiorum iudicio ſubmittat: promovet quoque P. Franciſcus Garau, (d) ſi eligenda eſſet Mater, eius expectato conſenſu, quemadmodùm contigit reipsà.

50 Quid, quòd & multò antea, ſi non expreſsis terminis, æquivalentibus ſaltem, & doctrinæ conſequentia ligatus, idem docuit Pater Valentia? (e) Aſſeruit enim, *adeò decuiſſe præſervari divinitus à peccato originali Beatam Virginem, poſito quod erat deſtinata ad tantam dignitatem, quanta eſt eſſe Matrem Dei, vt contrarium meritò iudicari poſſit fuiſſe futurum indecorum, atque adeò alienum, & abhorrens à Dei Sapientia, & Bonitate.* Quod autem talis eſt conditionis, nulla ratione à Deo permitti poteſt, qui nunquam à ſua Sapientia, & Bonitate recedere valet. Quare alios complures antiquos Doctores, imò & Recentiores perinde eloquutos, meritò in ſuam trahit ſententiam recitatus Saavedra.

(b) Veſtigat. 2. diſp. 11. per totum.

(c) Tom. 2. Problem. in Splend. Praeiud. n. nu. 291.

(d) In Dei p. eluicid. Triumpho 7. §. 3.

(e) Suprà.

Digitized by Google

51 Hanc porro probabilem opinionem , meam licèt non faciam , nec exiſtimem neceſſariam ad Venerabilis Abbatiſſæ tuendam doctrinam, ſcio à nemine ſuggillatam, à nemine eo ſpretam nomine , quòd obiectivam veritatem ad Fidem Catholicam ſpectantem eouſque pendentem efferat ex parte obiecti,& in eſſe rei ab obiectiva veritate, necdum Fide Catholica credita : ſcio etiam, hactenùs deſiderari,qui Catholicam de Maternitate Fidem ea opinione , vel ſuſpicatus fuerit infirmari : & nihilominùs Pariſienſes Theologi non verentur Venerabilis Matris criminari doctrinam, veluti Fidei Catholicæ firmitati adverſam,multò alioqui minorem invehentem dependentiam ; ſed qua id præſtent ratione ignorabit nemo mediocriter eruditus.

52 Conſultò addidi, *à nemine eo ſpretam nomine*, quoniam non me latet, Collegium Salmanticenſe Patrū Excalceatorum Carmelitarum alijs de cauſis in eam Saavedræ opinionem , & quaſdam alias nominatim , ac generatim in totum , aut fere, Opus eiuſdem calamo invectum,(f) tam non atramento, quàm felle tincto. *Alia* (inquit) *quæ Saavedra adducit , nempe dignitatem Matris Dei eſſe formam Sanctificantem corpoream.... ET NON POTVISSE* (Virginem) *ADHVC DE POTENTIA ABSOLVTA MACVLARI PECCATO ORIGINALI , ALIAQVE SEXCENTA , CONCITANT QVIDEM ADMIRATIONEM VVLGI,SED MAIOREM GRAVIVM THEOLOGORVM INDIGNATIONEM.* Quorum amabò Theologorum? Vnius R.Fr. Joannis ab Annuntiatione, viri licèt non infimæ ſanè notæ (*nec* enim *bonis adverſariorū,ſi boneſtum quid habuerint, detrahendum eſt*, vt aiebat (g) S Hieronymus) qui Author eſt illius 5.tomi,& tract. 14? Concedo ipſi graves illos,quos vocat,Theologos,dummodo memor ſit, graviſsimos & primarios, eoſq; cōplures, ex Salmātica,& tota propè Hiſpania,propoſitiones, Saavedræ ritè probabiles,nō ſine eximia Authoris laude,iudicaſſe.

(f) Tom.5 tract. 14. diſp.4.dub 8.nu.159.

(g) Epiſt. 55.ad Pāmachium & Oceanū de erroribus Origenis.

53 Quorſum ergo adeo malè materiata criminatio? Quam & iamdiù (vt ſæpiùs à Fide dignis excepi viris)Noſter Reverendiſsimus & Illuſtriſsimus D.D. Fr. Joſephus Gonzalez, Primarius Salmantinus, Epiſcopus Civitatenſis, dein Placentinus, vbi paucis abhinc diebus animam efflavit , modeſtiſsimus vt erat , & doctrina præſtantiſsimus, religiosè admodùm,ac nervosè diluit & contrivit, nimiamque in hac parte Cenſoris licentiam reprehendit publica concertatione , magno audientium plauſu in Salmanticenſi gymnaſio habita, pro Cathedra obtinenda. Certè quidem, Saavedræ opi-

Digitized by Google

opiniones non ſic malè audiunt, vt vel literulam, nedùm integra folia, iuſſerit eradi Sanctum Inquiſitionis Tribunal.

54 Nec patior alto præterire ſilentio quæ idem ſubdidit Author. *Quod noſtra verò refert* (ait) *admonitum deſideramus Lectorem, inter plures approbationes, quæ limina Operis Saavedræ exornant, reperiri etiam Lectorum huius Collegij Syngraphas laudatorias, in quibus R.P.Fr. Dominicus à S. Thereſia ſubſcribit; ſed virum hunc doctiſſimum ſcimus ſæpè de hac impoſtura conqueſtum fuiſſe, dum ingenuè aſſerebat, ſe nunquam tale iudicium vel tuliſſe, vel probaſſe.* Sed his neſcio quem impoſturæ arguere conatur Author: & niſi per inſignem hercle calumniam Saavedram non poteſt, hominé utpotè ſyncerum & illius generis mercium prorſus ignarum. Prçterquam-quod (alijs prætermiſsis) quis ſtatim incredibile non cenſeat, in eas ſe conjeciſſe anguſtias, cuius Opus tot, tantorumque Magiſtrorum ad nauſeam vſque calculis reverà commendabatur? Et ſiquidem ſubſcripſiſſe indecorum putat Fr. Joannes ab Annuntiatione, duos alios ſui Collegij graviſsimos Lectores hac labe reſpergit, dum ab vno Fr. Dominico à S. Thereſia eandem abſtergere nititur: ſin minus arbitratur, quò illa Lectoris admonitio? Reſpondet & concludit. *Quod vel inſinuare ſufficiat, vt videat prudens Lector, quanti facere oporteat approbationes, quibus Iuniores quidam exoticas opiniones ſuffulciunt.* Verba hæc ſunt, quæ non vnam tantummodo faciem præſeferunt, & omnino aut delenda aut corrigenda, ſi ipſis Author tentet (quod nec credam, nec gravi abſque iniuria facere potuiſſet) reliquas Operi Saavedræ adiectas ſubſcriptiones impoſturæ vertere.

55 Sed ad id, vnde tantiſper diſceſsi, redeo, & addo ſecundo. Quòd veritas aliqua obiectiva Fide ſit Catholica definita, aut non, illius non immutat naturam, connexiones, & obiectivas dependentias: ergo quemadmodùm ſi Immaculata Virginis Conceptio de Fide Catholica eſſet, liceret per Pariſienſes Cenſores ab ea pendentem aſtruere Virginis Maternitatem, dependentia obiectiva & in eſſe rei, licet & modò, eſtò Fide non credatur, ſed alio teneatur aſſenſu. Et ſanè, ni ego deſipio, nullus Immaculatam Deiparæ Conceptionem concedit, qui eo ipſo ſimul non fateatur connexionem & dependentiam inter illam & Maternitatem, ac reliquas Virginis dotes, manantem ſaltem à libero Dei decreto, non aliter de facto volentis in Matre ſua ornamenta vlla, quàm, vti primo tantæ Civitatis lapide, fœlici Immaculata Conceptione præmiſſa;

vt

vt innuebam num. 46. Nec (quod indicavi etiam nu. 29.) fas erit, de cæterò, ſi adventitiæ Pariſienſium Dialecticæ ſtemus, ex principijs Fide Catholica creditis probabile quid eruere, ne hac ratione obiectivas veritates, Fidei Catholicæ ſubiectas, connexas efferamus cum obiectivis veritatibus, non ita certis & firmis: id autem abſurdius eſt, quàm explicare poſſim. Adeo à veritate abalienantur hi Iudices, adeo infœliciter ſibi conſulunt; *Quid enim* (optimè obſervante (h) S. Baſilio Magno) *maius malum accidere cuiquam poterit, quàm vt rem omnium pretioſiſſimam, veritatem videlicet amittat?*

(h) *Epiſt. 69. ad Neocæſarianos.*

56 *Et ita pendere, vt alioqui fundamentum ſolidum non haberent.* At quodnam fundamentum? Nam qui hæc legerit, & cum Cenſuris compoſuerit, putabit, Venerabilem Antiſtitam loquutam de Fidei fundamento, quaſi rationabile non ſubſit motivum credendi Fide Catholica Maternitatem, perpetuam Virginitatem, &c. ſi Immaculata Virgini denegatur Conceptio: quod quidem puram putam continet calumniam: quoniam Fides divina non his, aut conſimilibus incumbit probationibus, vt aſſentiatur veritati ſufficienter propoſitæ, ſed verbo Dei eam revelantis; non enim veritatem credit propter ipſius rationes, aut connexiones obiectivas; ſed quia Deus dicit ita ſe habere rem; nec huiuſmodi Fidei aſſenſum pendentem conſtituit Venerab. Mater à veritate Immaculatæ Conceptionis: de quo ſupra latè dixi.

57 Porro, analogia deſumpta ex ædificijs corporalibus, Immaculatam Conceptionem fundamentum ſuperſtruendarum domum appellat, vt explanavi à num. 3. & ſæpè. Neque ait: *Abſque hoc Privilegio cætera omnia imperfecta* eſſent, ſed *viderentur, & veluti magnificum ædificium abſque fundamento ſolido, & proportionato*: nempe abſque initio conſentaneo, nam quæ conventio tenebrarum ad lucem, & culpæ originalis cum Maternitate, ac cæteris Virginis præclariſsimis chariſmatibus? Etenim (optimè (i) animadvertente Raynaudo) quis parvulus originali dum non exuitur culpa, *eſt monſtrum in genere entis ad finem ſupernaturalem deſtinati*, qui non monſtroſam & incongruam redoleret compagem: *Electa Dei Mater Satanæ concepta ſedes?* Profectò impunè addere potuit, addidiſſetque Venerab. Antiſtita *eſſent*: nam ſic Deus Sanctæ Civitatis ſuæ erexit ſtructuram, ſic eius conſenſit ſplendori, vt iuxta & exigentias ipſius noverit ſe non inferiori expleturum initio, quàm Immaculato Virginis conceptu; & propterea puriſsimam ſibi vndequaque Fœminam adamavit.

(i) *In Diptychis Marianis p. 2. punct. 2. num. 25.*

Fal-

58 *Falſa eſt, temeraria, & Fidem in Concilijs ſtabilitam infirmans.* Ah, quàm prodigi Cenſurarum Pariſienſes! Quàm exleges Cenſuræ! Earum falſitatem & perniciem multis demonſtravi; nec eſt quid pluribus Lectorem obruam; at non reticebo, nimiùm me dolere, Homines hos graviſsimo Hieronymi monito non exhibitos: *Prudentis hominis eſt* (aiebat (k) S. Doctor) *noſſe menſuram ſuam, nec zelo Diaboli concitatum, imperitiæ ſuæ cunctum Orbem teſtem facere.* (k) Epiſt. 65.

59 Circa Articulum 12. non vno procedunt metro Cenſores: Deputati tranſcriptam, prout iacet, propoſitionem his configunt obelis: *Falſa eſt, temeraria, & erronea*; ſed quàm iniuſtè, oſtendi §. 3. & inde iniquior apparet confixio, quòd nulla adhibita diſcretione, integram multans aſſertionem, detrahit amori Deiparæ erga Eccleſiam & primos Fideles, ipſis magnopere opitulatæ cùm ante, tum poſt Chriſti Domini in cœlum Aſcenſionem, & conſilijs & exemplis, & precibus ad Deum fuſsis.

60 Reliqui Iudices, nedum vt Deputati, ſilentio ea præteriere verba, *ſicut dicam ſuo loco*, quin etiam vltra progreſsi ſunt, hæc alia detruncando: *per affectum ferventem, quo petiit, vt Lex Evangelica, & Sacramenta eius ſtabilirentur, cooperans omnibus*; quibus omninò temperatur, & evertitur difficultas, ſi quam ſubminiſtrarat, vox Latina *adminiſtratio*, & Gallica, *gouvernement*: verùm neque hùc eorum ſiſtit græca Fides, ſed deformata propoſitione, hoc pacto eam refigunt: *Hæc propoſitio, quæ tribuit Sanctiſſimæ Virgini Regimen Eccleſiæ, Falſa eſt, temeraria, & erronea.* Quæ propoſitio? Nullam enim comperio, aut in Verſione Gallica, aut in Exemplari Hiſpano huiuſmodi abſolutum ſenſum referentem: idque ideò Cenſoribus iure oppono, quod, Adverſarios pudore ſuffundens, Sanctus Baſilius Magnus, (l) erroris per calumniam inſimulatus, aiebat. *Si verò erroris circa Fidem culpamur, oſtendatur nobis Syngrapha.* (l) Suprà.

61 Poſt hæc iam prelo commiſſa in Dialecticam incidi, tametſi ioco dignam, opportunè referendam; ea eſt (apud Joannem Molanum (m)) Hæreſiarchæ cuiuſdam, qui ex pictura Pentecoſtes, media inter Apoſtolos Deipara, colligebat, Catholicos opinari Deiparam præfuiſſe Collegio Apoſtolico, & principatum ac regimen in eos, & in Eccleſiam exercuiſſe: haud penitùs diſſentanea argumentandi formula nituntur Pariſienſes, qui vt ſubodorarunt Virgini adſcriptam adminiſtrationem quandam tempore naſcentis (m) Lib. 4 Hiſt. Imag cap. 15.

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ, continuò interpretati ſunt, Eccleſiæ regimen & principatum Deiparæ arrogatum: ridenda certè illatio,& meritò quemadmodùm illa alia,è Molano auditura: *Craſſam eſſe calumniam.*

62 Placuit quibuſdam Catholicis, Deiparam fuiſſe Præſidem Concilij Apoſtolici, de quo agitur in actibus Apoſtol. cap. 15. id negat,& quidem benè, Antiſtita Venerabilis 3.part. lib.8. cap.6. vbi & interdum alibi ita Virginem ab Eccleſiæ gerendo principatu alienam, ita Petro Chriſti Vicario, alijſque Apoſtolis ſubditam depingit, vt niſi inſaniendo in oppoſitum nequeat deflecti ſenſum. Præfati Concilij iniectam Virgini Præfecturam graviter & nervosè confutat Raynaudus, (n) ſubijciens nihilominùs. *Tametſi conſulta* (Deipara) *vt eſt profectò veriſimillimum, benèque cenſuit Caſtro cap.19. Hiſt. num.* 8. *mentem ſuam aperuit, & ſicut exemplo vitæ, ita etiam conſilijs & directione præſedit Collegio Apoſtolico.* His compendio ſignificat Deiparæ curam, & officia in aſſurgentem Eccleſiam, quæque illa ſolita erat exhibere, nedum tunc exercuit: aſt miror zelantiſsimos Pariſienſes adverſus Raynaudum non invectos ob voculam *præſedit*, peræque aptam, ni aptiorem,ad Cenſuras colorandas, ac vocula *adminiſtratio.*

(n) *Supra. p.*1.*punct.* 10.*nu.*13.

63 Illud denique miſſum non faciam, Pariſienſes inter Cenſurarum qualitates perpetuò falſitatem enumerare, quaſi ſpecialem ipſa conſtitueret gradum damnabilis propoſitionis, contrà ſentientibus vniverſis Theologis, è quibus præcipuè eſt conſulendus (o) Pater Joannes Martinez de Ripalda. Nec ita nonnunquam etiam obſervatum à Sede Apoſtolica, Cenſores iuvat; quoniam, eodem Authore optimè (p) diſtinguente, *Pontifex poteſt abolere aliquando doctrinam ſolo titulo falſitatis: quia eo ipſo talis doctrina redditur Cenſuræ Theologicæ ſubiecta,ſcilicèt oppoſita iudicio Eccleſiæ,quæ in definienda vera doctrina in rebus ad mores,& Religionem pertinentibus falli non poteſt. Quare Sententia falſitatis doctrina,lata à Pontifice,in ſenſu compoſito & in actu exercito eſt Cenſura Theologica: quia conſtituit opinionem cenſam falſam, nocivam Fidei, & oppoſitam authoritati Eccleſiæ. QVOD PROCVL ABEST A CENSVRA FALSITATIS LATA AB ALIIS* (Pariſienſibus v.g.) *QVI EA AVTHORITATE DESTITVTI SVNT.*

(o) *In Opere cõtra Baianes diſp.* 1.*Proœm. ſect.*7. *nu.* 57.

(p) *Ibidem num.*58.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XIIJ.

NVm. 301. *Cùm Divina illa Regina loquendo de ſe ipſa dixerit, per me Reges aſſumptos ad Thronum, & in illo ſervatos, per me ipſam Principes imperare, Potentes Terræ adminiſtrare Iuſtitiam,* Et in margine notatur cap. 8. Proverbiorum. V. 15. & 16.

CENSVRA DEPVTATORVM.

C*Vm ſolus Spiritus Dei loquutus fuerit per Scripturas, hæc propoſitio, quæ inducit SS. Virginem dicentem de ſe, quòd ipſa dixerit Proverbiorum 8. Per me Reges regnant, &c. Falſa eſt, temeraria, & verbo Dei contraria.*

SVPPOSITITIA FACVLTATIS CENSVRA.

C*Vm perſpicuum ſit, verba cap. 8. Proverbiorum de ſola Sapientia Increata, vel Incarnata, iuxta SS. Patram vnanimem conſenſum, ad literam eſſe intelligenda, & declaraverit Author in Libro pag. 61. Deum ad literam in eo capite de Verbo Incarnato, & SS. eius Matre locutum fuiſſe: Hæc propoſitio, quæ inducit SS. Virginem dicentem de ſe, quòd ipſa dixerit Proverbiorum 8. Per me Reges regnant, &c. Falſa eſt, & temeraria.*

DISSERTATIO XI.

CRISIM CENSVRARVM CVM EARVNDEM caſtigationibus exhibeo.

Q*Vis vnquam* (aiebat (*a*) Magnus Baſilius ſuos reprehendens Adverſarios) *in accuſandis vitiis nemine*

(*a*) *Epiſt. 69. ad Neocæſaria.*

mine contradicente defecit? Quod appoſitè in Cenſores convenit, perinde Venerab. Matris doctrinam inſectatos, ac ſi nemo pro ea in Orbe terrarum fuiſſet pugnaturus: nec mihi ita proferenti fides obligetur, niſi hac in Diſſertatione id evidenter probaverim.

§. I.

QVIBVSDAM EXPEDITIS, QVÆ SVPERSIT alicuius momenti difficultas aperitur.

1 DOCTORES Deputati, & alterius Cenſuræ Authores diverſis admodùm vijs modò procedunt, prioribus propoſitionem Venerabilis Antiſtitæ temerariam & verbo Dei contrariam ideò cenſentibus, quòd inducat Virginem Mariam loquẽtem verbis capitis 8. Proverb. *Per me Reges regnant, &c.* cùm ſolus Spiritus Dei loquutus fuerit per Scripturas; poſterioribus verò ad temeritatem vſque tantummodo protrahentibus Cenſuræ qualitatem, & alia quidem longè ratione ductis, quia nempe ad literam de Virgine intelligenda enunciat verba eiuſdem cap. 8. Proverbiorum, contrà quàm vnanimi conſenſu docent SS. PP. caput id 8. de ſola Sapientia Increata, vel Incarnata in ſenſu literali exponentes: ſed vnde tantum apud Cenſores diſsidium originem traxerit, facilè agnoſcet quiſquis textum confixum ſedulò appendat, atque alijs cum verbis Venerab. Matris conferat.

2 Numero itaque illo 301. vnde excepta eſt huius Articuli propoſitio, non Proverbiorum verbis, ſed ijs explanandis incumbit, *et Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam,* deſumptis ex Apocalipſis capite 21. quod per tria integrà capita declarandum ſibi propoſuit: ibique Catholicos Reges, & Principes adhortatur, vt Virginem Deiparam pijs proſequantur officijs, & eo nomine tutelam ſibi ac protectionem in illa conſtituant, ſubnectens, *y ſi los peligros ſon grandes en los Reyes, y Potentados, acuerdenſe, que no es menor ſu obligacion de ſer agradecidos; pues dize de ſi miſma eſta divina Reyna, y Señora, que por ella reynan los Reyes, y mandan los Principes, y los poderoſos adminiſtran juſticia, ama à los que la aman, y los que la iluſtran alcançaràn la vida eterna, porque*

obran-

Digitized by Google

obrando en ella no pecaràn. Nempe *Et ſi in magna conijciuntur diſcrimina Principes & Reges, meminerint ſe non inferiori iure adſtrictos, vt Virgini grates rependant, quippè quæ de ſe ipſa inquit hæc Regina & Domina, PER EAM REGNARE REGES, PRINCIPES IMPERARE, ET POTENTES ADMINISTRARE IVSTITIAM: eam ſe diligentes diligere, & habituros vitam æternam, qui illam elucidant, quoniam in eam operando non peccabunt.* Ita Hiſpanum Exemplar, vbi deſiderantur verba illa ab Interprete Gallico addita: *Aſſumptos ad Thronum & in illo ſervatos*: tametſi hoc diſcrimen nullius ſanè negotij ſit.

3 Pariter deſiderantur ea alia à Deputatis conſcripta, & quibus ipſi omninò nituntur ad Cenſuram ferendam: *Quod ipſa dixerit Proverbiorum* 8. ſed duntaxat habetur: *Quippè quæ de ſe ipſa inquit hæc Regina & Domina, per eam regnare, &c.* & quidem ea verba, eadem licèt cum alijs Proverbiorum: *Per me Reges regnant; per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam*; potuiſſet Virgo Maria privata revelatione proferre, quamvis nullus in rerum natura extitiſſet Proverbiorum liber: ergo cùm dicto numero 301. nulla huius Sacri libri fiat commemoratio, præfata verba ſpeciali aliquo caractere non exarentur, vt de more eſt in referendis textibus Sacræ Scripturæ, nec tandem vllo alio ſignò denotetur, alluſionem fieri ad Proverbiorum textum, vnde Deputati deducunt, ſermonem ibidem inſtitui, habita ratione Sacri textus Proverbiorum?

4 Reſpondent, id evincere notam illam marginalem, *Proverb.* 8. *v.*15. & 16. vbi legitur, *per me Reges regnant, &c.* O Bone Ieſu! Ad quas rediguntur anguſtias Deputati, notas marginales conquirentes (plerunque, in Operibus præſertim poſthumis, non ab illorum authoribus, ſed ab alijs adiectas) vt turpia creent nomina doctrinæ, quam alioqui proſcribere non ſunt auſi: nec inde quiſquam diligentiam Deputatorum commendet, quaſi vel leviſſimis non pepercerint apicibus, quinimo indidem incuriæ accuſandi ſunt: quoniam Venerab. Mater à num. 52. vſque ad 69. aperit & nominatim enucleat caput 8. Proverbiorum, à verbis *Dominus poſſedit me*, vſque ad, *deliciæ meæ eſſe cum Filijs hominum*, de Sanctiſsima Deipara ad litteram ea exponens, ipſamque propterea loquẽtem obijciens verbis: *Dominus poſſedit, &c.* quin Deputati vel vnicum ſuggillaverint verbum: qua ergo de cauſa, ſi crimen putant, Puriſsimam Mariam in libro Proverbiorum præfatam aſſerere, im-

punes prætermittunt in limine Operis integras paginas,vbi ita loquens diſſertè omnino exhibetur, & calumniandi occaſionem ſolummodo ſibi quærunt ex nu.illo 301.ſubobſcurè nimiùm & ambiguè eam ſubminiſtrante? Certè, nihil pro ſe adducent, quod ipſos parum induſtrios non deprompat.

5 At concedatur Deputatis, Venerabilem Authorem Proverbiorum verba recitare intendiſſe, vt veriſimilius puto,& de Virgine ediſſerens protulit iam ea; *Dominus poſſedit me,&c.* atque num. 545. pervìè prorſus ad Proverbiorum locum alludens, Virginem dicentem proponit. *Per me Reges regnant, Principes imperant, & Legum conditores iuſta decernunt.* Quid tum? Nonne etiam Eccleſia hæc eadem verba cum toto ferme capite 8. Proverbiorum,nominatim deſignato, Virgini Mariæ accomodat, & piè appingit, ipſamque proinde ijſdem verbis loquentem obijcit, in Feſto ad Nives, & de Mercede? ergo non licebit Venerab. Abbatiſſæ per Deputatos Pariſienſes, quod per Sanctam Catholicam Eccleſiam licet? Ah cœcitas pluſquam cimmerijs tenebris involuta!

6 Quid deinde ſibi vult ea cauſalis propoſitio, *cùm ſolus Spiritus Dei loquutus fuerit per Scripturas?* Fateor Spiritum Sanctum loquutum per Scripturas, eaſque omnes illo dictante, & aſsiſtente confectas; at quis eatenus affatum doceat, vt neminem alium loquentem in Scripturæ libris ſive Hiſtoricis,ſive Sapientialibus,&c. repræſentet,& introducat? Nullus quidem, niſi Spiritui Sancto reſiſtere velit, qui Beatiſsimam Virginem de ſe ita decantantem in Evangelio depingit: *Magnificat anima mea Dominum,&c.* interdumque ſimiliter alios invehit.

7 Opponunt, *Mariam Virginem nondum natam, quando edita ſunt Proverbia, ac proinde in illis loqui non potuiſſe.* Subtilitas hæc eſt omni pilo retuſior,& eximiam Deputatorum Sapientiam mirè patefacit: per ſe enim notum eſt,non poſſe quemquam phiſicè verba edere, quin tunc exiſtat; veruntamen peræque notum eſt, quin exiſtat, figurari poſſe loquentem, eiuſque nomine verba effundi, vtì Chriſtus, qui nondum velut Homo natus erat tempore Davidis, velut Homo inducitur à Spiritu Sancto in Pſalmis ita eloquens: *Dinumeraverunt omnia oſſa mea,&c. Ego autem in flagella paratus ſum,&c.* Et Proverbiorum quidam textus ſimiliter Virginis dicuntur verba apud Bernardum Robertum à Cripta, (*b*) *NEC ALTERIVS*, quandoque aientem, *TESTIMONIO VTI OPORTET, NISI IPSIVS VIRGINIS, CVIVS SVNT VERBA ILLA PROVERB.*

(*b*) *In Itinerario animæ ad Palmam Virg. to. 2. ram. 36.*

VERB. CAP.8. NVM. 22. & 23. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Haud diſsimilia apud PP. & cunctos Doctores innumera recurrunt exempla, conſultò non recitanda modò, ne Soli lucem afferre nitar, in quem abs dubio iaculantur Deputati, huius ignari doctrinæ; ſiquidem nemo ex his, qui Theologiæ expoſitivæ ſtudium deguſtarunt, ignorat, figuratas loquutiones ſæpiùs in Sacris Literis occurrere, & inibi ideò tum inanimatis, tum animatis rebus, quanquam necdum exiſtentibus, voces & alloquia identidem adaptari. Ergo ſatis de iudicio Deputatorum, deſpectu potiùs, quàm argumentis exſibilando.

8 Alterius Cenſuræ Patroni, altiora meditati, Deputatis non conſenſerunt; ſed velim deſignent, quo in loco Venerab. Mater Proverbiorum textum: *Per me Reges regnant, &c.* de Virgine Maria literaliter exponat: nam num. 301. vnde exſcripta eſt propoſitio, nihil eiuſmodi apparet, & ibidem ſcriptis ſatis conſulitur accommodatione, & Eccleſiæ & Doctoribus familiari, hactenuſque non improbata. Dicunt, id præſtitiſſe Abbatiſſam pag. 61. nimirum num. 54. (à Deputatis aut non lecto, aut non ſatis intellecto) vbi hæc eius verba de cap. 8. Proverb. *Hucuſque Proverbiorum locus, cuius ab Altiſſimo intelligentiam accepi. Et primùm intellexi, ſermonem ibi eſſe de decretis, à Deo iam habitis antequam Mundum crearet; ſermonemque etiam AD LITERAM HABERI DE VERBO INCARNATO, ET MATRE SVA SANCTISSIMA.*

9 Verùm hæc refert Antiſtita Venerab. ad textum Proverbiorum, quem præmiſſerat num. 53. non quidem integrum caput 8. complectentem, ſed à verſu tantummodo 22. *Dominus poſſedit me, &c.* ad verſum vſque 33. *& deliciæ meæ, &c.* Verba autem, *Per me Reges regnant, &c.* antea in eodem capite recitantur, videlicet verſu 15. & 16. ergo ex prædictis verbis non omnino evincitur, Venerab. Matrem cunctos hos verſus ad literam de Virgine Deipara intelligendos aſſeruiſſe: etenim idem tametſi videatur ſubiectum totius dicti capitis Proverbiorum, id non prorſus reverà conſtat, vt compertum fiet Interpretes Sacros evoluenti, apud quos cernere licet, non omnes illius capitis ſententias eidem adaptari ſubiecto, ſed quaſdam vni, quaſdam autem alij.

10 Hac tamen via nondum penitùs profligatur Cenſura, quæ, utpotè eò nixa fundamento, quod caput 8. Proverbiorum omni ex

par-

Digitized by Google

parte exponendum ſit de ſola Sapientia Increata, vel Incarnata, proculdubio attingit doctrinam Venerab. Matris num. illo 54. docentis, bonam partem eiuſdem capitis de Sanctiſsima Maria in ſenſu literali procedere: imò & rationabilius puto, quamvis expreſsè Venerab. Mater non dixerit, iuxta ipſius mentem ad literam de Virgine intelligi textum: *Per me Reges regnant, &c.* cùm quæ hîc ſignificantur non minus congruè in Virginem quadrent, quàm, *Dominus poſſedit me, &c.* Vnde quæ ſuperſit dificultas liquidò apparet, an ſcilicèt abſque temeritate poſsit quis caput 8. Proverbiorum literaliter interpretari & explanare aliter, ac referunt Cenſores, & illius ſaltem quaſdam ſententias Virgini in ſenſu literali appingere? Semel enim hoc admiſſo, non eſt cur negetur de textibus, quos Antiſtita Venerabilis commemorat, quippè in Virginem percommodè cadunt.

§. II.

CENSORVM DOCTRINA ET CENSVRA Falſa eſt.

11 ID vt evidentiùs demonſtrem, argumentum, quo nituntur Cenſores, ſub hac ſpecie propono, & examini ſubijcio. In eruendo aliquo Sacræ Scripturæ ſenſu temerarium eſt adverſari vnanimi Sanctorum PP. ſententiæ, quemadmodùm, præſertim (*a*) poſt Tridentinum, fatentur Theologi, dum de locis Theologicis ediſſerunt; ſed iuxta SS. PP. vnanimem conſenſum caput 8. Proverbiorum omni ex parte ad literam eſt tantummodo intelligendum de Sapientia Increata, vel Incarnata: ergo abſque temeritate nequit idem caput aut ex toto, aut ex parte, ad literam exponi de Sanctiſsima Virgine: ac proinde doctrina Venerab. Matris, hunc invehens literalem ſenſum, temeritatis iure optimo accuſatur.

(*a*) *Seſſione 4.*

12 Reſpondetur primò. Concedo maiorem, cuius vberrimam & explicationem, & illuſtrationem profert (*b*) Auguſtinus Redingus, omnino videndus in nunquam ſatis laudato Opere de Inextincta veritate Concilij Tridentini: & nego minorem; neque enim cœtus PP. adeo conſentit, vtî opus erat argumento, ſed in diverſa abiere ſenſa circa ſubiectum dicti capitis 8. Proverbiorum: nam (optimè animadvertēre (*c*) Illuſtriſsimo Salazario) cùm Arriani ex hoc capite plurima haurirent teſtimonia ad dogmatis ſui comprobatio-

(*b*) *In Seſſion. 4. Cōcil. Trid. ſect. 1. argutiá 9.*

(*c*) *In cap. 8. Proverbior. nu. 1.*

bationem,& quibus evincere ſibi videbantur, Filium Dei, qui Sapientia illius ac Verbum eſſe dicitur, creaturam eſſe;Patres Arrianis repugnantes, varias, atque diſsimiles adinvenere acceptiones Sapientiæ, cuius quidem nomine verba eiuſdem capitis efferuntur; adeo vt Maldonatus (*d*) dixerit: *Hunc locum* (ſcilicèt, *Dominus poſſedit me) multis modis veteres Authores interpretati ſunt.* Plures ex illis (quos & addenſat Salazarius ipſe) in eam conſpirarunt ſententiam,nomine Sapientiæ ibidem Incarnatam Sapientiam accipi, Chriſtum ſcilicet Dominum,verum Deum & Hominem,quia alia in Deum, alia in Hominem aptiſsimè conveniunt: quo factum, vt Arrianorum argutiæ conciderint,& in auras evanuerint.

(*d*) *In cap. 8. Proverbior.*

13 Sed tamen D.Gregorius Nazianzenus,*cuius* (admonente (*e*) Sancto Thoma) *tanta eſt in doctrina Chriſtiana authoritas,vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præſumpſerit*,argumenta etiã Arrianorum diſſolvens,putat,(*f*) eo loci Proverbiorum Sapientiam quandam communiſsimam ab Increata & creata abſtractam, per Proſopopœiam à Salomone inductam fuiſſe; quapropter inquit: *Non Salomonem accuſabimus, non priſtina ipſius dicta ob poſtremum ipſius lapſum abrogabimus, NON IPSIVSMET SAPIENTIÆ, AC VELVT SCIENTIÆ, ARTIFICISQVE RATIONIS, SECVNDVM QVAM OMNIA CONDITA SVNT, HVNC SERMONEM ESSE DICEMVS. Pleraque enim ex his, quæ anima carent, Scriptura PER PROSOPOPOEIAM LOQVENTIA INDVCERE CONSVEVIT.*

(*e*) *1.part. quæſt. 61. art. 3. in Corp.*

(*f*) *Orat. 36.quæ eſt 4.de Theologia.*

14 Quam interpretationem perantiquam fuiſſe, & à Patribus item vſurpatam, non obſcurè fatetur idem Nazianzenus continuò ſubiungens. *Horum nihil proferre libet, etiamſi aliòqui à nonnullis eorum, QVI ANTE NOS EXTITERVNT, pro firmis & validis allata ſunt.* Neque verbis illis: *Horum nihil proferre libet*: ſententiam in præcedentibus expoſitam infirmat, ſed ita loquutus fuit, quia prælibato totius capitis communi ſubiecto, nempe Sapientia generatim conſiderata, & multifariam repræſentanda, particularem, vt verſaret ſententiam, *Dominus poſſedit me,&c.* deſcenderat; vbi de Chriſto fieri ſermonem, proque ipſo ſupponi Sapientiam, ex propria concedit Sententia, ſicut & reliqui Patres;at non negat iiſdem verbis alium etiam ſignificari poſſe ſenſum,Sapientiamque ibidem multimodè, proque varijs ſubiectis ſupponi.

15 Ante Nazianzenum multis retro annis hanc tradidit ſententiam Tertullianus relatus à Salazario,qui et (*g*) conſentiens, eã

(*g*) *Nu.2.*

appe-

appellat, *germanam magis, atque propriam intelligentiam*, ab ipſaque ſtare Caietanum, Ianſenium, & pleroſque Recentiores Interpretes, teſtatur; affirmabitque quiſquis illos adierit: vnius tamen Cornelij à Lapide (*h*) verba gratum ſit tranſcribere. *Nota primo,* inquit, *Sapientiam hic PER PROSOPOPOEIAM POETICAM ET COMICAM INDVCI vt Perſonam, quæ humani corporis organa, geſtus, vocem, concionem vſurpat. Idem factum eſt cap. 1. & Eccleſiaſtici 24. & Sapientiæ 7.* Et poſtea: *Nota ſecundo, Sapientiam, ſive Prudentiam & Virtutem hoc loco, & paſſim in Libris Sapientialibus ſumi in genere, PROVT ABSTRAHIT, AVT PROVT COMMVNIS EST INCREATÆ ET CREATÆ: Sive Sapientiam hìc ſignificare tam creatam, quàm increatam, quæ reipsà idem eſt cum Deitate & Deo, QVATENVS IPSA COMMVNICAT SE SAPIENTIÆ CREATÆ ET CREATVRIS.* Conſonat Bonartius (*i*) verba, *Dominus poſſedit me, &c.* ſignanter, perinde, ac Cornelius, iuxta multiplicem intellectum exponens, de Sapientia Increata cùm eſſentiali, tum genita, de Chriſto, & etiam de Sapientia creaturarum, ipſiſque communicata.

(*h*) *In cap. 8. Proverbior.*

(*i*) *In cap. 24. Eccleſiaſt.*

16 In hanc porro ſententiam frequentiùs relabuntur Interpretes, quia quæ leguntur capite illo 8. Proverbiorũ, partim æquè aptè partim aptiùs accommodantur creaturarum Sapientiæ, quàm Deo, Deoque Homini, & econtrario. Ergo cùm omnia prædicta de ſenſu literali procedant, compertò habetur, latiùs patere illum, quàm vt Cenſores pronunciant; & abſque vlla temeritate, nec repugnante, ſicuti obtruditur, vnanimi Patrum conſenſu, fas eſſe aliter, ac prætendunt Pariſienſes, in ſenſu literali exponere præfatum Proverbiorum caput; niſi audacter velint, omnes, aut propè, Interpretes recentes, eoſque graviſsimos, temeritatis inſimulare, & contra vniverſorum Patrum iudicium, ſenſum dicere invexiſſe literalem. Quamobrèm debita Patribus reverentia intemerata, quin & facem ipſis præferentibus, ſentire licet tot cum laudatis Interpretibus, *quorum* (vt verbis loquar (*k*) Hieronymi) *æmulari exopto negligentiam potiùs, quàm aliorum* Pariſienſium nempe Cenſorum *obſcuram diligentiam.*

(*k*) *Epiſt. 50. Apolog.*

17 Reſpondeo ſecundo, & permitto Pariſienſibus Iudicibus, Patres non niſi de Sapientia Increata, vel Increata, aut, quod profectò ad præſens propoſitum perinde facit, nunquam de Virgine Maria ad literam intellexiſſe Proverbiorum caput 8. vel minima ex parte acceptum. Quid inde? Quoniam longè diſtant, Patres non

de

de alio cogitaſſe literali ſenſu, & omnem alium poſitivè ac perſpicuè aut excluſiſſe, aut reprobaſſe: prius illud concedo, poſterius hoç omnino nego, mecumque negabunt quotquot Patrum Opera luſtraverint, ſi Cenſores excipiam, qui intrepidi, ac debita prætermiſſa diſtinctione, tanquam idem eſſet; *Patres ſolùm de Sapientia Increata, vel Increata verba Proverbiorum 8. ad literam expoſuere;* ac, *ſolùm de ea ad literam intelligi fas eſſe docuere: Patres de Virgine Maria ad literam non explanarunt eadem verba,* ac, *ita minimè eſſe interpretanda arbitrati ſunt:* omnia confundunt, & poſtremum ſenſum pro primo in Cenſura falsò ſupponunt, dicentes: *Cùm perſpicuum ſit, verba Capitis* 8. *Proverbiorum DE SOLA Sapientia Increata, vel Incarnata iuxta SS. PP. vnanimem conſenſum ad literam eſſe intelligenda.*

18 Quanquam igitur non liceat ſenſui, vnanimi conſenſione à Patribus admiſſo, repugnare, licet, eo conceſſo & in honore habito, alios præter Patrum mentem eruere, quoad verba Sacræ Scripturæ permittant: cuius rei exemplum innumeri exhibent Catholici Scriptores huius & præcedentium ſæculorum, qui Sacras Literas ea rubrica interpretati, ſui nominis gloriam non inventione minus, quàm eruditione compararunt; adeoque proſternitur Cenſura eo ſubſtructa fundamento, quod PP. non agnoverint dicto Proverbiorum loco ſenſum literalem, Virginem ſpectantem: is enim non contra ſed vltra exiſtimationem Patrum educitur.

19 Quòd ſi Cenſores ob reverentiam Patrum contendant, non inveſtigandos Sacroruum textuum ſenſus, quos Patres non tentaverint, Richardum audiant Victorinũ, (*l*) vt multa alia reticeam. *Sed,* inquit, *nec illud tacitè prætereo, quòd quidam, quaſi ob reverentiam Patrum, nolunt ab illis omiſſa attentare, ne videantur aliquid vltra maiores aſſumere. Sed inertiæ ſuæ eiuſmodi velamentum habentes, otio torpent, & alienam induſtriam in veritatis inveſtigatione & inventione derident, ſubſannant, exufflant; ſed qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Nos autem à Patribus pertractata cum omni aviditate ſuſcipiamus, & ab ipſis omiſſa cum omni alacritate perquiramus, & ſagaciter inventa cum omni liberalitate in commune proferamus, vt impleatur, quod ſcriptum eſt: Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia.*

(*l*) *Prologo in Viſ. Ezequiel.*

20 Obijcient forſan. Semel ſuſcepto literali ſenſu à Patribus edocto, alij itidem literali non ſupereſt locus, eò quòd multiplicem huius claſsis ſenſum continere nequeant verba eadem: ergo

non cohærent, quædam Proverbiorum verba ad literam de Virgine Maria interpretari, & ſenſum alium literalem eorundem verborum, Patribus probatum, non reijcere.

21 Reſpondeo, iuxta veram & communiſsimam ſententiam (cui perſpicuè ſubſcribit Venerab. Mater num. illo 54. & 3. part. Operis numer. 14.) ſtare multiplicem ſenſum literalem cum vnitate Sacri textus; id quod & docuit ſæpiſsimè Sanctus Auguſtinus, (m) cuius hæc ſufficiat tranſcribere: *Deus per ſermonem vnum in literis Sacris plerunque non vnam ſolùm, ſed plures etiam literales voluit ſignificare ſententias.* Idē ex Auguſtino didicit S. Thomas, (n) & rationem adjecit dicens. *Quia verò ſenſus literalis eſt, quem Author intendit; Author autem Sacræ Scripturæ Deus eſt, qui omnia ſimul ſuo intellectu comprehendit; non eſt inconveniens, vt dicit Auguſtinus 12. Confeſſ. ſi etiam ſecundum literalem ſenſum in vna litera Scripturæ plures ſint ſenſus.* Ergo Patrum literalis expoſitio non officit, quominus hæc alia probetur, à Venerabili Matre tradita; quamvis à Cenſoribus deſpectui habeatur, *quibus fatale eſt* (vt de alijs aiebat eleganter Paulus Sherlogus (o)) *QVIDQVID SVA EX OFFICINA NON PRODIIT, IN SVSPICIONEM VOCARE.*

(m) *Lib. 12. Confeſſio. cap. 18.*

(n) *1. part. quæſt. 1. art. 10. in Corp.*

(o) *Antelequio 1. in Cant. ſect. 5. nu. 36.*

§. III.

PRÆCEDENTIS §. ARGVMENTVM VLTRA illuſtratur, & Venerabilis Matris doctrina poſitivè ſuadetur.

22 HActenus traditis disjeci Cenſorum argumentum, & Cenſuram ipſi ſubnixam; reliquum eſt, vt Venerab. Abbatiſſæ aſſertum poſitivè aſtruam, abundantiùs confirmem, nec aliunde infami notæ obnoxium, ſed vndique pium, & probabile admodum eſſe, oſtendam, idque authoritate & ratione, quibus in ſimilibus dubijs probabilitas ſenſus literalis appenditur.

23 Arguo itaque ſic. Quando aliquis ſenſus verus eſt ſaltem probabiliter, & conſonat cum ſignificatione Sacræ Literæ, etiam ſpectatis contextibus, prudenter iudicatur ſenſus literalis Sacri textus: hoc enim veluti Canonē ad inveſtigandum ſenſum literalē Sacrorum textuum frequentiſsimè tradunt Theologi, & ex Divo Auguſtino (a) acceperunt, digniſsimè ſentiente de verbo Dei, & in hæc

(a) *Lib. 12 Confeſſio. cap. 31.*

Digitized by Google

hæc ſe ampliſsimè effundente verba. *Cum alius dixerit, hoc ſenſit Moyſes* (idē eſto iudiciū de quovis alio Canonico Scriptore) *quod ego, & alius imò illud quod ego, RELIGIOSIVS ME ARBITROR DICERE; CVR NON VTRVMQVE POTIVS, SI VTRVMQVE VERVM EST? Et ſi quid tertium, & ſi quid quartum, & ſi quid omnino aliud verum quiſpiam in his verbis videt, CVR NON OMNIA ILLA VIDISSE CREDATVR, PER QVEM VNVS DEVS SACRAS LITERAS VERA ET DIVERSA VISVRIS MVLTORVM SENSIBVS TEMPERAVIT?*

24 Conſonat Auguſtino Sanctus Thomas (*b*) ita eloquutus. (*b*) *Quaeſt.*
Aliud eſt, ne aliquis ita Scripturam ad vnum ſenſum cogere velit, *4. de Potē-*
quòd alios ſenſus, QVI IN SE VERITATEM CONTINENT, ET *tia art.* 1.
POSSVNT SALVA CIRCVNSTANTIA LITERÆ SCRIPTV- *in Corp.*
RÆ APTARI, PENITVS EXCLVDANTVR; hoc enim (perpende rationem) *ad dignitatem divinæ Scripturæ pertinet, vt ſub vna litera multos ſenſus contineat; VT SIC ET DIVERSIS INTELLECTIBVS HOMINVM CONVENIAT, ET VNVSQVISQVE MIRETVR, SE IN DIVINA SCRIPTVRA POSSE INVENIRE VERITATEM, QVAM MENTE CONCEPERIT.* Et paucis interpoſitis ſubdit. *Vnde non eſt incredibile, Moyſi & aliis Sacræ Scripturæ auctoribus hoc divinitus eſſe cōceſſum, VT DIVERSA VERA, QVÆ HOMINES POSSENT INTELLIGERE, IPSI COGNOSCERENT, ET EA SVB VNA SERIE LITERÆ DESIGNARENT.... VNDE OMNIS VERITAS, QVÆ SALVA LITERÆ CIRCVNSANTIA POTEST DIVINÆ SCRIPTVRÆ APTARI, EST EIVS SENSVS.*

25 Rationem Angelici Magiſtri tetigerat iam Auguſtinus, & (*c*) 1. *part.*
illuſtraverat, quam & expendit graviter (*c*) meus Zumelius: quo- *q.* 1. *art.*
niam talem exiſtimare debemus Sacram Scripturam à Deo condi- 10. *quaeſt.*
tam, qualem optaremus eſſe Scripturam à nobis confectam ad exi- *ſua* 5.
miam ipſi conciliandam dignitatem; ſed nos omnes cuperemus Scripturam noſtram adeo eſſe fœcundam, vt omnia illa ſignificaret ex intentione noſtra, quæ quiſque legens prudenter intelligere quiret ſub illius litera: ergo & eiuſdem rationis exiſtimare debemus divinam Scripturam.

26 Audiatur modò D. Auguſtinus, cuius ſicut & Angelici Præceptoris, nulla vnquam tam longa verba, vt maiorem non parturiant doctrinæ fructum. *Ego certè* (inquit (*d*)) *quod intrepidus de* (*d*) *Vbi ſu-*
corde meo pronuncio, SI AD CVLMEN AVTHORITATIS ALI- *prà.*
QVID SCRIBEREM, SIC MALLEM SCRIBERE, VT QVOD VE-

Digitized by Google

RI QVISQVE DE HIS REBVS CAPERE POSSET, MEA VERBA RESONARENT, QVAM VT VNAM VERAM SENTENTIAM AD HOC APERTIVS PONEREM, VT EXCLVDEREM CÆTERAS, QVARVM FALSITAS NE NON POSSET OFFENDERE. Nolo itaque Deus meus tã præceps eſſe, vt hoc illum virũ (Moyſem, ſubintellige, & idem cenſe de reliquis Canonicis Scriptoribus) *de te meruiſſe non credam. Senſit ille omnino in his verbis, atque cogitavit, cùm ea ſcriberet, QVIDQVID HIC VERI POTVIMVS INVENIRE, ET QVIDQVID NOS NON POTVIMVS, AVT NONDVM POSSVMVS, ET IN EIS INVENIRI POTEST.*

27 Atqui ſenſus eſt verus cùm probabiliter, tum certò reſpectivè, iuxta quem de Virgine Maria enunciantur capitis 8. Proverbiorum verba, prout docet Venerab. Mater; imò & alia plura, vt conſtat ex accommodatione Eccleſiæ, exque illorum expoſitionibus, & elucidationibus paſsim obvijs apud Interpretes Sacræ Scripturæ, ac Theologos Scholaſticos de dotibus Marianis conſcribentes: & præterea huiuſmodi ſenſus quadrat ſignificationi Literæ Sacræ, etiam ſpectato contextu particularium ſententiarum, quoad permittit ſtylus libri Proverbiorum, vbi non ſemper ad eruendum ſenſum literalem requirenda eſt regula de connexione cuiuſvis ſententiæ cum antecedentibus & conſequentibus, ſicut neque in libris Prophetalibus & quibuſdam alijs: eò quòd plures ſententiæ, etiam immediatæ, per ſe ſtant, & per ipſas varia multò atque diſsita ſignificant Canonici Scriptores; ita optimè inter complures animadvertente Patre Bonfrerio (*e*) per hæc verba. *Nota tamen, hanc regulam in Pſalmis & Prophetis ſubinde, itemque ſententijs, quæ ita per ſe ſtant, vt cum antecedentibus & conſequentibus connexionem non habeant, CVIVSMODI SVNT MVLTÆ IN PROVERBIIS & Eccleſiaſtico, locum non habere*: ergo dicta Proverbiorum verba prudenter de Virgine Maria intelliguntur in ſenſu literali.

(e) In Prę-loquijs ad Sacram Scripturã. Cap. 20. ſect. 3.

28 Minorem ea ex parte, quæ quidem ſolum eget probatione: *Huiuſmodi ſenſus quadrat ſignificationi Literæ Sacræ, &c.* longum eſſet ſingillatim, ſingulaſque percurrendo ſententias Sacri textus ſuadere; legantur quæ tradit Venerab. Abbatiſſa, quæque Doctores crebro, & conſonantia hæc cum Sacræ Literæ ſignificatione patefiet; atque generatim inde oppidò liquet; quòd verborum vi ſignificativæ ineſt capacitas ad omnia ea complectendum, ita vt Deus rationabiliter potuerit verbis ipſis illam intendere ſignificationem.

Con-

Digitized by Google

29 Conſequentia patet, & ex proximè dictis vberior exurgit illius probatio: ſi enim inſpecta amplitudine ſignificationis verborum, ſic contingere potuit, cùm aliunde non conſtet non accidiſſe, ita factum prudenter aſſeritur, aſſenſu probabilitate ſaltem innixo; idque dignitatem verbi Dei commendat, quemadmodùm ex SS. Auguſtino & Thoma exſcripſi ſuperiùs.

30 Atque eandem opinionem tuentur Sanctus Petrus Paſchaſius (*f*) inquiens. *Oportet igitur intelligere & credere (& hoc per ſpecialem gratiam) quod hæc præfata Virgo eſt ea, de qua Proverbia Salomonis loquuntur, quod ante omnem creationem fuit electa.* Quæ Sancti Doctoris loquendi norma ſenſum mihi videtur reſonare literalem.

(*f*) *In Biblia parva tit.* 23. *nu.* 71.

31 Petrus Galatinus, (*g*) qui verba *Dominus poſſedit me, &c.* ad literam de Divina Sapientia, & de Virgine Maria ſimul intelligit; quin & ea: *Ab initio & ante ſæcula creata ſum*: ex Eccleſiaſtici cap. 24. cui affine valde eſt caput 8. Proverbiorum, vti obſervant Interpretes, pariter de Virgine exponit, & de Divina Sapientia intelligi negat; ſed hoc poſterius minimè probo.

(*g*) *Lib.* 7. *de Arcanis Cathol. verit. cap.* 1.

32 Petrus Caniſius. (*h*) *Etſi enim ſumma & æterna Sapientia Chriſtus eſt, cui ſuperiora verba* (nempe, Dominus poſſedit me, &c.) *primùm & præcipuè competunt, nihil tamen prohibet, quominus eadem ſecundariò ad Matrem Domini referatur; nec à Scripturæ phraſi alienum eſt, vt idem locus ad caput & inſigniora eius membra in alium, atque alium ſenſum accommodetur*: id eſt, ſecundum aliam, atque aliam ſignificationem, tametſi vtramque literalem, ſed primariam, quæ Chriſtum reſpicit, & ſecundariam, quæ Mariam, ſicuti indicant priora verba.

(*h*) *Lib.* 1. *de Deipara cap.* 11. *ver. Quanquam.*

33 Ludovicus Alcazarius (*i*) præcedentibus expreſsiùs, & luculentiùs, eandem promovet opinionem, multis hinc inde accitis coniecturis pijs valde, valdeque rationi conſentaneis: & quidem veriſimile non ſit, eò alicuius ingenium, quamvis acutiſſimum, pervenire poſſe, vt verbis Sacris rationabiliter vtendo plus Virgini honoris deferat, quam reipsà voluerit per eadem verba Spiritus Sanctus illi tribuere; ſed Proverbiorum verba, de quibus loquitur Venerabilis Abbatiſſa, imò & plura alia, ſicut & bonam partem capitis 24. Eccleſiaſtici, Virgini Mariæ dotibus perſæpe accommodant Authores in ſenſu, quem in literæ ſignificationem quadrare arbitrantur: non igitur eſt, cur negetur Spiritum Sanctum, gloriæ & honoris Virginis, utpotè chariſſimæ ſibi ſponſæ, eximiè cupidum

(*i*) *Notat.* 2. *ad cap.* 12. *Apocalip. v.* 1.

Digitized by Google

dum & induſtrium, eandem ſignificationem verba illa dictando intendiſſe: quod ſenſum arguit literalem.

34 De Chriſto autem, qui Sapientia Dei eſt, Sacros illos textus ad literam intelligi tantum abeſt, vt prætenſum hunc alterum ſenſum literalem impediat, quin potiùs, præſuppoſita, vt ſupponitur, literæ capacitate, ipſum enixè ſibi adiungat, propter mutuam Chriſti & eius Sanctiſsimæ Matris coniunctionem, propter maximam vtriuſque ſimilitudinem, propterque vtriuſque arctiſsimum neceſsitudinis vinculum; id quod Virginem Mariam magnopere, nec vltra ipſius dignitatem, commendat; ſiquidem quid Reginæ cœlorum nobilius, aut honorificentius accreſcat, quàm cum Filio eius ita iungi, vt vbi de Filij excellentia fit ſermo, ibidem quoque de Matris excellentia non taceatur?

(k) *Suprà.*

35 *Hoc certè* (ait pulcherrimè Alcazarius (k) idem) *Virgini Sanctiſſimæ glorioſius & honorificentius eſt, quàm ſi alijs totidem, ſive locis, ſive verbis de illa ſeorſum à Filio ageretur: dignius enim eſt, & excellentius Reginæ, vt ſella ipſi in eodem Regis Throno, ſub eodem periſtromate, & ſub eadem cortina collocetur, quàm ſi in alio throno, atque ſede, quantumvis excelſa reponatur.*

(l) *De Cõcept. Virg. diſp. 3. cap. 5. num. 8.*

(m) *In Procemio Triſag. Mariæ Intervallo 5.*

(n) *Veſtig. 3. diſp. 21. ſect. 2. nu. 425.*

(o) *Tom. 2 de Emin. Deiparæ cap. 5. q. 19. & alibi ſæpe.*

36 Subſcribunt Alcazario, Iacobus Granadus, (l) & Hadrianus Lyræus, (m) non ſine illius laude; quibus adnecto Silveſtrum de Saavedra (n) perſpicuè aſſerentem, nihil obſtare, quominus dicatur nedum in ſenſu accommodatitio, ſed etiam IN LITERALI SECVNDARIO intelligi de Virgine EA, QVÆ VIRGINI CANIT ECCLESIA DESVMPTA EX PROVERBIIS, CANTICIS, ET SAPIENTIA. Addo etiam Joannem Baptiſtam Novatum (o) expreſsè conſentientem.

37 His ſi adijciam revelationem, quam pro ſe affert Venerabil. Mater, non leviter creſcit probationis pondus: quoniam aptiſſimè potuit Spiritus Sanctus per verba Proverbiorum, quibus de loquitur eadem Mater, ſignificare ſenſum, Virginem ſpectantem; deinde id non intendiſſe necunde certò habetur; atque adeo cùm Mater ipſa proferat ſibi à Deo revelatum Spiritum Sanctum ita intendiſſe reipsà, hæc revelatio improbari hinc nequit, niſi aliquo alio ex capite ſecernendi veras revelationes à falſis incredibilis oſtendatur; atque etiam dum id non exhibeatur, aſſertio, ſub ſpecioſo revelationis velamine edita, profliganda non eſt. Quam arguendi regulam multoties inculco, quia in ſimilibus materijs efficaciſsimam autumo.

Ex

38 Ex his omnibus pius ac prudens Lector agnoſcat Cenſorum levitatem, doctrinam probabilem, honorem Virgini Mariæ congruentiſsimum mirè foventem, fœcunditatem Sacræ Scripturæ religiosè commendantem, turpi temeritatis nota obſcurantium: illam ſiquidem nolint facere ſuam, per ipſos ſtat, verùm inurendis Cenſuris abſtineant, ne magis lædere quam ſapere omnibus velle videantur; alioqui *breviter à me reſponſum habeant* (verba ſunt S. Hieronymi (p) adverſus quoſdam Cenſores ſuos) *corrigere eos debere peccata, non reprehendere.* (p) *Epiſt.* 50. *Apologetica.*

§. IV.

SVPPOSITITIA FACVLTATIS CENSVRA caſtigatur.

39 CVm *perſpicuum ſit* (inquiunt illius Authores) *verba cap.* 8 *Proverbiorum de ſola Sapientia Increata, vel Incarnata iuxta SS. Patrum vnanimem conſenſum ad literam eſſe intelligenda.* Animoſitatem Cenſorum demiror, qui ſanè mihi videntur non cogitaſſe cum hominibus ſe agere; ſed quaſi pecora forent, qui Cenſurarum libellum legerent, aut lecturi erant, ſic abuſi ſunt eorum ingenij traditate. Vbinam perſpicuum, quod nec metas probabilitatis attingit? Oſtendi §. 2. ex vulgatiſsima ſententia, conſenſui Patrum minimè adverſa (Quî enim fieri poterat, vt ſenſus aliquis Scripturæ, cunctorum Patrum choro repugnans, invaluiſſet apud tot, tantoſque egregios, & ſpectatiſsimos Interpretes?) Oſtendi, inquam, ſubiectum cap. 8. Proverbiorum Sapientiā eſſe Idealem, quæ iam vocem gerat Sapientiæ Increatæ, vel Incarnatæ, iam Sapientiæ & Prudentiæ creaturarum, imò & ſub eiſdem literis omnium earum non ſemel, ſecundum diverſos ſenſus, ſed omnes literales. Legantur, quæſo, iterum Cornelius à Lapide, & Bonartius. (a) (a) *Vbi ſuprà.*

40 Aſt concedo Cenſoribus, Patres de ſola Sapientia Increata, vel Incarnata ad literam intellexiſſe caput 8. Proverbiorum. Eſt ne hoc perinde ac ita ſolùm intelligenda dixiſſe? Eſt ne idem, aliquem ſenſum à Patribus non cogitatum, ac Patribus adverſum eſſe? O Bone Deus! Venerabilis Abbatiſſa Patrum ſenſum non impugnat, ſed propugnat, & alterum addit, illorum menti neutiquam contrarium; attamen Cenſorum conſeſſus, vt Matris doctrinam

Digitized by Google

nam temeritatis falsò impacto probro detereret, ſtropham eam prætexuit: *Cùm perſpicuum ſit, &c. Non enim poterat* (appoſitè

(b) *Lib. 2. adv. Marcio. cap. 1.*

Tertullianus (b)) *ædificare mendatium ſine demolitione veritatis; ALIVD SVBRVERE NECESSE HABVIT, VT QVOD VELLET EXTRVERET.*

41 *Et declaraverit Author in libro pag. 61. Deum ad literam in eo capite de Verbo Incarnato, & SS. eius Matre locutum fuiſſe.* Declarant & id plerique Authores §. 3. recenſiti, quorum aliqui largiùs quidem, quàm Venerab. Mater, partiunculas tantum quaſdam eiuſdem capitis 8. Proverbiorum exponens iuxta prælibata num. 9. quin hucuſque illorum vllus temeritatis fuerit inſimulatus, ſeve vnanimi Patrum reſiſtere ſenſui vel leviter ſuſpicatus fuerit; modò verò Pariſienſes, vt exinde debitam Patribus obſervantiam violari mentiantur, falſitatis argumenta componunt, eoſdem Patres ſiniſtrè interpretando.

42 *Hac propoſitio, quæ inducit Sanctiſſimam Virginem dicentem de ſe, quòd ipſa dixerit Proverbiorum 8. per me Reges regnant, &c.* Venerab. Mater non inducit Virginem dicentem de ſe, quòd ipſa dixerit, &c. Sed ait, Virginem dicere *per illam regnare Reges, &c.* Et ſi pagina 61. nempe num. 44. expreſsè dixerat Venerab. Abbatiſſa quædam capitis 8. Proverbiorum verba ad literam de Virgine, nedum de eius Filio intelligi, cur potiſsimùm damnant propoſitionem, *cum hæc Regina dicat, Proverb. 8. per illam regnare Reges, &c.* deſumptam ex num. 301. nec contentam ſub alijs numeri 43. nec ad literam de Virgine alicubi expoſitam? *Sed hæc alijs* (vtî aiebat (c) Hieronymus) *aut loquenda, aut ridenda dimitto.*

(c) *Epiſt. 65.*

34 *Falſa eſt, & temeraria.* Huius Cenſuræ falſitatem ſatis ſuperque oſtendunt præcedentia, vt taceam alia complura, quæ argumentum à paritate deſumptum ſubminiſtrat; ſive enim ex libro Eccleſiaſtici, ſive ex libro Sapientiæ multa deducuntur, & Virgini ad literam à pleriſque applicantur, quibuſcum maximè conſonant verba capitis 8. Proverbiorum. Neque Patrum ſilentium hac in parte quenquam terrere debet; cùm nec Deus omnia ipſis aperuerit, ſed multa poſteris reſeranda ſervaverit, ita paulatim omnem edocens veritatem, & ſuccedentia tempora novis etiam illuſtrationibus fœlicitans, ſicuti expendebam Diſſert. 2. nec Patres ijdem, ſi de his ſenſibus cogitarunt, eos promere tempeſtivum fuerint arbitrati, alijs ſtabiliendis dogmatibus præſertim intenti, dum illa verſarunt loca.

Illud

Digitized by Google

44 Illud à Pariſienſibus Cenſoribus enixè velim, quòd de Sacræ Scripturæ fœcunditate liberaliùs ſentiant, deque Magiſterio Sanctiſsimæ Virginis Mariæ; quæ (opportunè elucidante (*d*) Patre Velazquio) apud Salomonem cùm *doctrix diſciplinæ*, (*e*) tum etiam Turris ædificata ad docendum dicitur; vbi enim nos legimus, (*f*) *Turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis*, in Hebræo habetur, *ædificata eſt ad diſciplinas* ſive, *ad docendum*, vt, ſicut paulò antè dixerat eo in loco Sapientiæ Salomon; (*g*) *cùm ſit vna, omnia poteſt, & in ſe permanens, omnia innovat, & per Nationes in animas ſanctas ſe transfert; amicos Dei & Prophetas conſtituit*: ſic tanquam diſpenſatrix Scientiæ & Sapientiæ Dei nova de die in diem luce diligentes ſe perfundat, vt ab ipſis meliùs & opportuniùs Scripturæ Sacræ verba intelligantur, ea præcipuè, quæ ad ipſius dotes quoquo modo faciunt.

(*d*) *De Cõcept. lib.* 3. *Diſſertat.* 4. *adnotat.* 3. *num.* 6.
(*e*) *Sapientiæ* 8. *v.* 4.
(*f*) *Cantic.* 4. *v.* 4.
(*g*) *Sapien.* 7. *v.* 27.

45 Facem prætulit Richardus à Sancto Laurentio (apud eumdem Velazquium) rem hanc (*h*) ediſſerens. *Gratiam*, inquit, *largitur maximè diligentibus ſe, qua Scriptura Sacra de die in diem meliùs intelligatur, & pertrahentibus pluribus multiplicetur ſcientia; ipſa etenim revelat profunda de tenebris, & cum ſit doctrix diſciplinæ, amicos Dei, & Prophetas, id eſt, Sapientes, conſtituit.*

(*h*) *Lib.* 12 *de Laud. Virgin.*

ARTICVLVS XIV.

NVm. 330. *Altiſſimi potens brachium cœpit tunc in illa operari nova prodigia, vltrà quàm homines cogitare poſſunt. Primum omnino inſolitum iſtud fuit: demandata eſt Angelorum multitudo præter numerum, qui tollerent in cœlum Empyreum corpus ſimul & animam illius, quæ electa fuerat in Matrem Verbi æterni; & Principes beati illico obtẽperantes ſuſceperunt amabilem hanc infantem de manibus matris ipſius Annæ, & ſolemnem inſtituerunt procedendi pompam.*

Num. 382. *Sæpè aſſumebatur ſecundùm corpus in cœlum, volente Deo, per miniſterium Angelorum.*

Digitized by Google

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

H*Æc propoſitio falſa eſt, temeraria, erronea, & doctrinæ communi SS. Patrum & Eccleſiæ contraria,*

SVPPOSITITIA FACVLTATIS CENSVRA.

H*Æ propoſitiones falſæ ſunt, temerariæ, & contrariæ Verbo Dei, Ioann. cap.* 14. *v.*2. *Vado parare vobis locum. Hebr. cap.*6. *v.*19. *&* 20. *Spem habemus incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi Præcurſor pro nobis introivit Ieſus. Cap.*10. *v.*19. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam.*

DISSERTATIO XII.

CRISIM CENSVRARVM CVM EARVNDEM caſtigationibus exhibeo.

(a) *Præfat. lib. in Exam.*

S*I aliquid novum & minus conſuetum* (aiebat (*a*) prudentiſſime Anaſtaſius Synaita) *noſtra dictat oratio, obſecramus tam præſentes, quàm futuros Filios Eccleſiæ, ne inimico, invido, malignoque animo, ſed fraterno audiant, quæ dicuntur.* Quam admonitionem obſervaſſent vtinam omnino Pariſienſes, ſed qui noluerunt exactiùs rem conſiderare, nunc ſaltem æquo animo audiant, quæ dicentur, & Cenſuras ipſi recantabunt.

§. I.

PRÆCIPVA OBIECTIO A VENERAB. MATRE propoſita, & à Sanctiſſima Virgine ſoluta.

1 POSTEAQVAM priorem Articuli propoſitionem ſcripſerat Venerab. Mater num. illo 330. difficultatem præſenſit, atque San-

Sanctiſsimam Virginem his eſt alloquuta verbis num. 336. *Si annuis, Domina mea, vt coram te loquar, dubium quoddam proponam.* Et num. 337. *Dubium hoc eſt: quomodo intelligendum, te per manus Sãctorum Angelorum in corpore ad Empyreum vſque Cœlum, atque Divinitatis vſque intuitum evectam? QVANDOQVIDEM IVXTA DOCTRINAM SANCTÆ ECCLESIÆ, EIVSQVE DOCTORVM, OCCLVSVM FVIT HOMINIBVS COELVM ET QVASI INTERDICTVM, VSQVE DVM FILIVS TVVS SANCTISSIMVS MORTE SVA ILLVD APERVIT, AC VT REDEMPTOR, ET CAPVT FVIT INGRESSVS POST RESVRRECTIONEM IN DIE MIRABILIS ASCENSIONIS SVÆ; ITA VT PRIMVS ILLE EXTITERIT, CVI ADAPERTÆ FVERE PORTÆ ILLÆ ÆTERNALES, QVÆ ANTEA PROPTER PECCATVM CLAVDEBANTVR.* Hactenus Venerab. Mater difficultatem abſolutiſſimè objjciens.

2 Reſpondit Sanctiſsima Virgo, cuius hæc ſufficiat tranſcribere verba. Num. 338. *Dilectiſsima filia mea, verum eſt, divinam Iuſtitiam mortalibus primam ob culpam cœlum obſeraſſe, quoad Filius meus illud aperuit; vita ſua & morte ſuperabundanter pro hominibus ſatisfaciens; atque adeo conveniens & iuſtum erat, vt Reparator ipſe, qui tanquam Caput redempta ſibi copulaverat membra, iiſque Cœlum recludebat, ipſum priuſquam cæteri Adami filij ingrederetur.*

3 Num. 340. *Et quia non me ORIGINALIS CVLPA TETIGIT, NON MIHI IMPEDIMENTO FVIT, QVOD RELIQVIS MORTALIBVS, QVOMINVS INGREDERER PER ÆTERNALES COELI PORTAS, QVINIMO OMNIPOTENS FILII MEI BRACHIVM MECVM EGIT, TANQVAM CVM DOMINA VIRTVTVM, ET COELI REGINA.*

4 Num. 341. *Quamobrèm Spiritus cœleſtes portas mihi aperuere æternales, quas ipſi, vt ſuas habebant, agnoſcentes, ME PVRIOREM A DOMINO CREATAM CVNCTIS ANGELIS ETIAM SVPREMIS, VTQVE IPSORVM REGINA ET OMNIVM CREATVRARVM DOMINA ESSEM.* Et animadvertas chariſſima, *QVI LEGEM CONDIDIT, POTVISSE ABSQVE CONTRADICTIONE IN ILLA DISPENSARE, VTI MECVM ID FECIT SVPREMVS LEGISLATOR ET DOMINVS, VIRGAM SVÆ CLEMENTIÆ LIBERALIVS PROTRAHENS, QVAM ASSVERVS CVM ESTHERE, NE LEGES COMMVNES, QVÆ CVLPAM SPECTABANT, MECVM IPSA INTELLIGERENTVR, quæ Mater Authoris gratiæ futura eram.*

Digitized by Google

5 Solutionis doctrinam, tantæ Dominæ & Magiſtræ veniâ, expendo. Cœlum claudebatur hominibus originalem ob culpam & in ipſius pœnam, quoad reparator Chriſtus eam, exhibita morte, diluit, & Deo pro hominibus ſatisfecit; cùmque Sanctiſſima Virgo à culpa originali immunis fuerit (imò & à debito illam contrahendi, ita vt neque in Adamo peccaverit, iuxta probabiliſsimam opinionem, itemque doctrinam Venerab. Abbatiſſæ in hac 1.p. Operis num.48.& 55.) eapropter talem non incurrit pœnam, ſed extra legem conſtituebatur cæteris hominibus communem; atque adeo incredibile non ſit, ſed valde conſonat Deiparæ dignitati, illam ſæpè in cœlum fuiſſe evocatam, quatenus docet Abbatiſſa Venerabilis.

6 Nemini verò difficultatem moveant verba, *qui legem condidit, potuiſſe abſque contradictione in illa diſpenſare,* quaſi Sanctiſsimam Virginem hæc lex quandoque etiam ligaverit: quoniam reipsà Deum cum Virgine diſpenſaſſe, quod ſatis præſenti eſt inſtituto, enunciant ſubſequentia: *Vtì mecum id fecit Supremus Legiſlator & Dominus*: & deinde quia verbum *diſpenſare* latè ibidem accipitur, prout idem valet ac *non comprehendere ſub Lege ex vi ſuæ inſtitutionis*, id ita inclamantibus poſtremis verbis: *ne Leges communes, quæ culpam ſpectabant, mecum ipſa intelligerentur*: maximè habita ratione præcedentium, *virgam ſuæ clementiæ liberaliùs protrahens, quam Aſſuerus cum Eſthere*, quibus ad ea Aſſueri (b) cum Eſthere alluditur verba: *Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.*

(b) *Eſtheris cap.* 15 *v.* 13.

7 In cuius reſponſi ſuffragium advocare eam poſſem ſententiã, quæ docet, Virginem Mariam, ſi Chriſto fuiſſet præmortua, in cœleſtem ſtatim ituram Patriam: illam enim probabilem & veriſimilem ſupponit (c) Eximius Pater Soarius, opportunè adijciens: *ET IN PARISIENSI SCHOLA DICITVR ESSE COMMVNIS*: licèt in oppoſitam ipſe declinet, vt communiorem & veriſimiliorem, ſed tandem ſubiungens: *Quanquam dicere poſſimus, ſapienter providiſſe Deum, ne ſimilis eventus accideret, vt omnia incommoda ceſſarent*; quo additamento ſatis inſinuat, ſe haud reſolutè admodùm in partem ire negantem. Eandem affirmantem ſententiam abſolutè, & multa brevi perſtringens noviſsimè tuetur (d) Pater Martinus Torrecilla, atque ex Noſtris quidam Theologi in publicis apud Oſcenſes defenſarunt theſibus abſque vlla prorſus offenſione.

(c) *Tom.* 2. *in* 3.*p.diſp* 3. *ſect.* 5. *in fine.*

(d) *Propugnac. Orthodoxæ Fid. tract.* 1. *Propoſ.*26 *à nu.* 287.

At-

8 Atque hanc quoque opinionem magnopere firmare videtur huiuſmodi diſcurſus. Sanctus Thomas, (*e*) Sanctus Bonaventura, (*f*) & quidam alij Authores non ob aliam rationem negarunt, Virginem in ea hypotheſi in cœleſtem Patriam ſtatim evocandam, niſi quia originali labe illam infectam exiſtimarunt. Perplures etiam in eundem ideò abiere ſenſum, quamvis Virginis puram Conceptionem propugnent, quia in Adamo peccaſſe arbitrantur; vtì præ alijs cernere licet (*g*) in Ægidio Luſitano: ergo cùm probabiliſsimum ſit, nec in Adamo Virginem Mariam peccaſſe, probabiliſsimum quoque cenſendum, nihil obfuturum, quominus ea Chriſto præmoriens in cœleſtem oppidò evolaret Patriam.

(*e*) *In 3. diſt.3.q.1. artic.2.*

(*f*) *Ibidem quaſt. 3.*

(*g*) *De Cōcept.lib.3. quaſt. 2. art. vn. §. 4.num.34.*

9 Sed ne hac opus eſt opinione ad Venerab. Antiſtitæ confirmandam doctrinam, procedentem quidem de raptu Deiparæ ad Empyreum, non vt ibi permaneret, perennaret, deincepsque inhabitaret, ſed vt ad breve moraretur tempus, & æternam ſibi futuram Patriam oculis etiam corporalibus velut Hoſpita inviſeret, obiterque luſtraret; id autem, quemadmodum levioribus ſubijcitur difficultatibus, ſic & creditu facilius eſt, quàm prædicta opinio, de qua nihil perſpicuè, & in terminis, vt aiunt, terminantibus, tradidit Venerab. Author; tametſi ipſius doctrinis magis conveniat, quod & ipſe ex animi ſententia profero, Virginis Mariæ animam tunc in Empyreum non evocandam ante Chriſti Domini Aſcenſionem.

10 Hoc autem media adhuc via exponendum reor, extremas ſententias ad gratam redigente concordiam. Ex inferiùs enim dicendis conſtabit, *Cœlum hominibus Deum obſeraſſe ob culpam Originalem*, potiſsimùm, & tanquam pœnam includere privationem eſſentialis ſupernaturalis beatitudinis, eiuſque ſtatus, & acceſſoriè tantummodo privationem realis ad Empyreum aditus, quatenus ſcilicet conſtitutum illud eſt Beatorum ſedes, vtque inibi eternùm Deo perfruantur, ita vt poſterior hæc privatio quidquam pœnæ non afferret, priori remota privatione, & ſtatu beatitudinis extra Cœlum animabus conceſſo: quamobrèm Virginis Mariæ anima, quæ originalem labem omnino ignoravit, etiamſi priuſquam Chriſti anima à Corpore recederet, ſtatim obtineret beatitudinis ſtatum, nempe, viſione & fruitione beatifica inamiſsibiliter decoraretur; quod quidem opinati ſunt plerique Doctores, ijque graves & priſci, & neoterici, quorum ſyllabum dabunt (*h*) Illuſtriſsimus Ximenius Samaniego, & Gabriel Henaus, (*i*) qui maximè e re no-

(*h*) *Nota 26.*

(*i*) *Empyrolog.exercitat. 18. ſect. 15.*

noſtra addit: *Sic refertur DECREVISSE VNIVERSITATEM PARISIENSEM circa annum* 1530.

11 Empyreum verò non incoluiſſet, Chriſto non præeunte. Ratio: Quia Chriſtus Dominus primogenitus eſt vivorum & mortuorum, atque Virginis quoque, redemptione tametſi duntaxat præſervativa, verè ac propriè Redemptor: ergo ſicut Chriſti anima, priuſquam cuiuſvis alterius hominis, perennem obtinuit viſionem Dei & fruitionem: ſicut Virginis corpus tunc caſus ad vitam glorioſam & immortalem, antequam Chriſti corpus non reſurgeret, vt nemo credo negabit; ac tandem ſicut modò animæ Patrum in ſinu Abrahæ expectantes Chriſti Redemptionem, ad Cœlum non fuere evectæ, niſi Chriſto præcurrente, quamvis eius exhibita morte evanuerit ingreſſus impedimentum, ex culpa originali proveniens; ſic etiam anima Virginis Mariæ Chriſto præmorientis, originalem licèt ſordem non contraxerit, Chriſti Aſcenſionem præſtolaretur, vt in Empyreo inhabitaret.

12 Nec minorem ideò quiſquam putet futuram animæ Virginis iam Beatæ gloriam accidentalem, quàm ſi præclara Empyrei inhabitatione potiretur; ſiquidem tum Beatiſsima Deiparæ anima Chriſtum comitaretur, nec pateretur ab ipſo divelli, cuius quidem reali præſentia & comitatu, largiſsimè compenſaretur gloria illa accidentalis ex poſſeſsione Empyrei alioqui emergens; cui enim iucundior non ſit, cui non gratior, cui non glorioſior pijſsimi Regis aſpectus, potentiſsimi & vndique ornatiſsimi Principis realis præſentia, realeque conſortium, quàm illo abſente ipſius in Aulæ commoratio? Nemini profectò, quippè, tēpeſtivè & elegantiùs nunquam, deſcribente (k) S. Petro Chriſologo, *Aula regalis fulget auro, nitet marmore, picturis ſplendet, grandeſcit ſpatijs, levatur culmine, amœnatur viretis, ipſo terribilis eſt ſecreto; ſed ſine Rege honorem non habet, caret gloria, eſt vacua ſolitudo, eſt clauſa eremus.*

(k) *Serm.* 42.

13 Ducor ad præfatum ſtabiliendum comitatum ipsâ rei congruentiâ, quam & dupliciter illuſtro. Primò ex Sancto Thoma (*l*) dicente: *Statim Chriſto mortem patiente, anima eius ad infernum deſcendit, & ſuæ paſſionis fructum exhibuit Sanctis in Inferno detentis* (quia ſcilicet ſupernæ beatitudinis dulcedine ſtatim illorum animas Deus perfudit) *quamvis ex loco illo non exierint, Chriſto apud inferos commorante: quia* (animadverte rationem) *ipſa Chriſti præſentia pertinebat ad cumulum gloriæ*: ergo ob eandem rationem concederetur Deiparæ in ea hypotheſi iugis cum Chriſto convictus.

(*l*) 3. *part. quæſt.* 52. *art.* 5, *ad* 3.

Dein-

14 Deinde. Ex Venerab. Abbatiſſa 2. p Operis num. 1477. Patres, quos è ſinu Abrahæ,& alij iuſti, quos è Purgatorio eduxit Chriſtus poſt mortem, & Reſurrectionem ſuam, eundem affectabantur ſemper, & quoad in terra vixit:ergo idem Virgini futurum ab inſtanti deceſſus eiuſdem, ſi Chriſto præmoreretur, credibile valde eſt. Ergo ſatis de quæſtione hypothetica, quanquam de Virgine Maria nunquam ſatis. Hinc autem minimè deducitur argumentum contra doctrinam Venerab. Abbatiſſæ, Cenſura ſuggillatam, quæ, utpotè ſolum loquens de raptu in Cœlum Empyreum tranſeunti, nullatenus derogat Chriſti dignitati, nihil continet à vero abhorrens, nulloque firmo quatitur ſive authoritatis, ſive rationis momento, vt venditant Pariſienſes Cenſores, quibus hæc ex Auguſtino eflari liceat. (m) *Videte .... quàm facilè reſpondeat veritas, & ſana doctrina quàm facilè diſrumpat hunc veſtræ quæſtionis tanquam inevitabilem .... laqueum.* Atque iterū dico, *videte*, purgatiſque animis, hæc quæ ſequuntur, excipite.

(m) *Lib. 14. contra Fauſt. Manich. cap. 12.*

§. II.

VENERABILIS MATRIS DOCTRINA VLTRA illuſtratur & diſcutitur.

15 VT dilucidè pateat, quantis diſtet ſpatijs doctrina Venerab. Matris à Pariſienſium Cenſuris, argumentum, cui ipſi proculdubio fidunt, & §. præcedenti iam tetigi, operæpretium erit exactiùs diſcutere. Vniverſis Catholicis affirmantibus Deus hominibus aditu ad Cœlum interdixit, quoad ipſius pandit oſtiū Chriſtus Dominus morte ſua; ſed Venerab. Mater prædictis propoſitionibus docet, Virginem ante Chriſti mortem ad Cœlum evocatam ſemel & ſæpius: ergo hæc doctrina omnium Catholicorum ſenſui repugnat, & digna proinde eſt, quæ Cenſuris proſcribatur.

16 Reſpondetur 1. Aditus ad cœlum interdictus erat hominibus, ſeu, quod idem valet, Cœlum vniverſaliter claudebatur hominibus ante Chriſti mortem non alia de cauſa, niſi ob culpam; & hic eſt etiam omnium Catholicorum ſenſus, quem præ alijs Caietanus paucis perſtrinxit verbis, (a) dicens. *Clauſio Regni Cœlorum eſt privatio divinæ fruitionis poſt hanc vitam, non qualiſcunque, ſed ex tali orta, & fulta cauſa, ſcilicet ex peccato. Et* prop-

(a) *3. part. quæſt. 49. art. 5. in Corp.*

propterea aperire cœlum, nihil aliud eſt, quàm tollere peccatum tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. Deipara vero labem culpæ omnino ignoravit, nec contraxit, atque adeo lege illa non comprehendebatur; quia, vt ipſe ait Caietanus, *Clauſio Regni cælorum nihil aliud eſt, quàm obſtaculum peccati, quo impedimur à Cœlo,* vnde ſi Chriſto præmortua fuiſſet, non ideò cœlum non ingrederetur ſtatim, quia huic legi vindicativæ ſubiaceret, ſed quia, tametſi cœlum ipſi non fuiſſet obſeratum, præſtabat cum Chriſto in terris commorari, quam in cœlo, abſente Chriſto, inhabitare, prout dixi à num. 11. & ob alia ibidem tradita.

17 Reſpondetur 2. & eſt explicatio, atque confirmatio præcedentis ſolutionis. Communis hæc loquutio: *Cœlum claudebatur, hominibus, & ipſis illud Chriſtus ſua morte aperuit,* parabolicum ſtylum redolet, & ſecundum ſpiritum potiùs, quàm ſecundum literæ crudam ſignificationem eſt accipienda. *Clauſum fuiſſe Cœlum*, vt benè expreſsit Caietanus proximè memoratus, & omnes explicant Doctores, ſtabat in privatione divinæ fruitionis (intellige quoque ſub fruitione viſionem) permanentis & ſtabilis, id eſt in privatione ſtatus beatifici, ita vt nulli hominum communicanda eſſet divina viſio & fruitio permanenter ante Chriſti mortem; & id quidem in pœnam peccati: *Quia non niſi vt pœna* (ait (b) optimè idem Auhor) *retinebat privationem illam divina benignitas.*

(b) *Ibidē.*

18 *Cœlum hominibus ſua Chriſtum morte reſeraſſe,* omnes Doctores vniformi explicant ratione, ſed maximè omnium mihi placet Caietanus ipſe, (c) qui hunc Articuli Sancti Thomæ adaperiens Titulum: *Vtrum Chriſtus ſua paſſione aperuerit nobis ianuam Cœli?* Scripſit. *Titulus clarus ex conſuetudine Eccleſiæ, vtentis iſta parabolica loquutione. Vocat enim cœli ianuam per ſimilitudinem ad ianuæ fructum (qui eſt impedire, vel expeditam reddere penetrationem interiorum) fruitionis divinæ conſequutionem; ita quòd aperiri cœli ianuam eſt expeditam facere conſequutionem beatitudinis, quæ nulli ante Chriſti paſſionem conceſſa eſt.* Sua tamen paſsione expeditam prorſus illam reddidit, quia peccatum penitus diluit. Vnde animæ Patrum, in Sinu Abrahæ cõquieſcentes, ſtatim, & nulla interpoſita mora divinam ſunt adeptæ beatitudinem poſt vltimum inſtans vitæ Chriſti, adeo vt ſenſerit Pater Soarius, (d) vel animam Chriſti in inſtanti à Cruce ad Sinum perveniſſe, ſi præſente ipſa animarum gloria incœpit, vel antea iam ipſas glorificatas, ſi motu ſucceſsivo diſtantiam illam pervaſit.

(c) *Initio Articuli.*

(d) *Tom. 2 in 3. part. diſp. 43. ſect. 3.*

In

19 In his porro vertitur potiſsimè, quod prædicta vſitata ſignificatur loquutione; at veluti ſecundariò, & acceſſoriè privationem æternæ beatitudinis conſequebatur etiam privatio realis aditus in Empyreum, quatenus hoc creatum & inſtitutum à Deo fuit, vt ſedes eſſet Beatorum, vtque à nemine permanenter & æternaliter inhabitaretur, niſi permanentis & æternæ beatitudinis gratia; atque econtra ſimiliter cenſendum eſt de aditu ad Empyreum, conſequuto aditum ad æternam beatitudinem; quamobrèm Pater Soarius, (e) cum præmiſiſſet, certa Fide tenendum, ante Chriſti mortem nullam animam, quantumvis ſanctam, & puram, eſſentialem beatitudinem accepiſſe, & recenſiſſet S. Thomam, Scotum & reliquos Catholicos, ex eorum mente ſubiunxit. *Qui hoc ſenſu tradunt, Chriſtum morte ſua aperuiſſe hominibus ianuam Regni. QVOD POTIVS DE ESSENTIALI BEATITVDINE, QVAM DE CORPOREO LOCO COELI EMPYREI INTELLIGENDVM ESSE tradit etiam Innocentius in Cap. Maiores de Baptiſmo.*

(e) *Suprà diſp.* 42. *ſect.* 1.

20 Id graviter quoque inde confirmatur, quòd Chriſto Domino cœlum morte ſua recludente, illico Patrum animæ, in Sinu Abrahæ degentes, ſtatum beatitudinis obtinuere, ſed non ſtatim ad cœlum evolarunt, quanquam pœna deleta omnino fuerit: ergo non ingredi cœlum, beatitudine conceſſa, quidquam pœnæ non affert: atque adeo vindicativa lex illa de obſerando cœlo privationem beatitudinis, & cœli apertio, per Chriſtum facta, beatitudinis conſequutionem potiſsimùm ſpectabat, ſecundariò vero, & veluti quid acceſſorium ob rationem datam num. anteced. ingreſſum, aut privationem Empyrei reſpectivè. Vnde Pater Pererius, diſputans an Henochus, poſtquam translatus eſt, videat divinam eſſentiam, & partem tenens negantem, (f) ſubdit: *Ad huius ſententiæ confirmationem plurimùm valet .... Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum aperuiſſe hominibus aditum in cœlum, cunctis ante ipſum clauſum, & introduxiſſe homines in conſpectum, & gloriam Dei Patris, quod verum non eſſet, ſi Henoch, poſt tot annorum millia ante Chriſtum, vidiſſet Deum. Neque ad veritatem vel perfectionem viſionis Dei refert, videatur ne Deus.... in cœlis an in terris.*

(f) *Lib.* 7. *in Geneſim quæſt.* 5.

21 Ex quibus doctrinis habetur primò, Virginem Mariam non comprehenſam ſub lege illa vindicativa, nec ipſi Chriſtum aperuiſſe cœli ianuam, nunquam eidem clauſam, ſed vt ex Chriſti meritis prævisis illam Deus à culpa originali, cuius occaſione cœlum hominibus claudebatur, præſervavit, adeo vt nec illam con-

Digitized by Google

trahendi debitum ſuſtinuerit, ſic & præſervatam fuiſſe,ne ſubjaceret communi aliorum legi, privationem beatitudinis vt pœnam indicenti, antequam Chriſtus exercitè mortem perferret; id quod omnes illi, benè multi & graves, tueantur neceſſe eſt Doctores, qui Virginem, ſi Chriſto præmoreretur, ſtatim æterna arbitrantur exornandam beatitudine, quam modò ante Chriſti mortem non accepit, quia non Chriſto præmortua eſt.

22 Habetur ſecundò, legem illam indixiſſe privationem divinæ viſionis, & fruitionis permanentis & æternæ;hæc enim eſt,quæ ſtatum beatitudinis conſtituit; non verò impedijſſe,quominus ante Chriſti mortem concederetur tranſeunter alicui, vel aliquibus, pro libito Dei, viſio divinæ eſſentiæ, ac ſubinde fruitio viſionem ſuapte natura conſequens: vtì factum cum Moyſe, poſt Sanctum Thomam à D. Auguſtino edoctum,probabiliſsimè dicitur,&(quod è re præſenti maximè eſt) cum Virgine Maria quoque factum, præter Abbatiſſam Venerabilem, plerique docent Authores.

23 Habetur tertiò, indictam ſimiliter vi eiuſdem legis privationem aditus realis in Empyreum, non cuiuſque, ſed permanentis tantummodo, quippè interdicebatur ſolùm ratione inacceſſæ beatitudinis; eaquepropter lege eadem minimè relaxata, nullaque intercedente illius diſpenſatione,poteratDeus hominem, ſicut viſione & fruitione divinitatis tranſeunti perfundere,ſic & in Empyreum ad modicum temporis intervallum evocare;quis enim in eam deveniat exiſtimationem, vt arbitretur, legem obſerantem cœlum (qua Deus pœnam privationis beatitudinis potiùs, quàm realis ad Empyreum aditus intendebat) prohibuiſſe hominem aditu ad Empyreum, vel ad modicum temporis ſpatium,ante Chriſti mortem, ſed non quominùs homo ipſe ad idem temporis ſpatium divinitatis viſione & fruitione decoraretur?

24 Hinc reſpondetur 3. Vt vt ſit de latitudine prædictæ legis, an ſcilicet attingeret Virginem necne, argumentum, ex illa depromptum, Venerab. Matris doctrinam non infringit: quoniam ea procedit de raptu Virginis in Empyreum ad brevia temporis momenta; lex vero ſolùm interdicebat hominibus aditu ad Empyreum, permanenter inhabitandum, vtque ibidem pedem figerent, ſtationemque ſibi deinceps conſtituerent. Quod nervosè confirmat argumentum, ex viſione divinæ eſſentiæ communicata, & communicabili tranſeunter ante Chriſti mortem, deſumptum, & num. antecedenti indicatum, confirmantque alia in ſuperioribus expenſa.

Qui-

25 Quibus non officit communis Catholicorum vox, aliò ſane reſpiciens; & id duntaxat ſignificans, quod nemo impunè inficiabitur; nempe, ante Chriſti mortem neminem ſtatum beatitudinis aſſequutum, neminemque proinde ad Empyreum traductum, vt inibi iam velut Cives gradum ſiſteret, non tantum vt Hoſpes, vtque Empyreum obiter luſtrans. Et quidem ad hunc tandem ſenſum devolui eam,quæ opponitur,Catholicorum conſenſionem,non leviter ſuadent, quæ ſupra dedi, & pleniùs perſpiciet quiſquis Doctorum libros evoluat.

26 Oppones nihilominus Chriſti primatum, cui detrahitur,ſiqua humana creatura priùs dicitur Empyreum ingreſſa; quare ne Patrum animæ, etſi, Chriſti exhibita morte, omni iam expeditæ adeundi Empyreum impedimento,ad Empyreum,antequam Chriſtus, evolarunt, quemadmodùm nec evolaret Puriſsima Virgo, ſi Chriſto præmoreretur, ex ſuperiùs enucleatis: ergo.

27 Reſpondetur. Chriſti primatus alia longè ratione exponitur, ita ſcilicet vt Chriſtus primus fuerit hominum,qui Empyreum adierit,vt illico maneret, vtque permanentem inibi ſibi conſtitueret habitationem; cui non derogat dignitati, Virginem iam antea cœleſtem illam quandoque introiiſſe Patriam,ſed ad breve temporis intervallum, ac veluti Hoſpitam, nondum Civem: ſic etiam Chriſtus Dominus eſt primogenitus mortuorum, non quaſi omnium primus reſurrexerit,ſed quatenus omnium primus ad perpetuam & immortalem reſurrexit vitam: pariter eſt primus hominum, qui Deum viderit, permanenter nempe, & ſecundùm beatitudinis ſtatum,nam tranſeunter priùs Moyſes,priùs Virgo Maria Dei eſſentiam viderant. Huc recurrunt doctrinæ in præcedentibus ſparſæ.

28 Atque hoc etiam temperamentum manifeſtò indicavit Venerab. Mater, à Sanctiſsima Deipara edocta, verbis exſcriptis à num. 2. cùm enim præmiſiſſet,Chriſtum Dominum ingreſſu Cœli cæteros præcucurriſſe homines, ſubdidit, Virginem ipſam Deiparam antea cœlum ingreſſam; alia valde, aliaque ratione, vt hactenus explicui. Ergo Pariſienſes Iudices exarmata perſpicite, quæ in Venerabilis Matris doctrinam putabamini convenire probra,& vtinam vos facti pœniteat, quos cenſendi eò traxit licentia, *vt hoc credatis* (Ennodius (g) loquitur) *eſſe laceſſere, quod convincere.*

(g) *In Apolog. pro Synodo.*

Digitized by Google

§. VLTIMVS.

CASTIGANTVR AD VNGVEM CENSVRÆ.

29 HÆc *propoſitio* (inquiunt Deputati) *Falſa eſt, temeraria, erronea.* Ecquæ propoſitio? Duas enim continet Articulus, ſed quia eundem referentes ſenſum, ad vnam forſan redegerunt Cenſores, alioquin qualificationes gratis dividentes,& leviores, ſub gravioribus omnino comprehenſas, ſpeciatim proferentes: de quo iam alibi dixi. At quamobrem temeraria propoſitio illa? Nam ſi acriores evadit Cenſuras, vt contendo,temeritatis accuſari nequit, non improbata revelatione ex parte ſubiecti, & quin evincatur, ea in Venerab. Matre deficere ſigna, quæ, nulla etiam perſpecta obiecti repugnantia, neceſſaria prorſus iudicantur, vt quiſquam Prudens humana aſſentiatur Fide cuivis, ſe ex revelatione loqui efferenti; quod quidem nullatenus præſtitere Pariſienſes Cenſores.

30 Erronea propoſitio, quatenus ſpecialem conſtituit Cenſuram,ea eſt iuxta P.Soarium (*a*) ex communi Theologorum ſenſu, *quæ non attingit gradum hæreſis, licet infra illum maximè repugnet doctrinæ Fidei.* Venerab.autem Matris doctrina vel leviter,nedum maximè, Fidei doctrinæ non reſiſtit; hæc ſiquidem,quatenus præſentis eſt inſtituti, ſolùm enunciat, Chriſtum morte ſua aditum ad cœlum, antea hominibus invium & impervium propter culpam originalem, ſtraviſſe & complanaſſe, atque nullum hominum ante ipſum cœlum poſſediſſe; quod nequaquam infirmat Venerab. Abbatiſſæ propoſitiones, præſertim admiſſa probabili ſententia, & Academiæ Pariſienſi grata, de qua num. 10.

(*a*) *De Fide diſp.* 19 *ſect.* 2. *nu.* 42.

31 Vnde Sanctus Thomas, Virginem Deiparam obnoxiam ratus culpæ originali, ac proinde & præfatæ vindicativæ legi de obſerando cœlo hominibus, (*b*) ſcripſit, *quòd ſi ante Paſſionem Chriſti defuncta fuiſſet, ad Dei viſionem non admitteretur, ſicut neque alij antiqui Patres.* At nihilominus ſenſit Doctor Angelicus,eam ipſam legem non obſtaſſe, quominus ante Chriſti mortem, imò & antequam Chriſtus exiſteret, alicui hominum viſio divinæ eſſentiæ tranſeunter concederetur:ergo nec obſtabat, quominus Virgo Mariæ tunc in cœlum ad exiguas raperetur moras; quemadmodùm poſtea Paulus raptus fuit. Conſequentia liquet, & confirmatur ex num. 23.& 24.

(*b*) *In* 3. *diſtinct.* 3. *q.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad* 1.

Sub-

32 Subſequentia tandem Cenſuræ verba, *& doctrinæ communi Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ contraria*, facilè diſpelluntur, cùm hic Eccleſiæ & Patrum communis ſenſus aliò omnino vergat iuxta dicta per totam Diſſertationem, nec Virginem, pro caſu, quo de nunc diſputatur, attingat. Terrere autem virum doctum non debent formulæ loquendi vniverſales negatiuæ: *Nemo hominum nullus homo, antequam Chriſtus Cœlum introiuit*: quoniam nec minùs vniverſales, minoriſve amplitudinis, ſpectatis vocibus, ſunt, quæ homini in hac vita degenti, quæque homini ante Chriſtum denegant viſionem Dei: ergo vt non excludunt iſtæ viſionem tranſeuntem, nec illæ Virgini denegant, in Cœlum tranſeuntur rapi potuiſſe. Conſequentia validiſsimè vrgetur ex num. 20. & 23.

33 Suppoſititiæ Cenſuræ Authores addiderunt, propoſitiones illas eſſe contrarias *Verbo Dei* Ioan. cap. 14. v. 2. *Vado parare vobis locum*: at nihil inde deducitur adverſus Venerab. Matris propoſitionem: quia Chriſtus ait, ſe adire cœlum, vt locum pararet hominibus, & non vtcunque, ſed permanentem, & veluti ſedem æternæ beatitudinis; idque ſatis denotat communis illius textus explanatio apud Cornelium à Lapide (c) aientem: *Parare autem locum eſt IN POSSESSIONEM cœli venire*. (c) *In Ioan. cap.* 14.

34 Pariter Cardinalis Toletus, (d) integrum expendens textum, *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt: ſi quo minus dixiſſem vobis: quia vado parare vobis locum*, ait: *Vado parare locum, viam ſternere, ianuam aperire, VT AD HAS MANSIONES aditus pateat*. Eandem & reliqui, quos ſubnectunt textus ex Epiſt. ad Hebræos cap. 6. & 10. ſubeunt interpretationem, vtî videre eſt apud Interpretes. Sed Virgo Maria non dicitur rapta ad Empyreum, vt perennem deinceps ibidem manſionem haberet, non vt aliis pararet viam, non vt cœlum hominibus aperiret, non denique vllo modo, qui Chriſti derogет primatui, aut ipſius quidquam proprium Virgini Mariæ affingat; atque adeo Cenſores *ad ſenſum ſuum* (quemadmodùm (e) aiebat Hieronymus) *INCONGRVA APTANT TESTIMONIA, quaſi grande ſit .... ad voluntatem ſuam SCRIPTVRAM TRAHERE REPVGNANTEM, QVASI NON LEGERIMVS*. (d) *Ibidem annotat*. 4. (e) *Epiſt*. 103.

ARTICVLVS XV.

NVm. 344. *Partus beatiſſimæ Annæ ea puritate nituit, quæ decebat eius Filiam, cuius puritas redundabat in Matrem. Et quanquam propterea purificatione non indigeret, ſatisfecit nihilominùs debito communi Legis. Sic Mater illa, quæ immunis erat à Legis onere, immunda æſtimata eſt ab hominibus in Purificatione.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

H*Æc propoſitio falſa eſt, temeraria, & verbo Dei contraria.*

SVPPOSITITIA FACVLTATIS CENSVRA.

H*Æc propoſitio falſa eſt, temeraria, & verbo Dei contraria.*

DISSERTATIO XIII.

CRISIM CENSVRARVM CVM EARVNDEM caſtigationibus exhibeo.

(*a*) *Epiſt. 61.*

Q*Vi arguitur in pluribus* (aiebat (*a*) S. Hieronymus) *& in dilutione criminum aliqua prætermittit, quid, quid tacuerit confitetur.* Cumque Articulus, Cenſuris ſuggillatus, & enunciet puritatem partus Beatiſſimæ Annæ, & eam non vndequaque purificationis indigam extitiſſe, vtrumque examen ſubibit, vtrumque ab illatis tuebor notis, ne qui partes ago Venerab. Abbatiſſæ, eorum quidquam, ſi taceam, iuſtè confixum concedere videar.

§. I.

§. I.

PVRITAS PARTVS BEATISSIMÆ ANNÆ Protegitur.

1 PARTVS hic ea puritate nituit iuxta Venerab. Authorem, quæ Filiam decebat, cuius munditia redundabat in Matrem; ſed quanta illa fuerit, deſcripſit brevi num. 326. vbi de Virgine Maria ait. *Nata eſt pura, munda, pulchra, & omnibus plena gratijs.* Quod iamdudum Præclariſſimus Virginis Eccleſiaſtes, Sanctus Hildefonſus, (b) his, vel clarioribus, terminis expreſſerat. *Non ſic eſt nata ſicut ſolent pueri, & puellæ naſci, ſed mundo corde & corpore AB OMNI POLLVTIONE CARNALI, orta eſt.* Et num. eodem de Beata Anna inquit, *Non permiſit Mater, vt Filia tunc* (ſtatim ac vtero prodijt) *alijs attrectaretur manibus, ſed ſuis ipſa infantium involucris eam involvit, quin impedimento fuerit proximè præteritus enixus, quippe ea non paſſus gravamina, quibus frequenter reliquæ Matres ſuis in partubus laborant.* Atque eandem S. Annæ munditiam perſpicuè magis explicuit num. 344. vbi enim Gallus Interpres, ineptiſsimè quidem, legit, *Mater illa, quæ immunis erat à Legis onere,* Venerab. Author habet, *quæ immunis erat à penſionibus, quarum lex purificationem præſcribebat,* nempe, immunis erat, *ab horrendis ſanguinibus,* qui mulieribus à die partus fluunt, atque à Levitici Lege (c) ſpectabantur verbis, *manebit in ſanguine purificationis ſuæ,* et (d) *ſic mundabitur à profluvio ſanguinis ſui.*

(b) *Serm. de Nativ. Virg.*

(c) *Cap.* 12 *v.* 5.

(d) *Ibidem v.* 7.

2 Hæc Venerab. Matris doctrina circa Beatiſsimæ Annæ partus munditiem; & quanquam ſpectatis tantummodo obiecto, rationumque coniecturis, nullum ſatis nobis appareat ſolidum pro illa argumentum, ac idoneum ſuffragium; veruntamen divinæ revelationis, & ſuperni teſtimonij accedente fulcro, quo Venerab. nititur Abbatiſſa, longè aliter res ſe habet: quoniam (vt ſæpius in ſimilibus monui dubijs) evenire potuit, quod Venerab. Mater docet: præterea, non accidiſſe necunde certò conſtat: ergo cùm Venerabilis Mater factum ſcribat, divinæ revelationis, prout ipſa fatur, inſiſtens lumini, & ipſius ductui obſecundans, illius aſſertio improbari nequit ex obiecto, niſi prius oſtendatur, ea Matri defi-

cere ſigna, quæ neceſſaria exiſtimantur, vt ipſi, ſe divino afflante Numine id accepiſſe, proferenti, fides humana piè & prudenter acquieſcere valeat, nulla licèt affulgeat dicti repugnantia, conſiderato obiecto; alioquin cunctæ ſunt exuflandæ privatæ revelationes de eventis omnino contingentibus, ſive contra, ſive pro ſe nullam ſortitis probabilem poſitivam rationé: ergo nimis incautè prædicta damnaretur aſſertio, nulla habita ratione ſubiecti, neque hoc ex capite revelationis invectæ diſcuſsione facta.

3 Vnde duo emergunt conſectaria: vnum, Pariſienſes Cenſores, præpoſtera ea cenſendi norma ductos, omnino reprehendendos, ſi aſſertum quoad hanc partem proſcribere voluerint; id enim non ſatis liquet. Alterum, quòd, cùm Venerab. Antiſtitæ, idem aſſertum divinitus ſibi revelatum, denuntianti, prudenter quis fide humana aſſentire poſsit, ſignis credibilitatis, quæ illam circunſtant, penſatis (ſalvo ſemper Sedis Apoſtolicæ iudicio) prudenter quoque amplecti poteſt ſententiam de puritate enixus feliciſsimæ Annæ, prout eadem Venerab. Antiſtita tradidit.

4 Adhæc. Tametſi nonnulli Authores, antequam ederentur Opera Venerab. Antiſtitæ, vel ipſis iam editis, ſed nondum viſis, diſputaverint de conditionibus partus Beatiſsimæ Annæ, deque ortus Deiparæ prærogativis, & aliqua rejecerint privilegia vtrique à quibuſdam appicta (quæ, ſanè conſonant Venerab. Abbatiſſæ doctrinæ hîc à num. 325.) pariter, quantum deferre licet coniecturæ, ac diſcurſus cònſequentiæ, facturi, ſi de puritate, in qua modò verſamur, quæſtio incidiſſet; id vero eatenus ſolùm præſtiterunt (vt & ipſe etiam iudicaſſem) quatenus inducta illa decora inſignibus cùm non vacent miraculis, quemadmodùm & iſthæc munditiꝭs, ac curſui naturæ adverſentur, concedenda non ſunt, ni ſolidæ rationis, aut revelationis ſaltem privatæ, momento firmentur, quale tunc ipſis non ſuppetebat.

5 Audiatur præ alijs (e) Ioannes Baptiſta Cancellottus. *Reijci hæc facilè poſſunt, vt ſolido deſtituta fundamento, quinimò perperam iactantur vt vera, nullo prolato vel rationis, vel certæ authoritatis idoneo ſuffragio*: nempe, vt poſt pauca ſubiungit; *niſi ſolidæ rationis momentũ accedat, AVT SALTEM EORVM TESTIMONIVM, QVOS CONSTET COELESTI LVMINE ILLVSTRATOS, ILLA SCRIPSISSE*. In eadem fere verba ſeſe effundit (f) Raynaudus. Atqui modò ſuppetit teſtimonium Venerab. Antiſtitæ, quam piè fas eſt credere cœleſti lumine illuſtratam ſcripſiſſe: ergo dum non pro-

(e) *In Annal. Maria anno Virg. 1. num. 9.*

(f) *In Diptychis Maria. p. 1. punct. 2. num. 16.*

probetur, Deum ipſi non revelaſſe ſententiam de puritate partus Beatiſsimæ Annæ, impunè, & abſque nota, quilibet illi ſubſcribet.

6 Ne verò quidquam diſsimulatum velim, opponam Sanctum Generalis Inquiſitionis Hiſpaniarum Tribunal (g) ex Opere cuiuſdam Catholici Authoris, valde extollentis Sanctiſsimæ Annæ partus conditiones, & quædam ipſius puritatem concernentia attingentis, plura deleri iuſiſſe, & generatim omnia adeò reformari *vt reducatur Partus Annæ ad Leges communes.* Ergo ſub eadem eſt correctione reformanda Venerab. Antiſtitæ doctrina, partum S. Annæ inducta puritate à communibus excipiens legibus.

(g) *Index lib. probib. edit. anno* 40. *hui. ſec. in Supplem Lit. I.*

7 Reſpondetur primò. Sancta Inquiſitio præſcripſit, Librum corrigi, ita vt partus Annæ reduceretur ad *Leges communes*, oppoſitas ſcilicet privilegijs, & ſingularibus prærogativis ab Authore invectis; qui, vt reor, de negando Annæ ſanguinum fluxu, mulieribus poſt partum adveniente, verba nō fecit, atque adeò ex correctione illa validum non deſumitur argumentum adverſus doctrinam Venerab. Matris, de hac loquentis munditia, quæ ſanguinum profluvium, partum communiter conſequens, non permittit. Sed quia hæc ſolutio ſubtilior forſan eſt, quàm rationabilis, aliter argumento ocurro.

8 Reſpondetur ſecundò. Contingit non ſemel, vt quis temerè proferat idipſum, quod alius vlla abſque temeritate, & prudenter affirmat, quatenus prior immaturè, nullove conquiſito gravi argumento, ſed ſuæ exiſtimationi, fragilibuſque coniecturis nimium deferens, loquitur; poſterior verò non ita, ſed gravi permotus fundamento: haud diſsimiliter accidit, vt propoſitio, hodie ritè & rectè iudicata temeraria, cras eiuſdem expers temeritatis pronuncietur; quia idoneum, quod pro ipſa adducatur, ſuffragium latet hodie, ſed cras patet; res enim non vnà quin ſenſim nobis revelantur; quamobrem cohærent ſibi, Sanctum Fidei conſeſſum prudentiſsimè aboleri mandaſſe tunc quidquid eniſui Annæ, legibus communibus adverſum, arrogabatur; & nunc expungendam minimè eſſe, aut corrigendam Venerab. Antiſtitæ propoſitionem, à legibus communibus prætenſam exemptionem efferentem; hæc, inquam, ſibi conſtant, eò quod huiuſmodi privilegium, quemadmodum expendebam num. 4. perperam ac temerè iactatur vt verum, niſi allato ſolido firmamento, quale tunc nondum apparuerat; modò autem affulget, divinæ revelationis, quam Venerab. promit Abbatiſſa, clareſcente iam teſtimonio; cui in hac & conſi-

milibus quæſtionibus veluti vnico, aut ſaltem potiſsimo inſiſtendum arbitror fundamento; cùm aliunde aut nullum, aut non magni profectò ponderis, nobis ſuppetat.

9 In cuius rei vberiorem confirmationem facit, quòd in Revelationibus S. Brigittæ plura inoffenſè leguntur, quæ non prælucente revelationis teſtimonio temerè proferrentur; facit & etiam, quòd, poſt memoratam correctionem Sancta ipſa Generalis Hiſpaniarum Inquiſitio Opera Venerab. Antiſtitæ ad accuratiſsimam, vt par erat, diſcuſsionem revocavit, nec tamen illius, vel quoad hanc partem, doctrinam dignam cenſuit, quæ proſcriberetur. At quamobrèm? Quia pro munditiæ partus privilegio (alioquin poſsibili) divinam advocat revelationem Venerab. Author, eouſque pietatis ornamentis præclara, vt ipſi ita proferenti credere, nullo vertatur imprudentiæ, aut levitatis vitio.

§. II.

NVM IVXTA ABBATISSAM VENERABILEM immunis fuerit B. Anna à lege Purificationis.

10 SI Verſioni Gallicæ, prout in Articulo repræſentatur, ſtandum ſit, immunis maniſeſtò prædicatur Beatiſsima Anna verbis ijs: *Sic Mater illa, quæ immunis erat à Legis onere:* ſin autem textui Venerab. Matris, quid ſentiendum aperiam, expoſito antea Interpretis & Authoris diſsidio. Venerabilis Author: *El parto de la dichoſiſſima Ana fue tan puro, y limpio, quanto le convenia à ſu Divina Hija, de donde le venia la pureza à la Madre. Y aunque por eſta cauſa no tenia neceſſidad de otra purificacion, con todo eſſo pagò la deuda à la ley, cumpliendola puntualmente, teniendoſe en los ojos de los hombres por inmunda la Madre, que eſtava libre de las penſiones, que la ley mandava purificar.* Id eſt: *Partus fœliciſſimæ Annæ tam purus, tamque mundus fuit, quàm ſuæ oportebat Filiæ, vnde Matri proveniebat mundities; & quanquam ea de cauſa alius indiga non erat purificationis; veruntamen debitum ſolvit Legi, eam exactè complens, ſe in oculis hominum immundam reputando Matrem, quæ immunis erat à penſionibus, quarum lex purificationem præcipiebat.* Hæc fideliſsima Hiſpani Exemplaris translatio.

11 Eam conferre libeat cum Articulo, vbi ſenſus Gallicæ Verſionis

Digitized by Google

ſionis obijcitur. *Partus Beatiſſimæ Annæ ea puritate nituit, quæ decebat eius Filiam, cuius puritas redundabat in Matrem.* Horum ſenſus Verborum conſonat cum ſenſu Venerabilis Matris; imò, ipſius benè perſpecta mente, Hiſpana vocula *convenia* aptiùs latinè redditur & expreſsiùs per *decebat*, quàm per *oportebat*, aut *conveniebat*.

12. *Et quanquam propterea purificatione non indigeret.* Hæc ab Exemplaris proprietate aberrant; quippè quæ abſolutè enunciant, Beatiſsimam Annam luſtratione non indiguiſſe; cum Exemplaris verba, nempe: *& quanquam ea de cauſa alius indiga non erat purificationis*, amplam adeò ſignificationem non expetant, ſed in hunc percommodè deſinere queant ſenſum, *& quanquam ea ex parte alia non indigeret purificatione*, vnde non infertur, luſtratione abſolutè & ſimpliciter non ipſi opus fuiſſe; forſan enim alia ex parte; aliaque ex cauſa purificatione adhuc indigebat, vt nu. 19. & 20. adnotabo.

13. *Satisfecit nihilominùs debito communis legis, quàm exactè complevit.* Hîc etiam fides Interpretis deſideratur; ratus enim, B. Annam lege purificationis non adſtrictam, dixit, *debito communi Legis*, quaſi Beata Anna, aliatam licèt inſtar parentum obſervaverit legem, ipsâ reverà non ligaretur: at Exemplar ita habet: *Veruntamen debitum ſolvit legi, eam exactè complens.*

14. *Sic Mater illa, quæ immunis erat à Legis onere, immunda æſtimata eſt ab hominibus in Purificatione.* Longè aliter legitur in Exemplari, vbi non à *Legis onere*, ſed à *penſionibus*, ſordibus nimirùm, & non quibuſcunque, ſed partus ergò ſluentibus, *quarum Lex purificationem præcipiebat*, immunis dicitur Beata Anna. An verò poſterior hæc immunitas priorem, omni procul amota ambiguitate in Verſione & Cenſuræ Articulo expreſſam, inferat, necne? Non certum, non in aperto, ſed ſub iudice adhuc eſt, iuxta ſenſum inferiùs declarandum.

15. Quibus prælibatis cenſeo; Textum Venerab. Abbatiſſæ integram conſiſtere, illæſumque omnino abire, tametſi negetur, B. Annam immunem fuiſſe à lege purificationis. Id mihi ſuadet & eiuſdem, & Levitici textus, quo illa indicebatur lex, ſedula conſideratio: ſiquidem purificationis præceptum nedum inſtitutum fuerat occaſione fœdiſsimi ſanguinem fluxus, qui mulieribus à partu accidit, quin etiam occaſione conceptionis prolis ſemine viri ſuſcepto, atque ipſius opera; neque enim ſub his tantummodo verbis promulgabatur in Levitico lex: *Mulier ſi pepererit, manebit in*

ſanguine purificationis ſuæ, &c. Sed vltrà eſt additum: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit, &c.*

16 Quod quidem vſque adeo verum eſt, vt iuxta SS. PP. vnanimem ferè conſenſum immunitas Sanctiſsimæ Virginis Mariæ *à Lege purificationis* efficaciter probetur, & concludatur ex verbis illis *ſi ſuſcepto ſemine*, à Spiritu Sancto expreſsis ad ſignificandum, futuram aliquam Matrem, quæ non ſuſcepto ſemine pareret, eamque proinde prædicta lege non comprehendendam; vnde ita frequenter arbitrantur alij Sacræ Scripturæ Interpretes, maximè Recentiores, inſimul de SS. PP. mente conteſtantes: quos inter Conſulantur Marcilla, (*a*) Barradas, (*b*) & Sylveira. (*c*)

17 Imò cùm Cornelius Ianſenius, quem pauci alij ſequuntur, exiſtimaverit, immunitatem Virginis à purificationis lege non validè firmari verbis, *ſi ſuſcepto ſemine*, quippè iuxta ipſum non ſignificantibus virile ſemen, quod generationis eſt principium, ſed prolem, perinde ac ſi diceretur: *Mulier ſi fecerit prolem*: eandemque ideò immunitatem inde probaverit, quòd lex lata erat propter partus ſordes, quibus omninò Deipara caruit; illum, ſuamque rationem impugnat, inconſequentiæque arguit Pater Soarius, (*d*) (à Marcilla (*e*) imitatus & (*f*) Tannero) contendens, libertatē Virginis ab obligatione legis inefficaciter ita ſuaderi: *Quia* (inquit) *ceſſante fine legis in particulari, non ceſſat obligatio legis*: Qui proinde ad hanc evincendam libertatem ſtandum cenſet communiori expoſitioni, & rationi, de quibus num. antecedenti. Hinc etiam potiori iure deducitur, Deiparam adſtrictam iri purificationis lege, ſi viri Opera concepiſſet, etiamſi nullas tunc pateretur ſordes partus, quemadmodùm reipsà non habuit.

18 Modò arguo: ergo tametſi B. Annæ nullæ fluxerint partus ſordes, cùm ſuſcepto viri ſemine Virginem Mariam conceperit & pepererit, non ſatis probatur illius à lege purificationis immunitas, ſed tanta cum puritate cohærebat adhuc huiuſce legis obligatio. Subſumo; atqui textus Venerab. Abbatiſſæ directè & expreſsè non ſignificat B. Annæ immunitatem ab eadem lege, qualiter ſignificatur verbis Interpretis: deinde, nec prædicti textus veritas prohibet, quominùs Beata Anna lege purificationis illigata dicatur: ergo huius obligationis veritas defenſari poteſt, ſimul admiſſo, nec temerato textu Antiſtitæ Venerabilis. Minor quoad priorem partem ex terminis ipſis conſtat, & quoad poſteriorem, in qua tota vertitur difficultas, oſtenditur expendendo textus verba, quæ exadverſò ſpeciem preſeferunt.

(*a*) *In Levit. cap.* 12
(*b*) *Tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 11.
(*c*) *Tom.* 2. *in Evang. lib.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 2.
(*d*) *Tom.* 2. *in* 3. *p. diſp* 16. *ſect.* 2.
(*e*) *Suprà.*
(*f*) 3. *part. diſp.* 2. *de Myſt. vitæ Chriſti, q.* 2 *dub.* 3. *nu.* 82.

Ea

Digitized by Google

19 Ea ſunt: *Et quanquam ha. ex cauſa alia non indigeret puriſicatione*: hinc autem ſolùm conſtat., partum Annæ, ſordibus cùm non horruerit parturientibus fœminis familiaribus, alia purificatione non indiguiſſe eo ex capite, eaque ex parte;quis enim dicat purgari quod immundum non eſt, à ſordibus mundari, quod ſordes non eſt paſſum? Sed cùm lex, nedum partus immunditiem,ſed & conceptionem viri opera confectam reſpiceret, ſupererat alia ratio, quamobrèm Beata Anna legis iugo teneretur. Quidquòd Beatam Annam illa ex parte non indiguiſſe altera purificatione nihil ſignificat, præterquàm ſordibus caruiſſe, quibus mulieribus neceſſe eſt purgari; id autem, quippè ſolummodo innuens ea ex parte rationem legis ceſſaſſe in caſu particulari, non ſatis convincit, legis obligationem ceſaſſe; cùm quia alio ex capite, ob ſuſceptum nimirum ſemen,non ceſſaverat,tum quia, vt ex Soario referebam, & probabilior fert ſententia Theologorum iuxta Soarium ipſum (*g*) in tractatu de legibus, ceſſante ratione legis in particulari, adhuc legis obligatio ſubſiſtit. (*g*) *Lib.* 6. *cap.* 6. 8. & 9.

20 Rurſum ea alia verba: *Qua immunis erat à perſionibus* (ſordibus partus, de quo loquitur) *quas lex expiare iubebat*, ſeu, *quarum lex purificationem præcipiebat*: nullam ingerunt difficultatem: ſiquidem ſolùm denotant, partum Beatiſsimæ Annæ ſordibus expertem fuiſſe, quibus aliarum mulierum enixus laborant; quocum optimè adhuc cohæret legis obligatio, vt hactenùs oſtendi. Igitur ſpectato Exemplari Venerab. Antiſtitæ nondum conſtàt, Beatæ Annæ arrogatum privilegium immunitatis à lege purificationis; atque adeò huc recurrit iterata ſæpiùs Cenſorum reprehenſio ob non animadverſam Interpretis & Authoris diſsidentiam.

§. III.

NVM PROBABILE, BEATAM ANNAM, CONceſſa partus munditia, immunem extitiſſe à lege Purificationis?

21 AFfirmo,& probo,hac via Verſionem Gallicam oſtendens Cenſuras evadere Pariſienſium: Textus Levitici, (*a*) vbi ea promulgabatur lex,ſic habet. *Mulier ſi ſuſcepto ſemine.... fœminam pepererit, immunda erit duabus Hebdomadibus, iuxta ritum* (*a*) *Cap.* 12. *v.* 2. & 5.

flu-

fluxus menſtrui (poſt relatum cap. 15. à v. 19. *Mulier, quæ redeunte Menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur, &c.*) & *ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ*; ita vt octoginta dies integrarent tempus purificationis ſanguinum mulieris, fœminam enixæ, ad eoſque omnes referrentur verba, *manebit in ſanguine purificationis ſuæ*, per Hypallagen intelligenda, nempe, *in purificatione ſanguinis ſui*, pariter adnotantibus Sacræ Scripturæ cunctis Interpretibus, qui & ſimul docent, ideò nominatim deſignatas binas priores hebdomadas; quòd, etſi tempus purificationis ſanguinum conficerent, à pluribus tunc abſtinere iuberentur matres, quàm ſexaginta ſex ſuccedentibus diebus.

22. Vnde elicio argumentum. Lex illa ritum purificationis indicebat ob fluxum ſanguinis, qui poſt partum ſolet diu purgari; id enim ſatis innuit textus, *manebit in ſanguine purificationis ſuæ*, quem ſic, cum pleriſque alijs Doctoribus, exponunt (b) Saa. *Id eſt, ob fluxum ſanguinis, de quo purificanda eſt.* Et Menochius: (c) *Ob fluxum ſanguinis, quo aſſiduè purgatur.* Atque ratione huiuſmodi naturalis fluxus ſordium Mater politicè, ſive, vt optimè expreſſit (d) Maldonatus, *quòd attinet ad externam veteris illius Eccleſiæ politiam*, cenſebatur immunda. Sed Beatæ Annæ partus ſordibus his caruit & mundus fuit: ergo Beata Anna lege illa non tenebatur. Conſequentia liquet eò quòd lex purificationem ſordium præſcribens, niſi ſordes præſupponat, locum non habet: quemadmodùm altera Levitici Lex (e) purificationem muliebrium determinans, quæ menſtrua ita frequenter ſunt, non ſingulis menſibus indiſcriminatim cogebat, ſed quo muliebria acciderent; quia non omnibus fœminis, talia patientibus, ſingulis menſibus ſanguines fluunt.

(b) *In Leviti. cap. 12.*
(c) *Ibidem.*
(d) *In Lucam cap. 2. num. 60.*
(e) *Levit. 15. à v. 19.*

23. Cuius argumenti efficaciam fateri tenentur graviſsimi quidam Sacri Interpretes, qui, etſi Virginem Mariam non comprehenſam ſub lege purificationis evincant ex verbis, *Mulier ſi ſuſcepto ſemine*, addunt aliam rationem ex puritate partus deductam, qua etiam ſentiunt Virginis immunitatem concludi, quia Lex poſita erat occaſione ſordium, vulgarem partum conſequentium. Ita præter alios Cardinalis Toletus, (f) huic argumento adeò deferens, vt dicat: *Eſſet etiam alia cauſa manifeſta, cur lege illa non obligabatur* Virgo Maria. At vt aſſertionis & propoſiti diſcurſus probabilitas pleniùs pateſiat, quæ exadverſùm militant obijcio ac diſſolvo.

(f) *In Cap. 2. Lucæ. annotat. 34.*

Obij-

24 Obijcitur primò. Etſi B. Annæ concedatur prætenſa partus puritas, indubium eſt, peperiſſe prolem ſuſcepto ſemine viri, atque ipſius opera conceptam; ſed lex indicebat ritum purificationis mulieris, quæ pepererat; nedum propter partus ſordes; quin & propter ſuſceptum viri ſemen, ac ipſius opera conceptionem prolis, ita inclamante textu: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine, &c.* Quare & Pater Sylveira (g) docet: *Illis autem diebus erat immunda tum in ſignum veneree delectationis in concipiendo*; ac identidem Interpretes inde Virginem Mariam ab ea lege immunem prædicant, quòd non conceperit ex viro: ergo quanquam B. Anna nullis enixus laboraverit ſordibus, legi purificationis obnoxia adhuc erat.

(g) *Tom.* 1 *in Evang. lib.* 2. *cap.* 5. *quaſt.* 7. *num.* 3.

25 Reſpondetur. In lege dicebatur, *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit*; non quòd lex illa indiceret purificationem ſordidæ ſuſceptionis ſeminis, aut venereæ delectationis tunc habitæ, vt indicat Sylveira; pro ea enim purificatione alia erat lex, aliuſque ritus cap. 15. Levitici v. 16. *Vir de quo egreditur ſemen coitus, lavabit aqua, &c.* & v. 18. *Mulier cum qua coierit, lavabitur aqua, &c.* vti & videre licet apud Interpretes Sacros ad hoc loci; ſed quia veluti neceſſariam conditionem, vt mater poſt partum ad purificationem teneretur, exigebat, præceſiſſe conceptionem prolis ex viro, ſuſceptoque viri ſemine; qua ratione ſub illa lege non comprehendebatur caſus Virginis Matris, omni abſque viri opera concepturæ; ſuppoſito tamen conceptu ex viro, aliò lex reſpiciebat, partum nimirum vulgarem, quem ſordes conſequuntur; idque non obſcurè ſignificant verba ipſa legis: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit.... manebit in ſanguine purificationis ſuæ*: quamobrèm Beata Anna, cuius partus mundus conceditur, & eapropter irregularis, prædictæ legis obligationi non ſatis probatur obnoxia ex verbis, *mulier ſi ſuſcepto ſemine.*

26 Concedo tamen, (quod & plures Interpretes Sacri animadvertunt, attingitque obiectio, nondum licèt mihi omninò conſtet aut certum ſit) Matrem tunc Cenſeri etiam immundam ob prolis conceptum ex viro, in huiuſque immunditiæ purificationem colli-maſſe quoque legem, qua de modò diſſeritur; concedo, inquam, ſed id propugnat potiùs quàm oppugnet præfixā aſſertionem: quoniam immunditia illa non quolibet prolis conceptu ex viro incurrebatur, ſed eo, per quem originale in prolem traducebatur peccatum; & hic eſt ſenſus Interpretum; è quibus ſufficiet vnum Maldonatum ſignanter appellare, qui eam immunditiam moralem

Digitized by Google

(h) Suprà num. 61. vocans, his bellè ſeſe explicuit (*h*) verbis. *Moraliter cenſebatur immunda coram Deo mulier, non quòd Sanctum non eſſet matrimonium, aut eius immundus eſſet vſus, ſed quòd per conceptum ex viro originale in prolem peccatum traduceretur.* Vnde ſicut in prolem ab Anna ex viro conceptam, Virginem ſcilicet Mariam, virulenta originis culpa non fuit traducta, ſic B. Anna ne hoc quidem ex capite immunditiam contraxit, purificatione indiguit, huiuſve obligatione aſtringebatur. Pariter, licèt hæc purificatio inſtituta fuiſſet ad delendam immunditiam ex venerea delectatione coitus ortam, locum non haberet in B. Anna, quæ & Beatus Ioachimus abſque vlla prorſus libidine, vt tradit Venerab. Abbatiſſa, & ex ipſa dedi Diſſert. 8. num. 18. Virginem Mariam conceperunt.

27. Dices: ergo diſcurſus propoſitus num. 22. inſufficiens eſt; quippè immunitatẽ B. Annæ à lege ex ſola partus munditie eruere conatur. Reſpondetur. Plurimi ſunt Doctores, qui de purificationis ritu, hac lege indicto, agentes, non memorant immunditiam aliquam matris ob peccatum originale per conceptum in prolem transfuſſum, eamve materiam fuiſſe hac purificatione abolendam; ſed totam quantam purificationis indigentiam ex ſordibus enixus repetunt, quaſi ad eas ſolas expiandas, præmiſſo conceptu ex viro, ritus purgationis fuerit inſtitutus; & iuxta hanc ſententiam nihil deſideratur in præfato diſcurſu ad aſſertionem firmandam. Prætereaquam quod facilè ipſe inſtauratur ad ſenſum proximè iactæ doctrinæ; ſiquidem in B. Anna vim habet ſpectata vtrauis puritate; & enixus, & cõceptus nullam in prolem derivantis peccati maculam & immunditiem.

28. Atque hoc fundamentum ita denuo roboratum confirmari poteſt ex Menochio, qui alijs Doctoribus conſentiens in ſtabilienda Deiparæ immunitate ab illa lege ex verbis: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine*: ita adiecit argumentum ex vtraque expenſa puritate; & partus, & conceptus prolis culpæ originalis penitùs neſciæ, eiicitum, arbitratus hac etiã via eandem Deiparæ immunitatem probari; quia *Mulieres poſt partum* (inquit) (*i*) *immundæ habebantur lege veteri, & propter fœdam ſanguinis purgationem, quæ illis à partu accidit, & quia per conceptionem ex viro originale peccatum in prolem traduceretur. Neutra ratio locum habuit in Virgine.* Similiter neutra ratio locum habuit in Beata Anna; ſiquidem eius partus mundus fuit; & quanquam ex viro conceperit, quod Deiparæ non contigit, in prolem tamen derivata non eſt culpa originalis.

(i) Apud Bibliam Maximam in Lucam cap. 2.

Obij-

Digitized by Google

29 Obijcitur ſecundò. Ceſſante ratione legis in caſu particulari, nondum ceſſat obligatio legis: ergo quamvis B. Anna non laboraverit immunditia conceptus explicata, neque partus ſordibus, quas propter lata erat lex, eius nihilominùs obligationem ſubibat. Præterea, quamvis ratio impulſiva legis ceſſaret, quatenus abfuerant ſordes, quarum occaſione lex inſtituta erat, adhuc omninò eius non ceſſabat ratio; ſupererant enim actus quidam honeſtiſsimi virtutum, à lege præcepti & intenti, vt ex dicto cap. 12. Levitici conſtat, quos & reipsà obſervavit B. Anna, maximè ideò commendanda: ergo eiuſdem legis iugo tenebatur.

30 Reſpondetur. Quàm longiſsimè diſtant inter ſe, ceſſare rationem legis in caſu particulari, alioqui comprehenſo ſub verbis legis ex vi ſuæ inſtitutionis, & caſum aliquem exceptum eſſe, nec comprehenſum ſub verbis legis; vt vt ſit de priori in ſenſu, quo à Theologis in dubium revocatur, poſterius proculdubiò libertatem à legis obligatione affert; & hoc pacto tantummodò conatus ſum ſuadere, Beatiſsimam Annam immunem extitiſſe à lege purificationis; quatenus probabile cenſeo, eam legem ex vi ſuæ inſtitutionis, vt non extendebatur ad caſum mulieris enixæ prolem, non præconceptam viri opera, ſic neque comprehendiſſe caſum Parentis, prolem, etſi ſuſcepto viri ſemine, non tamen incurſo peccato originali conceptam, enitentis abſque vllis prorſus partus ſordibus; id quod ex ipſius verbis legis non improbabiliter deducitur; haud diſsimiliter ac lex de purificandis mulieribus à menſtruis nō aſtringebat, vt fœminæ, iamiam muliebribus obnoxiæ, ſingulis menſibus ritum purificationis obſervarent, ſed tunc cùm muliebria fluerent, ita vt non recurrente in aliquo menſe ſanguinis fluxu, mulier immunis eſſet à legis onere; non quòd ceſaſſet ratio legis in caſu particulari, ſed quia caſus ille non comprehendebatur ſub legis verbis ex vi ſuæ inſtitutionis.

31 Hæc dicta velim ad promovēdam probabilitatem immunitatis Beatiſsimæ Annæ, adque hac via defenſandam ſententiam Interpretis Gallici à Cenſuris Pariſienſium; quanquam enim ille reus ſit ineptæ, infidæque verſionis, non tamen reus videtur Theologic- erroris, nec ipſius dictum dignum ſatis apparet, quod proſcribatur ij; veruntamen ſi doctioribus me improbabilia ſint, & ipſe ea retracta; ta volo, qui defenſioni tantummodo Venerabilis Abbatiſſæ ex pro maria intentione incumbo, quamvis & pro Interprete Gallic- decertare curem, quòad res permittit & ſuſtinet.

Digitized by Google

§. VLTIMVS.

CENSVRARVM VITIA DILVCIDE exponuntur.

32 HÆc propoſitio (inquiunt) *falſa eſt, temeraria, & Verbo Dei contraria.* At quænam propoſitio? Nam in Articulo plures repræſentantur: neceſſe igitur eſt Cenſuram aut incongruè concinnatam, nulla deſignata propoſitione, quam ſuggillet, aut, ſi cunctas ferit, abſurdam evadere; quis enim priorem accuſet propoſitionem, ſub his expreſſam communiſsimis terminis: *Partus Beatiſſimæ Annæ ea puritate micuit, quæ decebat eius Filiam, cuius puritas redundabat in Matrem?* Quis, inquam, abſque vitio hanc vitij poſtulet propoſitionem? Aut quis etiam ſuſpicetur, inductam B. Annæ puritatem verbo Dei adverſari, eidem puritati non adverſo; cùm in Sacris Literis, aut verbo Dei tradito, nullum habeatur verbum de partus B. Annæ ſordibus, vel munditie? Quod ad falſitatis & temeritatis Cenſuram attinet, diſpellitur ex dictis §. 1.

33 Præterea. Ex verbo Dei conſtat lex Iudæis fœminis, ex viris concipientibus, poſt partum indicens ritum purificationis, at indidem minimè conſtat, nullam exituram huiuſmodi Matrem ab ea lege immunem, aut cum qua Deus revera eandem non eſſet diſpenſaturus: vnde Abulenſis huius legis obligationem optimè diſtinguens penes iuris rigorem, & penes factum, de hoc loquens (a) ſubiunxit; *quòd de nulla earum* (Hebræarum fœminarum) *poſſumus certè aſſerere, quòd fuerit obligata huic purificationi poſt partum, quia poterat eſſe cum ea diſpenſatum.* Atque adeò quod Beata Anna decantetur immunis ab ea legis obligatione, verbo Dei non contradicit; niſi velint Cenſores abrogari legem, ſtatim ac diſpenſatio alicui conceditur.

(a) *In 12. Levitici quæſt. 3.*

34 Reponent, Gallicanũ Interpretem appingere B. Annæ libertatem à lege purificationis ſpectatis iuris rigore, & inſtitutione legis, non autem ex diſpenſatione aliqua. Reſpondetur, neque id omninò conſtare; quoniam verba ea; *& quanquam propterea purificatione non indigeret*: eundem non incongruè referre queunt ſenſum, ac verba Matris Venerabilis, de quibus num. 12. & 19. vnde libertas à lege nondum evincitur: & alia: *Sic Mater illa, quæ immunis erat à legis onere:* quamvis libertatem præſeferant, ſed non

explicant, an illa ſtaret ſpectatis legis verbis, an verò intercedente duntaxat diſpenſatione. Verùm do, quod & veriſimilius eſt, textum Interpretis enunciare præfatam immunitatem attento legis ſenſu, & nulla accedente diſpenſatione: adhuc nihil dicitur, quod infra probabilitatem ſit iuxta tradita §. 3. cum cautione tamen adhibita num. 31.

DISSERTATIO XIV.

CENSVRÆ ARTICVLI 16. 17. *&* 18. *AD CRISIM revocantur.*

ET *quiſquam tam iniquus Lector erit* (aiebat (a) S. Hieronymus) *vt non ex meis dictis, ſed ex ſuo me ſenſu iudicet?* Quam cenſendi rubricam, præpoſteram ſanè, ſibi modò aſſumpſiſſe Pariſienſes iudices, dicenda commoſtrabunt.

(a) *Epiſt.* 50. *Apologetica.*

§. VNICVS.

VENERABILIS MATRIS DOCTRINA A CENſuris vindicatur.

ARTICVLVS XVI.

NVm. 402. *Vt omnibus modis Mater Miſericordiæ & Mediatrix gratiæ foret.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

H*Æc propoſitio, vt iacet, falſa eſt, erronea & Chriſto, vni per Redemptionem Mediatori, injurioſa.*

SVPPOSITITIA FACVLTATIS CENSVRA.

L*Icèt SS. Virgo præ omnibus Sanctis Mediatrix ſit per interceſſionem; hæc tamen propoſitio, quatenus*

Digitized by Google

aſſerit, illam eſſe omnibus modis Mediatricem, falſa eſt, erronea, & Chriſto, qui ſolus Redemptor & Salvator noſter eſt, & vnus per Redemptionem Mediator, injurioſa.

1 CEnſores vim faciunt in voculis; *omnibus modis*; de præclariſsimo enim *mediatricis* epitheto crediderim nec Deputatos ambigere; quòd ſi ſubdubitent, Catholicorum omnium manus & ora in ſe concitant; ſed nec præfatæ voces penſitandæ ſunt tantummodo vt iacent in tranſcripta propoſitione, avulſa quidem à contextu, avulſa ab antecedentibus & conſequentibus, avulſa ab expreſsis alijs doctrinis Venerab. Abbatiſſæ, vnde nedum ſanum, pium, catholicumque ſibi vendicant ſenſum, quin & omnem omninò pellunt falſi dogmatis ſuſpicionem, adeò vt vel ſophiſtæ nulla ſuppetat vellicandi materies: ſi nanque perverſa illa arte moliri licèt Cenſuras & criminationes, impietatis accuſabitur Paulus, etiã poſt ſuſceptum Apoſtolatum, qui dicit: (a) *Omnibus omnia factus ſum*: vnde quis eruere poſſet: omnia omnibus factus eſt Paulus? Ergo ſceleratis ſceleratus, infidelibus infidelis & alia id genus: craſſiſsimi etiam erroris, atque turpiſsimæ doctrinæ inſimulabitur, cùm dicat: (b) *Filij obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum eſt in Domino*: vnde alius inferre poſſet: ergo patri præcipienti idololatriam, hæreſim, &c. parere tenentur filij, & hæc obedientia placita eſt Deo: quibus deductionibus nihil abſurdius.

(a) *1. Ad Corinth. 9. v. 23.*

(b) *Ad Coloſſenſes 3. v. 20.*

2 Confixam itaque propoſitionem interſerit Venerab. Antiſtita loquens de pietatis & virtutum exercitijs, quibus à prima iam ac tenerrima ætate addicebatur Sanctiſsima Virgo Maria: hæc verba Exemplaris. *En algunos exercicios que hazia, ſe poſtrava llorando, y afligiendo aquel cuerpecito perfectiſſimo, y tierno, por los pecados de los mortales, pidiendo, y inclinando la miſericordia del Altiſſimo, para que obraſſe grandes beneficios, que deſde luego començò à merecerles. Y aunque el dolor interno de las culpas, que conocia, y la fuerça del amor, que ſe lecauſava, hazian en la divina Niña efectos de intenſiſſimo dolor, y pena; en començando à vſar de las fuerças corporales en aquella edad, las eſtrenò con la penitencia, y mortificacion, PARA SER EN TODO MADRE DE MISERICORDIA, Y MEDIANERA DE LA GRACIA, ſin perder punto, ni tiempo, ni operacion por donde pudieſſe grangearla para ſi, y noſotros.*

3 Nempe. *In nonnullis, quæ obſervabat, exercitijs proſternebatur*

de-

Digitized by Google

diſlens, & affligens corpuſculum illud perfectiſſimum, ac tenerum, propter hominum peccata, exorans & flectens miſericordiam Altiſſimi, vt eximia operaretur beneficia, quæ quidem ſtatim illis promereri incœpit. Et quanquam internus dolor culparum, quas agnoſcebat, & vis amoris vnde oriebatur, intenſiſſimum dolorem & cruciatum divinæ puellæ inferrent; ſtatimatque corporeis viribus in ea ætate vti incœpit, eas pœnitentia & mortificatione exercuit, VT IN TOTO ESSET MATER MISERICORDIÆ ET MEDIATRIX GRATIÆ, NVLLO MOMENTO, NVLLO TEMPORE, NVLLA OPERATIONE PRÆTERMISSA, QVA GRATIAM SIBI, NOBISQVE LVCRARI POSSET.

4 Ex quibus manifeſtum fit, textum Venerabilis Abbatiſſæ ſignificare ſolummodo eximiam Virginis curam & diligentiam, qua vel à primæva ætate, pro ſua in homines inſigni dilectione, Deum pro ipſis interpellabat, exorabat, & quantum in ipſa erat, cùm internis, tum externis & corporalibus virtutum operibus, vt propitium & beneficum ſe hominibus oſtenderet, alliciebat, nullam deſpiciens occaſionem, nullamque actionem, vt id extorqueret, opportunam, enixè, continuè, tota, totiſque viribus, & quibus ipſa poterat viis, his mediationibus, ijſque miſericordijs intendens. Hinc autem quis ſapiens & prudens ſuſpicabitur derogari Chriſto Domino, vni per Redemptionem Mediatori? Nemo perfectò. Quis ſophiſticabitur, Virgini appingi redemptionem generis humani, & hac ratione, vni Chriſto Domino competente, Mediatricem eſſe? Nemo niſi delirus.

5 Eadem retinuit verba Interpres Gallicus, niſi quòd loco eorum *in toto* adhibuit *omnibus modis*, vnde Pariſienſes anſam arripiunt ſuggillandi, ſed liberè omnino: nam *omnibus modis* dicitur, quatenus necdum oratione, quin & operibus, necdum actibus virtutum internis, ſed externis quoque corporis afflictationibus mediationem peragebat Virgo puriſsima: *omnibus modis* dicitur, quatenus nullam occaſionem, nullam operationem prætermittebat Virgo Deipara, quantùm tenera illa ætas ferebat præter ordinariam legem, ſcopo eidem ſibi viſam conſonam, & Deo gratam: *omnibus modis* dicitur, quatenus toto nixu, conatu, pro viribus idipſum curabat, perinde ac ſi diceretur *nulla non via*, quam loquendi formulam paſsim vſurpamus, cùm enixè, exertiſque viribus quidquam aggredimur: & hunc ſenſum apertè decantant antecedentia & ſubſequentia notatam propoſitionem.

Sed

6 Sed etſi adeo perſpicuè non fuiſſet loquuta Venerab. Mater eo in loco, eius adhuc aſſertio erroris vllius, aut in Chriſtum iniuriæ argui nequiret, cùm per totum Opus ſæpe ſæpius, quemadmodùm Eccleſiæ fidelem decet Filiam, ſcripſerit, vnum Chriſtum Dominum Redemptorem eſſe generis Humani, vnum per Redemptionē Mediatorem, Virginem Mariam alijs nominibus, ijſque eximijs, vtì Chriſti Parenti congruunt, pro hominibus intercedere, Matremque Miſericordiæ & Mediatricem agere; qua de excellentia egregiè prædicarunt Eccleſiæ PP. quorum textus, ſicut & Venerabilis Abbatiſſæ non addenſo, ne in re notiſsima prolixitas Lectorem gravet. Cenſores ergo Pariſienſes meliùs ſibi conſulant, fallacemque cenſendi normam repudient, alioquin Cenſuræ obnoxij ſunt, quam in alios referebat Auguſtinus (c) inquiens. *Particulas quaſdam de Scripturis eligunt, quibus decipiant imperitos, non connectentes, quæ ſupra & infra ſcripta ſunt, ex quibus voluntas & intentio Scriptoris poſſit intelligi.*

(c) *Contra Adimantũ cap.* 14.

ARTICVLVS XVIJ.

NVm. 13. Introductionis. *Facies ò puriſſima pietatis Mater rem tua clementia dignam, ſi miſeram de pulvere ſubleves, & ſubiectum prorſus debile & omninò incapax aſſumas in inſtrumentum ad opera adeò difficilia & ſublimia; quibus exaltabis tuam gratiam, & gratias, quas Filius tuus tibi communicavit.*

CENSVRA DD. DEPVTATORVM

HÆc propoſitio, quæ in SS. Virgine Deipara gratiam admittit diſtinctam ab illis, quas ei Chriſtus communicavit, falſa eſt, temeraria, & verbo Dei contraria.

1 CAEcutiunt hîc Deputati, & futili æquivocatione laborant, quam cùm agnoviſſent reliqui Facultatis Doctores, illorum Cenſuram contempſerunt, ac propoſitionem nullis configendam obelis optimè iudicarunt. Nihil certè magis familiare in

Ope-

Digitized by Google

Opere Venerab. Antiſtitæ, quàm nullum donum, nullam gratiam, nullum beneficium Deiparæ ineſſe, niſi per Chriſtum, & ex ipſius meritis: vnde verba, *exaltabis tuam gratiam*, quibus gratia hæc ſecernitur à gratijs Virgini per Filium & à Filio communicatis, non ſignificant donum aut beneficium Virgini collatum, ſed Venerabili Abbatiſſæ à Deo, à Chriſto, per Virginem exhibitum; nempe, donum illuminationis, vt Marianam Hiſtoriam conſcriberet, conſcriptionem ipſam, atque ad id muneris delectam eſſe: hoc equidem donum vocat gratiam Virginis, *gratiam tuam*, quòd à Virgine & per ipſam illud acceperit; quæ etiam locutio vſu venit, cùm bona aliqua & beneficia ab alijs accipimus; & quamvis ea gratia, activè & ex parte Virginis benefacientis accepta, eidem inſit Virgini, atque ipſi à Filio & per Filium ſit communicata, vti minimè negat Venerab. Author; paſſivè tamen, & ex parte effectus conſiderata, quo modo ipſam ab allijs Virgini conceſsis diſtinguit Venerab. Mater, in ea, non in Deipara, ſedem habet, quippè non hæc, ſed illa Hiſtoriam conſcripſit.

2 Atque *hanc gratiam*, ait Venerabilis Mater, *exaltabis Virgo Maria, me, miſeram creaturam & debile prorſus inſtrumentum, ad tantum explendum munus deligendo*; creſcit enim donum & maius redditur ex indignitate & vtilitate ſuſcipientis. Hic eſt præfatæ propoſitionis ſenſus, catholicus omninò, in quem incidiſſent Deputati, ſi ſedulò perpendiſſent contextum, aut legiſſent ſaltem, obvius enim eſt, & imbibitam ſuam ſignificationem ſtatim propinat; ſed, vt verbis loquar (a) Patris Caniſij, *ita candidi homines de nudis tantum vocculis pro aris & focis litigant, ac pro ſuo arbitratu ſæpè alienum, falſumque ſenſum affingunt.*

(a) Lib. 5. d. Deipara cap. 12.

ARTICVLVS XVIIJ.

NVm. 300. *Si Mortales oculos haberent ſatis perſpicaces ad inſpiciendum lumen puriſſimæ Mariæ, faterentur, illam ſolam ſufficere illuminandis omnibus hominibus venientibus in Mundum, iiſque ducendis per vias tutas ad Beatam æternitatem; & quia omnes, qui pervenerunt ad notitiam Dei, ambulaverunt in lumine*

bu-

Digitized by Google

huius Sanctæ Civitatis, dicitur à Ioanne, ambulabunt gentes in lumine eius.

CENSVRA DD. DEPVTATORVM.

HÆc *propoſitio, quatenus ſoli SS. Deiparæ tribuit, quod ſoli Chriſto competit, falſa eſt, ſcandaloſa, erronea, & Chriſto Salvatori noſtro injurioſa.*

CENSVRA SVPPOSITITIA FACVLTATIS.

HÆc *propoſitio, quæ SS. Deiparæ tribuit, quod ſoli Verbo competit, falſa eſt, ſcandaloſa, & erronea.*

1 VIM faciunt Cenſores in verbis, *illam ſolam ſufficere illuminandis omnibus hominibus,* quaſi Venerab. Antiſtita comparationẽ inſtituerit inter Chriſti lumen, & lumen Matris, & dixerit, lumen Matris ſufficere ſolum per excluſionem luminis Chriſti; ſed miſerè decipiuntur; quippè manifeſtum eſt, ſpectato contextu, Mariam Virginem conferri cum reliquis Sanctis, non cum Filio, imò ex alijs textibus Venerab. Abbatiſſæ paſsim obvijs habetur clariſsimè, Deiparam non aliter eſſe illuminatricem aliorum, niſi quatenus & quia per Filium ſuum eſt illuminata. Is contextus: *Si Chriſtus Dominus Doctores & Sanctos appellavit luces ardentes & poſitas ſuper candelabrum Eccleſiæ: Si Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Doctores, tanto ſpendore Eccleſiam illuſtrarunt, vt videatur illa tanquam Cælum multiplici ornatum Sole & Luna; quid dici potuit de Sanctiſſimâ Virgine, cuius ſplendor & lux longiſſimè excedit lumen omnium Magiſtrorum, & Eccleſiæ Doctorum, imò & ipſorum Cæli Angelorum? Si Mortales oculos haberent perſpicaces, &c.* quæ ſcripta ſunt in notata propoſitione. Ergo per exceptionem luminis Sanctorum, & nullatenus Chriſti, dicitur Maria ſufficiens ſe ſola ad illuminandos cunctos homines; ſi hi oculos ſatis perſpicaces haberent ad illius lumen inſpiciendum; quod quidem eò ſolùm collimat, vt ſignificetur magnitudo luminis Mariani, idque tantum eſſe, vt valdè ſuperet cæterorum omnium Sanctorum lumen & lucem.

2 Porro de excellentia iſta Marianæ virtutis ad illuminandum mundum interdum ediſſerunt Authores, illam vel à nomine ipſo pepe-

repetentes, quaſi *Maria* idem valeat ac *illuminatrix*; ſed, alijs prætermiſsis, vnicum Sanctum Thomam afferam, qui, de plenitudine gratiæ Virginis pertractans, maximè è re præſenti docet. (*a*) *Tertiò* (fuit plena gratia) *quantum ad refuſsionem in omnes homines. Magnum enim eſt in quolibet Sancto, quando habet tantum de gratia, quod ſufficiat ad ſalutem multorum, ſed quando haberet tantum, quod ſufficeret ad ſalutem omnium hominum de mundo, hoc eſſet maximum; & hoc eſt in Chriſto & in Beata Virgine. Nam in omni periculo potes ſalutem obtinere ab ipſa Virgine glorioſa. Vnde Cantic. 4. mille clypei, id eſt, remedia contra pericula pendent, &c. Item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium, & ideò dicit ipſa Eccleſiaſt. 24. in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Sic ergo plena eſt gratia & excedit Angelos in plenitudine gratiæ; & propter hoc convenienter vocatur Maria, quæ interpretatur illuminata in ſe, vnde Eſaiæ 55. implebit ſplendoribus animam tuam, ET ILLVMINATRIX IN ALIOS QVANTVM AD TOTVM MVNDVM, ET IDEO ASSIMILATVR SOLI ET LVNÆ.* Verba hæc ſunt, quæ inſtituto mirè quadrant, nec vlla egent illuſtratione.

3 Et quidem ſi rigidiſsimi Cenſores ob voculam *ſolam* præfixam damnant aſſertionem, cur non & in Eccleſiam inveh untur, de Virgine prædicantem: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes SOLA interemiſti in vniverſo mundo*: cur, inquam, vſitatiſsimam & ab Eccleſia probatam orationem iſtam non carpunt? Cur non ſuccenſent S. Thomæ de Villanova, (*b*) qui, *tu SOLA & vnica ſpes noſtra*, de Virgine ait? Ac tandem quamobrēm eundem Sanctum Thomam (*c*) ex S. Bernardo aientem: *Tolle Solem, quid eſt in Mundo niſi tenebræ? Tolle Mariam ab Eccleſia, quid reſtat niſi caligo?* alioſque Doctores, plerunque ſimilibus loquendi formulis addictos, non ſuggillant? Profectò, ſicut omnia hæc eloquia ſuum ſecum ferunt ſenſum, eumque ſanum, nec hominem benè in Virginem animatum offendunt, ſic & in Venerab. Antiſtitæ propoſitione ſtomachari non debuerant Catholici Theologi; ea enim aptum, verumque ac pium refert & ſecum involuit ſenſum, potiſsimè habita ratione contextus; quem reticuiſſe, ſi non doloſè factum, vt piè arbitror, dolum tamen redolet; quapropter mirandum minimè, ſi Cenſorum conſeſſui illud Hieronymi (*d*) quiſquam opponat: *Turpe tibi eſt hoſtem dolis ferire, non viribus.*

(*b*) *Serm. 3. de Nativit. Virg.*

(*c*) *Ibidem.*

(*d*) *Epiſt. 50.*

ARTICVLVS XIX.

COmplures in hoc Articulo conſarcinarunt propoſitiones Cenſores Pariſienſes, quibuſdam demptis ex primo indiculo & libello, quibuſdam tamen adiectis ab Authoribus ſuppoſititiæ Cenſuræ: atque ideò illas duntaxat breviter, nec infra meritum, diſcutiam, quæ tandem ſub Cenſura comprehenduntur.

Sed antea obſervatum velim, Deputatos ſuo in indiculo ſequẽtes ſeptem propoſitiones tanquam temerarias damnaſſe. Prima eſt, quòd *Maria Virgo à Conceptione ſua vſum rationis habuerit*. Secunda, quòd *tum ornata fuerit ſcientia infuſſa, & habitibus ſcientiarum & artium naturalium*. Tertia, quòd *Angelos & homines iam tunc noverit*. Quarta, quòd *humillimas gratias in ſinu Matris Deo rependerit*. Quinta, quòd *de lapſu primi hominis & de poſterorum eius peccatis ibidem doluerit*. Sexta, quòd *tunc cœperit pro Genere Humano præſtolari, & Mediatricis munus obire, adventum Meſſiæ exorando*. Septima, quòd *à Conceptionis inſtanti Angelos ſuos Cuſtodes iam agnoverit*. At palinodiam cantarunt, quamobrẽm à Cenſuræ confutatione abſtinebo, nec ea indigebit Sapiens Lector, vt hinc coniiciat, quanti habere oporteat in alijs iudicium Theologorum, qui vel ſemel prçfatas propoſitiones cõfigendas pronunciarunt.

CENSVRA DD. DEPVTATORVM

HÆ omnes propoſitiones temerariæ ſunt, & contra Eccleſiaſticæ Regulæ modeſtiam aſſertæ; pleræque fabulas, & ſomnia apocryphorum redolent, & Religionem Catholicam, impiorum & Hæreticorum contemptui exponunt.

Clauſula Cenſuræ. *Non intendimus alia multa, quæ in dicto libro continentur, approbare, & præcipuè ea loca, in quibus Sacræ Scripturæ teſtimonijs ad privatum ſenſum Author paſſim abutitur, ſicut nec ea, in quibus opiniones merè ſcholaſticas à Deo revelatas aſſerit, & vt tales omnibus proponit.*

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA SVPPOSITITIA FACVLTATIS.

HÆ omnes propoſitiones, reſpectivè, temerariæ ſunt, & contra Eccleſiaſticæ Regulæ modeſtiam aſſertæ; pleræque fabulas & ſomnia apocryphorum redolent, & Religionem Catholicam, impiorum & Hæreticorum contemptui exponunt.

Clauſula Cenſuræ. *Cæterùm non intendit Sacra Facultas alia multa, quæ in dicto libro continentur, approbare, & præcipuè ea loca, in quibus Sacræ Scripturæ teſtimonijs ad privatum ſenſum Author paſſim abutitur, nec ea, in quibus opiniones merè ſcholaſticas, à Deo revelatas aſſerit, & vt tales omnibus proponit.*

Dat. in Aula Sorbonæ decimo quinto Kalend. Octobris, & confirmatum Kalend. eiuſdem Menſis, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſexto.

DISSERTATIO POSTREMA,

PROPOSITIONES ARTICVLI 19. EXHIBENtur, & ab illatis notis vindicantur.

QVI falsò malè audit, non modò nulla iniuria affectus eſt (aiebat S. Ioannes Chryſoſtomus (*a*)) *ſed maximam etiam habet mercedem, non enim qui patitur, ſed qui malè agit, dignus eſt ſupplicio.* Exponatur ergo nunc, an Venerab. Antiſtitæ propoſitiones falsò malè audiant, vt inde eluceat, ipſæ ne, vtrùm Cenſuræ dignæ ſint, quæ exufflentur.

(*a*) *In Pſalmum 49.*

§. I.

QVINQVE PROPOSITIONES DISCVSSIONI ſubijciuntur.

PROPOSITIO I. ex num. 122. *Integra prima hebdomada, in Geneſi relata, qua Deus incumbebat crea-*

Digitized by Google

tioni mundi, & ipſius creaturarum, Lucifer, ac alij dæmones diſtenti fuere machinandis, ac conferendis iniquitatibus adverſus Verbum, hominem futurum, & adverſum Matrem, ex qua naſciturum erat.

PROPOSITIO II. eodem num. *Statimatque Lucifer & Aſſeclæ infernum ingreſſi ſunt, Concilium inierunt, ad mane vſque diei feriæ quintæ reſpondentis, protractum.*

1 In his propoſitionibus non aſſequor quid animus Catholicus configendum comperiat: nam dæmones, invidia & ira cùm ſemper exardeant adverſus humanum genus, die ac nocte non ceſſant maligna ſtruere conſilia, perpetuò inſidias parant, nullo immoto lapide illud conantur evertere, & in profundum demergere: id quod potiſsimùm vrget reſpectu Chriſti & Chriſtiparæ, quos ab initio, infanda ſuperbia & rabie, ſunt averſati: haud igitur incredibile, conventicula inijſſe, iniqua ita molitos conſilia in Chriſtum, in Virginem Matrem, atque in cæteros homines. Et quidem ſi dæmones inſimul convenerunt adversùs Michaelem & Angelos eius; ſi Authores paſsim commemorant varia & pleraque Dæmonum conventicula; quamobrèm proſcribendum cenſent Pariſienſes, quod prædictis refertur aſſertis? Satis de ipſis, ne rem ſeipſa creditu facillimam, multis comprobemus.

PROPOSITIO III. num. 136. *Ex Adamo formavit Deus Evam adeò Virgini ſimilem, vt ipſam imitaretur in corporis forma, & in Perſona.*

(*b*) *In Ser. Angelico cap. 7.*

2 Id docuit S. Brigitta, (*b*) cuius hæc verba. *Credebat idcirco Adam, quòd de vna perſona in corpore SIMILI EVÆ, humanam carnem Deus vellet aſſumere.* Docent & alij interdum; atque inde graviter confirmo, quòd Eva pulcherrima fuerit, ac in pulchritudine, etſi à Virgine ſuperata (id enim minimè renuit Antiſtita Venerabilis) cæteras mulieres longè ſuperarit; & idcirco valdè ſimilis Virgini extitit, & ad ipſius ſpeciem & formam præ reliquis mulieribus acceſsit; idque adeò congruit Protoparenti noſtræ, quin Deiparam offendat, vt non ſatis mirer, difficultatem moviſſe nepotibus Pariſienſibus: quorum ora propterea obturet Hieronymus, (*c*) quoſdam de Eva malè merentes inſectatus. *Taceo* (inquit) *de*

(*c*) *Epiſt. 7.*

de Eva, quæ in typo Eccleſiæ de coſta viri ædificata, *NON DEBET POST TANTA SÆCVLA NEPOTVM CALVMNIAS SVSTINERE.*

PROPOSITIO IV. num. 134. *Altiſſimus aſpiciebat Chriſtum & Matrem ſuam Sanctiſſimam tanquam duo exemplaria, quæ formaverat ſuæ Potientiæ & Sapientiæ magnitudine, vt illi veluti archetypa eſſent, vnde totum genus humanum delinearet; atque vt omnes homines, binæ huius imaginis divinitatis ſimilitudinem referendo, mediis ipſis ſimiles etiam Deo evaderent.*

3 Loquitur Venerabilis Mater de ideis divinis, atque ad Chriſtum & Virginem ſecundum hunc ſtatum, non ſecundum factum, referuntur verba, *quæ formaverat*, cùm Chriſtus & Virgo Maria reipsà non præceſſerint cunctos homines; ſed & hoc in ſenſu inficiantur Cenſores, Deiparam poſt Chriſtum fuiſſe Deo condendorum hominum exemplar; inſcitè tamen probro dehoneſtant eiuſmodi aſſertum, quod (vt taceam DD. alios) tanquam vnum ex principijs Dialecticæ Marianæ cum laude Sapientum iecit perdoctus Theologus Pater Franciſcus Garau (*d*) totidem verbis. *Ipſa* (Maria) *creaturarum omnium PRIMVM, POST CHRISTVM, EXEMPLAR.*

(*d*) *Deip. Elucid. Princip.* 7.

4 Nec illud illuſtratione viduum abire permiſsit, ex verbis Proverbiorum (*e*) deſumpta, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, Deiparæ, nedum divinæ Sapientiæ appictis; quaſi Deus cœlum terramque moliturus, Mariam mente conceperit, & præſentem ipſius ideam contemplatus fuerit. At quî Deus orbem condturus, in Mariam inſpexit? Reſpondet: (*f*) *Ideò Deum, conditurum Orbem, in Mariam inſpexiſſe, vt ex illius perfectionū cumulo cunctis perfectiones partiret.* Et paucis ſubiunctis: *Sicut ergo Deus mundum moliturus ad Verbi accurrit ideas, vt rebus quibuſque ſuas naturas tribueret; ſic ad Mariam, eiuſque ideam inſpexit, vt ex illa perfectiones, à creaturis imitabiles, in cunctas diſpergeret, & diffunderet.* Alijſque in idem congeſtis & expenſis, iterum intertexuit (*g*) hæc. *Inſpice in Mariam, quæ omnium bonorum, & charismatum, quæ inter omnia dividi debent, EXEMPLAR EST ET IDEA.*

(*e*) *Prov. cap.* 8. *v.*

(*f*) *Suprà* §. 2. *num.* 103.

(*g*) *Ibidem num.* 104.

PROPOSITIO V. num. 185. *Prudens Matrona Anna nunquam revelavit Sancto Ioachimo, alijve creaturæ, Filiam*

liam ſuam futuram Meſſiæ Matrem. Nec Sanctus Pater toto vitæ curſu ampliùs eſt aſſequutus, quàm quòd futura erat eximia & mirabilis mulier; attamen in mortis articulo myſterium Altiſſimus illi reſeravit.

(b) *Lib. 1. Revelat. cap. 9.*

5 Oppoſitum ſcripſiſſe videtur Sancta Brigitta (b) dicens. *Et cùm ſibi* (Ioachimo & Annæ) *nuntiatum eſſet ab Angelo, quòd Virginem parerent VNDE SALVS MVNDI PROCEDERET, magis voluiſſent mori, quàm carnali amore convenire.* Pende verba, *vnde Salus mundi procederet,* quæ Virginem Salutis mundi, Chriſti ſcilicet, extituram Matrem ſignificant.

6 Reſpondetur. Tametſi ex Virgine, quatenus Matre Chriſti, reverà ſalus mundi proceſſerit, id verò non omninò, nec apertè ſatis Ioachimo ſignificabant verba illa, quæ de modò nihil expreſsè enunciant: ac proinde eſtò Ioachimus ob revelationem, ab Angelo ſibi factam, magnum quid & ſingulare de Filia conijceret, atque eventurum putaret, vt ſaluti generis Humani inſerviret; nondum verò, qua determinatè ratione, & qua via id cõficiendum inde ſibi affulgebat.

(i) *Tom. 4.*

7 Clariùs exadversò ſtat Author Libri de Ortu Virginis apud Hieronymum (i) inquiens, Angelum hæc Ioachimo nuntiaſſe. *Anna vxor tua pariet tibi Filiam, & vocabis nomen eius Mariam; hæc enim erit, vt voviſti, ab infantia Domino conſecrata, & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero Matris.... ætate procedente, ſicut ipſa mirabiliter ex ſterili naſcetur, ita incomparabiliter Virgo generabit Altiſſimi Filium, qui Ieſus vocatur; ſecundum nominis ethymologiam Salvator omnium gentium erit.*

8 Reſpondetur. Author illius Libri, aut potiùs Opuſculi, non eſt probatæ authoritatis, & licèt alioquin eſſet, hac in parte non adeò quenquam premeret, vt oppoſitam aſſertionem propter illius dictum inficiari cogeretur. Profectò, quod docet Venerab. Mater necunde efficaciter impugnabitur ſpectato obiecto, adeòque dum non evincatur, nullam huiuſmodi factam ipſi revelationem, aſſerta propoſitio Cenſuram evadit. Atque hoc argumentum, quod non ſemel in alijs Diſſertationibus expendi, valet etiam ad confirmandas tàm præcedentes quàm ſubſequentes propoſitiones; nec illud paſsim repetere opus eſt.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

COMPLURES ALIÆ PROPOSITIONES diſcutiuntur.

PROPOSITIO VI. num. 201. *Altiſſimus determinavit ac deſignavit Angelos, ſublimi adeò miniſterio* (cuſtodia nimirum Virginis) *occupandos, & ex ſingulis Choris centum delegit, qui ſunt nongenti.*

PROPOSITIO VII. eod. num. *Protinus deſtinavit duodecim alios, ut corporea & viſibili ſpecie Virgini frequentiùs aſſiderent, & hi ſigna & emblemata Redemptionis præferebant.*

PROPOSITIO VIII. eod. num. *Vltra hos deſignavit Dominus octodecim alios ex ſublimioribus, ut per hanc myſticam Iacob Scalam aſcenderent & deſcenderent, legationes agentes Reginæ ad Altiſſimum, & huius ad illam.*

PROPOSITIO IX. num. 202. *Præter iſtos nominavit ac deſtinavit ſeptuaginta Seraphin ex ſuperioribus, & propinquioribus Divinitatis Throno, ut conferrent ac communicarent cum cœli Principiſſa.*

PROPOSITIO X. num. 205. *Ad meliùs ordinandum hoc agmen invictum, Sanctus Michael, Princeps militiæ cœleſtis, illius eſt conſtitutum caput.*

PROPOSITIO XI. eod. num. *Sanctus Princeps Gabriel deſignatus etiam fuit, ut miniſterijs, & Æterni Patris legationibus incumberet, quæ Cœli Principiſſam concernerent.*

PROPOSITIO XII. num. 362. *Cum Angeli* (ex nongentis, de quibus propoſit. 6.) *Virgini viſibiliter apparebant, formam præſeferebant Adoleſcentis ineuntis ætatis, ſed extremæ pulchritudinis & gratiæ.*

PROPOSITIO XIII. num. 363. *Geſtabant in capitibus*

bus coronas ſlorum, ſuaviſſimum emittentium odorem.

PROPOSITIO XIV. eod. num. *In manibus portabant palmas varietate & pulchritudine contextas.*

PROPOSITIO XV. eod. num. *In Pectore inſigne quoddam portabant, quod intelligemus fuiſſe inſtar ſignorum, aut ſtemmatum Ordinum Militarium, verùm notam habebat dicentem*: Maria Mater Dei.

PROPOSITIO XVI. num. 372. *Octodecim Angeli* (de quibus propoſit. 8.) *ſe Mariæ Sanctiſſimæ videndos exhibebant mirabili pulchritudine, & ad ornatum geſtabant Paſſionis & aliorum Redemptionis Myſteriorum inſignia pleraque; ſingillatim vnam ferebant in pectore crucem, aliam in brachio, vtramque raro & decore & ſplendore fulgentem.*

9 Quæ in his propoſitionibus nominatim criminentur Cenſores, ſi non ſcripto, voce tamen ſatis prodiderunt, ad iſthæcque ſumma reducuntur capita. Opponebant imprimis. Si Virgo Maria iam ante Incarnationem Verbi frequenter Angelorum converſatione & viſibili ſpecie ac forma fruebatur, quomodo (k) *turbata eſt* ad Gabrielis conſpectum ipſam alloquentis?

10 Cui argumento vires accreſcunt ex S. Ambroſio, (l) qui huiuſce turbationis cauſas depromens, inquit. *Trepidare virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pavere.* Et iterum. (m) *Salutata ab Angelo tacet, & mota eſt introitu eius; quia ad virilis ſexus ſpeciem peregrinam turbatur aſpectus Virginis.* Et (n) alibi: *Angelum Maria, quaſi viri ſpecie mota, trepidavit, non incognitum audito nomine recognovit; ita peregrinata eſt in viro, quæ non eſt peregrinata in Angelo.*

11 Ambroſio annuit Sanctus Thomas Aquinas (o) dicens: *Ipſa etiam turbatio Virginis conveniens fuit verecundiæ virginali; quia vt Ambroſius dicit trepidare virginum eſt, &c.*

12 Eodèm collimat S. Hieronymus (p) aiens: *Ideò forſitam timore perterrita eſt, quia virum, quē non ſolebat, aſpexit.* Et alibi: (q) *Quæ hominem formidabat, cum Angelo fabulatur intrepida.*

13 Reſpondetur. Virgini Mariæ turbationi non fuit vultus Angeli, ſed ſermo; non eam movit viſio, ſed auditus; vnde & Evangeliſta Lucas non ſcripſit, *quæ cum vidiſſet*, ſed, *quæ cum audiſſet*,

(k) *Luc. 1. v. 2.*
(l) *Lib. 2. in Lucam.*
(m) *Lib. 1. de Officijs cap. 18.*
(n) *Lib. 2. de Virginibus, initio.*
(o) *3. part. quæſt. 30. art. 3. ad 3*
(p) *Ad Lætā Epiſt. 7.*
(q) *Ad Euſtoch. Epiſt. 22.*

Digitized by Google

nec *turbata eſt in viſione eius*, ſed *in ſermone eius*: nec *cogitabat qualis eſſet iſta viſio*, ſed *iſta ſalutatio*. Quam etiam ſententiam ſequuti ſunt complures PP.

14 Sanctus Petrus Chryſologus (*r*) perbellè & expeditè de more ſuo. *Quid eſt, quod Perſonam videt, & de ſermone turbatur? Quia venerat Angelus blandus in ſpecie, fortis in bello; mitis in habitu, in ſermone terribilis, humana proferens, divina repromittens. Vnde & Virginem, quam leviter viſus ſolicitaverat, nimiùm turbavit auditus, & quam miſſi præſentia parùm noverat, concuſſit toto pondere mittentis authoritas.* (*r*) *Serm.* 140.

15 Euſebius Gallicanus: (*s*) *Turbata eſt NON IN VVLTV EIVS, SED IN SERMONE EIVS, non enim Angelum, ſed verbum Angeli attendebat.* (*s*) *Hom.* 4 *poſt* 4. *Do. Advent.*

16 S. Thomas hæc refert, (*t*) nec improbat. *Quidam tamen* (Patres) *dicunt, quòd cùm B. Virgo ASSVETA ESSET VISIONIBVS ANGELORVM, non turbata fuit IN VISIONE ANGELI, ſed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur: quia de ſe tam magnifica non cogitabat.* Quæ & ſuadet Idem Sanctus Doctor, ſtatim ſubiungens. *Vnde & Evangeliſta non dicit, quòd turbata fuerit in viſione Angeli, ſed in ſermone eius.* (*t*) *Suprà.*

17 S. Laurentius Juſtinianus. (*u*) *Turbata eſt NON EX ANGELICO ASPECTV, ſed ob excellentiam tanti præſagij.* Idem iterum. (*x*) *Turbata eſt non ex Angelico aſpectu, quaſi inſolito, quippè quæ iugiter viſitaretur ab Angelis.* Superſedeo alijs referendis & PP. & Interpretibus, præſertim Recentioribus, in eandem incurrentibus mentem: quia vbibis proſtant. (*u*) *Serm. de Annunciatione.* (*x*) *Ibidē.*

18 Hinc autem & infringitur argumentum, quà falsò ſupponit, turbationi Virginis in cauſa fuiſſe viſionem Angeli; & graviter confirmatur doctrina Venerabilis Antiſtitæ de frequenti converſatione Virginis cum Angelis, ipſorumque viſione: ea enim adeò communiter admittitur ſub his communiſsimis terminis, vt, de tempore etiam Verbi Incarnationem præcedente loquens, Marius Scribonius (*y*) protulerit. *Aiunt multi, imò penè omnes Doctores Catholici, illam fuiſſe ſolitam viſionem Angelorum videre, cum ipſiſque colloqui.* Haud diſsimile teſtimonium invenies apud Maldonatum. (*z*) (*y*) *Serm.* 11. *ſupra Miſſus eſt.* (*z*) *In Lucam, cap.* 1 *num.* 105.

19 Quidquòd exſcripta Patrum verba nu. 16. & 17. Venerabilis Abbatiſſæ doctrinæ ſubſidio ſunt, vel quatenus efferenti frequentiam illam viſionis Angelorum in ſpecie ſenſibili & corporea

hominis: quoniam præfati PP. alioquin concedentes Gabrielem Virgini ſe videndum exhibuiſſe in ſpecie humana, inde eruunt illam non turbatam in viſione, quòd aſſueta fuiſſet *viſionibus Angelorum*, vtique corporeis; aliter ratio adducta robore caret, & extra rem induceretur; quippe adhuc ſuppetebat idonea turbationis cauſa in viſione, videlicet, inſolita Angelorum viſio illa corporea. Atque in idem meritò trahi queunt complures alij DD. perinde ac ij PP. loquuti.

20 Reſpondetur ſecundò: Virginem turbatam in viſione Angeli, non quòd is in ſpecie ſenſibili & humana appareret, ſed quòd inſolito ſulgore ac lumine. Cui reſponſo favere videtur Eccleſia inquiens: *Expaveſcit virgo de lumine*: nec deficit gravium DD. ſuffragium, è quibus duos placet tranſcribere.

(a) Serm. 1. de Annunciat.

21 Vnus ſit Sãctus Thomas de Villanova: *Per hoc* (inquit (a)) *quòd dicitur in ſermone eius, intelligimus non tam de viſu, quàm de ſalutatione turbatam, licèt non ſit mirum, eam TALI FVLGORE COMMOTAM: quia etſi priùs Angelos viderat, tamen non tali maieſtate fulgentes.*

(b) Lib. 3. de Deipar. cap. 1.

22 Alter, Pater Caniſius (b) ſcribens. *Sedenim vtrumque fieri potuit, vt non ſolùm ex inaudita ſalutationis forma, ſed etiam ob admirabilem coruſcantis Angeli aſpectum Virgo Sacra turbaretur, præſertim quòd ille ſolito ſplendidiùs appareret, ac nova quadam luminis claritate ſuam legationem magis cohoneſtaret.* Pende vtriuſque Authoris poſtrema verba, ad comprobandam item crebram viſionem Angelorum in externa ſpecie, vtì premiſsi num. 19.

23 Modò facillimè ocurro augmento difficultatis, oppoſitæ à num. 10. ex teſtimonijs SS. Ambroſij, Hieronymi & Thomæ petito. Sanctus Thomas ibidem refert varia PP. ſenſa de cauſa turbationis Virginis Mariæ; ſed noſtra nullatenus contemnit, aut funeſtæ alicuius inſimulat notæ. SS. Ambroſius & Hieronymus in illa ſunt opinione, aſt & oppoſita probabilis eſt (forſan & probabilior) ac ampliſsimæ quoque authoritatis fulcro ſuffulta.

24 Addo nihilominus in gratiam tantorum Patrum, Hieronymum de illa turbationis cauſa hæſitare, vt verba, *ideò forſitan*, ſat innuunt; & neutrum adſcribere Virginis turbationẽ viſioni Angeli in ſpecie hominis vtcunque, ſed hominis viri, ſeu ætatis perfectæ, non pueri, aut teneræ ætatis adoleſcentis, cuius inſtar ſpeciei conſueverant Angeli Virgini apparere, quemadmodum tradit Venerab. Abbatiſſa propoſitione 12. *inſtar adoleſcentis ineuntis ætatis*

te-

tenian forma de vn mancebo de poca edad. Sic fere exponit Ambroſium Conſalvus Durantus. (c) Vnde & ipſe Ambroſius poſtremo advocato loco dixit: *Gabriel eam, vbi reviſere ſolebat, invenit*: protinus ſubnectens, *& Angelum Maria, quaſi VIRI ſpecie mota, trepidavit, &c.* (c) Tom. 1. Revelat. S. Brigittæ, tract. de Viſion. cap. 2.

25 Opponebant rurſus Cẽſores, quàm maximè repugnare, tam multa, tamque mira obſequia ab Angelis præſtita fuiſſe Virgini ab ortu ſuo, & antequam Matris dignitatem obtineret. Verum huic obiectioni reſpondetur ex latè traditis Diſſertat. 6. §. 3. à num. præcipuè 62. Opponebant præterea (vt refertur) à Venerab. Matre dictum, Angelos, quoties ſe ſpectabiles præbebant SS. Virgini, ſpeciem adoleſcentis eximiæ formæ & ILLECEBROSÆ PVLCHRITVDINIS induiſſe.

26 Reſpondetur. Venerabilis Mater non habet, *illecebroſæ pulchritudinis*, ſed *eximiæ pulchritudinis & gratiæ*, nempe, *de eſtremada hermoſura, y agrado.* Verùm & nomen *illecebra*, atque adeo *illecebroſus* in bonam etiam quandoque accipitur partem, teſtantibus dictionarijs, maximè Ambroſij Calepini; (d) & eo quidem num. 362. ita vſurpandum, nec in vllam ſignificatæ turpitudinis ſuſpicionem trahi potuiſſe, etiamſi ab Interprete fuiſſet adiectum, ex ibidem dictis compertò liquet. *Tali pulchritudini* (inquit Venerabilis Mater) *adiunctam inſuper fuiſſe eximiam gravitatem, modeſtiam, & amabilem ſeveritatem.* In aliaque id genus excurrit, puritatem & honeſtatem omnino præſeferentia. (d) Lit. I. v. Illecebra

27 Denique ſtomachantur in deſcriptionibus ornamentorum, quibus mira varietate Angeli diſtinguebantur. Sed liberè prorſus in his offendunt: nemo enim ignorat, ſive Sacras ad literas oculos convertat, ſive ad hiſtoricas narrationes Sanctorum, ſive ad picturas fidelibus permiſſas & probatas, Angelos figurari, multotieſque apparuiſſe diverſis, ijſque ſplendidis, inſignitos formis, emblematibus & notis: non ergo incredibile ſit, quod refert Venerab. Antiſtita, non quidem ridiculè, non ita vt iocum moveat, ſed graviter, pièque & appoſitè Angelos depingens. Hæc profectò aut ſimilia eventa neutiquam ad certam regulam prudentes, ac eruditi revocant, ſed omnes cum Damaſceno (e) inquiunt: *Transformantur Angeli quomodocunque Dominator iuſſerit Deus, & ſic hominibus apparent, ac divina revelant myſteria.* (e) Lib. 2. de Fid. Orthod. cap. 3

28 In fine animadverto ad præcidendam obiectionem aliam, inſcriptionem, *Maria Mater Dei*, de qua propoſitione 15. ante

Digitized by Google

Incarnationis tempus agnitam nunquam, nunquam viſam à Virgine Maria, vti perpetim quoque admonet Venerabilis Antiſtita, ſicut & Virginem eandem tùm neſcijſſe, ſe in Matrem Dei electam.

§. III.

RELIQVÆ PROPOSITIONES DISCVTIVNTVR.

PROPOSITIO XVII. num. 218. *Prima Conceptio Sanctiſſimæ Virginis facta fuit die Dominica.*

PROPOSITIO XVIII. num. 219. *Sabbatho ſequenti & primæ Conceptioni proximo, facta fuit ſecunda Conceptio, Altiſſimo creante Matris ſuæ animam, & eam corpori infundente.*

29 Hæ propoſitiones nulli certæ doctrinæ repugnant; quinimo decimam octavam demonſtratione firmari, ex annorum & literæ dominicalis recurrentis calculo deducta, contendit præclariſſimus Doctor D. Joannes de Leyba, vir indeſeſsi ſtudij & omnigena eruditione refertus. Quòd ſi nimium, aut econtrà breve nimis videtur Pariſienſibus inductum à Matre Maria de Ieſu intervallum inter vtramque Conceptionem: conſulant Raynaudum (*a*) longius nimiùm propugnantem, & Joannem Baptiſtam Novarium, (*b*) Jacobum Granadum, (*c*) ac alios, brevius admodùm defenſantes.

PROPOSITIO XIX. num. 221. Corpuſculum Virginis, recèns *animatum, vnius apis quantitatem imitabatur.*

30 Hìc quid piè mirentur, non quid ſuggillent, habent Cenſores: quanquam enim Corpuſculum ſeptem diebus idoneum evaſerit, quod rationalis anima informaret; curſum naturæ in augmento ſervavit, ſic ordinante Altiſsimo, vt opus vndique mirabilius foret, & ipſe vel in minimis maximum ſeſe proderet.

PROPOSITIO XX. num. 227. *Statim in vtero Matris ſuæ grates Deo rependit, profunda ſubmiſſione, & inclinationibus corpuſculi adeo exigui.*

(*a*) *In Diptych. Marian. p.* 1. *punct.* 1. *num.* 17.
(*b*) *De Emin. Deipar. tom.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* 8.
(*c*) *De Conceptio. ſect.* 2. *diſp.* 2.

PRO-

PROPOSITIO XXI. num. 231. *In vtero Matris ad lachrymas vſque doluit de lapſu hominis.*

31 Virgo Sanctiſsima altiſsimo rationis vſu, eximiæ gratitudinis, charitatis, aliarumque pariter virtutum dotibus tum pollebat: quibus mirè conſonant aſſerta in præfixis propoſitionibus, laudandis proinde, non carpendis.

PROPOSITIO XXII. num. 329. *Statimatque nata eſt Maria, Miſſit Altiſſimus Sanctum Archangelum Gabrielem, vt Patribus Limbi nativitatem, adeo ipſis iucundam, evangelizaret.*

32 Manifeſtatam ſtatim Patribus, in Sinu Abrahæ expectantibus, Virginis Nativitatem docuit Sancta Brigitta, (d) ibidemque (e) Conſalvus Durantus omninò videndus; nec incongruè deducitur ex Eccleſiâ & PP. efferētibus *gaudium* annunciaſſe *vniverſo mundo.*

(d) *Lib.* 6. *Revel. cap.* 56.

(e) *Ibidem nota* 2.

PROPOSITIO XXIII. num. 330. *Innumerabilis Angelorum multitudo novam & ſolemnem inſtituit proceſſionem, elevantes, cum gaudij incomparabilis canticis, veram arcam novi Teſtamenti, vt ad aliquod temporis ſpatium moraretur, non in domo Obededòn, ſed in Templo Supremi Regis Regum & Domini dominantium.*

33 De obſequijs ab Angelis Virgini impenſis, iurèque impendendis, relege Diſſertationem 6. & de raptu illius in Cœlum, antequam id Chriſtus ſua morte aperiret, Diſſert. 12.

PROPOSITIO XXIV. num. 334. *Loco Virginis ſuffectus eſt Angelus vnus ex cuſtodibus, corpore aereo ad id aſſumpto.*

34 Iocando quærunt Cenſores, an mamillas ſuxerit Angelus? an crepundia amiſerit? Sed meminerint ipſi Angeli, qui ſocium ſe præbuit Tobiæ, & qui tandem Perſonam aſſumptam deponens, (f) dixit: *Videbar vobiſcum manducare & bibere.* Meminerint etiam aliarum Angelorum, in corporibus aſſumptis varia exhibentium officia, transformationum, ne iſthæc irrideatur.

(f) *Tobiæ* 12. *v.* 19.

PROPOSITIO XXV. num. 325. *Virgo Maria tempore ortus ſui in ecſtaſim acta fuit, atque à ſenſibus abſtracta, vt partus anguſtias non perciperet.*

Aſſer-

35. Aſſertio piiſſima,& laudi potiùs quàm vitio Venerabili Antiſtitæ vertenda, ſed ita comparatum eſt, vt inimicus vel in ſcirpo nodum quærat.

PROPOSITIO XXVI. num.352.*Vel in ſomno ab internis amoris actibus, aliisque à ſenſu exteriori non pendentibus, non feriabatur.*

36 Forſan eam configunt propoſitionem Cenſores, authoritate ducti Gerſonij, ſui quondam Cancellarij, arbitrati (g) penitus temerarium, tribuere Virgini in ſomno libertatem & meritum; verùm oppoſitum reverà accidiſſe, nec vnquam vel in ſomno intermiſſum virtutis internum exercitium, probabilior tuetur iam opinio, gravibus perplacens Doctoribus, laudatis à Raynaudo (h) & Soario, (i) inſimul ſubſcribentibus.

37 Duas alias propoſitiones prætermitto, quippè diſcuſſas Diſſertat.8.pariter & reliquas ab ea opinione pendentes, Virginē ſcilicet impedimentis infantiæ non ligatam, ſed ſolutam, contrà quàm frequenter accidit: opinionem vero prædictam, Venerabilis Matris doctrinæ cōnſonā, probabilibus niti coniecturis, pluſquā probabile eſt; ac eandem, ſicut & cunctas huiuſce Articuli propoſitiones Cenſuras evadere, validè confirmatur argumento nu.8.indicato,& alibi non ſemel amplificato. Vnde palàm habetur, nihili faciendum iudicium horū Pariſienſium, qui veluti noviſsimi Ariſtarchi Cenſuras iaculātur, privatis ſuis opinionibus adeo deferūt, vt adverſas paſsim contemnant & ſuffigant, novam ſternunt viam privatas qualcunque revelationes eliminandi, atqȝ alia id genus horrēda promovendi.

(g) *Tom.1. Tract. de ſuſceptione humanit. Chriſti verit. 20.*

(h) *Suprà p.2.punct. 5. num. 5.*

(i) *Tom.2. in 3. part. diſp. 18. ſect.2.*

§. VLTIMVS.

CENSVRARVM VITIA EXACTIVS aperiuntur.

38 HÆ *omnes propoſitiones* (inquiunt) *reſpectivè temerariæ ſunt.* Quî? Quoniam Pariſienſibus non arrident, quoniam prolatæ revelationis, omni amoto examine, nullam volunt habere rationem, quoniam ſe obiectum tantummodo conſiderare obtendunt, omni denudātum ex parte ſubiecti circunſtantia; ſed ſi ſtropha huiuſmodi vti fas eſt in cenſendis doctrinis, cur myſteria noſtræ fidei non item probroſis reijciunt Cenſuris, & Catholicam Reli-

Religionem hæreticis ridendam propinant? Quis enim ſecluſa revelatione divina veritatem Trinitatis, Euchariſtiæ, &c. prudenter, & abſque temeritate induceret? Ergo Cenſura Pariſienſium illuſoria,& nugis ſcatet, in hunc tandem relapſa ſenſum: *Hæ propoſitiones temerariæ ſunt, ſi quidquid temeritatis notam evertit, ſubmoveatur.*

39 *Et contra Eccleſiaſticæ Regulæ modeſtiam aſſerta.* Vt qualificandi,ſic & modeſtiæ regulam ſibi fingunt Cenſores: Eccleſiaſticæ regulæ modeſtiam velim deſignent, & terminos exponant, quos non liceat excedere: tunc certè conſtabit, an ignorent, an calleant idipſum, quod ore prônunciant; *ſed* (vt de Pariſienſi quodam Advocato ſcripſit bonæ notæ Author (*a*)) *nullam rationem* adiungunt *tantæ criminationis*; *facilius quippè breviuſque* ipſis *viſum, ſi cauſam non* examinarent, *non* diſcuterent, *ſed more ſibyllarum oracula* proferrent, *nullâ curâ probandi.*

(*a*) *In Apolog. pro Innocẽtio XI. adv. Talonium.*

40 *Pleræque fabulas & ſomnia apocryphorum redolent, & Religionem Catholicam, impiorum & Hæreticorum contemptui exponunt.* Hæc facilia ſunt dictu, ſed nuſquam à Pariſienſibus probantur, qui ſua potiùs Cenſendi norma quaſcunque revelationes privatas deriſui exponunt, Hæreticis arma ſubminiſtrant, vt Catholicis ferventiùs detrahant, & antiquas querimonias de nimio cultu, nimiaque pietate erga Virginem Deiparam recoquant. Faxit Deus, vt quos nõ puduit ita audacter loqui, facti ſaltem pœniteat.

41 *Cæterùm non intendit Sacra Facultas alia multa, quæ in dicto Libro continentur, approbare.* Et quid inde? Eſt ne Facultas Pariſienſis regula veritatis? Eſt Iudex controverſiarum? Neutiquam. Probet ergo ſi libuerit, non probet ſi nolit. Præterquamquod de Facultatis Sententia nondum conſtat, vt in criſi præfationis Cenſuræ animadverto.

42 *Et præcipuè ea loca, in quibus Sacræ Scripturæ teſtimonijs ad privatum ſenſum Author paſſim abutitur.* Inſignis herchè calumnia: & ſiquidem ita eſt, vt effutiunt, quamobrèm verba non deſignant, & ſpeciatim proſcribunt; cùm inter perverſæ doctrinæ notas graviſsima ſit, Sacrarum Scripturarum abuſus? Noverint illi, complures Hiſpanos, eoſque doctiſsimos, longè aliter ſentire de Scripturarum expoſitionibus, quas ſuo in Opere intertexuit Antiſtita Venerabilis.

43 *Nec ea, in quibus opiniones merè Scholaſticas à Deo revelatas aſſerit, & vt tales omnibus proponit.* Quomodo eas proponat, dixi

Diſſer-

Diſſertat. 4. Poſſe autem opiniones merè Scholaſticas ſub revelationem cadere privatam indubium Cenſeo, & eruditè de morè ſuo oſtendit (*b*) Illuſtriſsimus Ximenius Samaniego;ibidemque ab eo dictis denuo addo ſequentia.

(*b*) *Nota* 1.

44 Doctrinam Sancti Thomæ innumeras involvere opiniones merè Scholaſticas ignorat nemo;nihilominus Doctorum plures ex ijs,qui de tantæ doctrinæ laudibus diſſeruerunt, exiſtimant,quoad omnem ſui partem Sancto Thomæ infuſſam.

45 Patres Salmanticenſes (*c*) Scholaſticam quandam opinionem de modo loquutionis Angelorum eandem putant cum cœleſti & infuſſa doctrina S.Thereſiæ à Ieſu. (*d*)

46 Joannes Baptiſta Gonetus (*e*) ex Ægidio Romano refert, Sancto Thomæ revelatam divinitùs, ſententiam negantem de facto in Viſione Beata ſpeciem impreſſam creatam. Et paſsim quoque alias probabiliter à Theologis affirmari revelatas, quatenus explicui Diſſertat. 4. quis dubitat?

47 Ergo ſat de Cenſura Pariſienſium,quos cum Auguſtino (*f*) reprehendere, eorumque Sententiam & integrum criminationum Libellum his appoſitè deſcribere coloribus liceat,*Quid dicitis,quid profertis, quam rationem, quam veritatem? Fabula eſt longa & vana, puerile ludibrium, & muliebre iocamentum, & aniculare deliramentum, CONTINENS INITIVM TRVNCVM, ET MEDIVM PVTRIDVM, ET FINEM RVINOSVM.*

(*c*) *De Angelis diſp.* 15. *dub.* 2. §. 1. *nu.* 1.
(*d*) *Lib.* 1. *vitæ ſuæ cap.* 27.
(*e*) *De Viſione diſp.* 2. §. 2.
(*f*) *Lib.* 13 *cōtra Fauſtum Manich. cap.* 6.

PROTESTATIO.

LECTOR Adverte,in defenſione doctrinæ Abbatiſſæ de Agreda, quam hoc in Opere complexus ſum, plura me attingere,quæ illi Sanctitatem aſcribunt,arcanorum manifeſtationes,revelationes, illuſtrationes,& alia huiuſmodi:verùm hæc omnia ita legenda propono, vt nolim à meis Lectoribus accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata & approbata, ſed tanquam humanam hiſtoriam: Proinde Apoſtolicum Sacræ Congregat.S.R.& vniverſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625. editum & anno 1634. confirmatum, integrè atque inviolatè, iuxta declaratioñe eiuſdem Decreti à SS. D.N. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam ſervari à me omnes intelligant,nec velle me,vel cultum aut venerationem aliquam per has meas lucubrationes Antiſtitæ prædictæ arrogare, vel famam & opinionem Sanctitatis augere,nec quidquam eius exiſtimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando Beatificatio-

Digitized by Google

cationem, velCanonizationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem, ſeclusis his meis lucubrationibus, obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſsimus haberi Filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione & actione dirigi.

Fr. Ioſephus Nicolaus Cavero.

OMNIA SANCTÆ ROMANÆ SVBIICIO ECCLESIÆ, in cuius fide & obedientia vivere & mori me conſtanter velle omnino profiteor.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA ...ORIO EMANUEL...

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

Abbatiſſa.

ABbatiſſa de Agreda laudata & commendata. *Vid. per tot. Opus.*
Quomodo inſtructa, vt Hiſtoriam Marianã conſcriberet? *Diſſert. 4. à nu. 25.*

Academia.

Pariſienſis laudata. *Diſſertat. 2. num. 4. & alibi.*
Quomodo & quatenus doctrinas notare queat Cẽſuris? *Diſſert. 6. à n. 100.*

Adoratio.

Quid, quotuplex, an hoc nomen ex vſu Eccleſiæ ſolum ſignificet cultum ſoli Deo debitum? *Diſſert. 5. per totã.*
Quomodo intelligendi aliqui Patres, quandoque proferentes, ſolum Deum eſſe adorandum? *Ibidem à num. 42.*

Angelus.

Sancti Angeli in via adorarunt Deiparam. *Diſſert. 6. à num. 9.* Etiam initio Beatitudinis illorum. *Ibid. à num. 39.* Etiam ſtatimatque Deipara nata eſt, prout docet Abbatiſſa de Agreda. *Ibidem à num. 47.*
Quouſque ante exercitam Incarnationẽ, illã cognoverint? *Ibid: à nu. 16.*
Quomodo Virginem cuſtodirent, ipſique famularentur etiam à Nativitate? *Ibid. à num. 49.*

B. Anna.

Eius partus quouſque purus? *Diſſertat. 13. à num. 1.*
Lege Purificationis, quam obſervavit; an teneretur, & quis hac in re ſenſus Venerab. Abbatiſſæ? *Ibidem à num. 10.*
Præmiſſum ab Anna & Ioachimo votum conſecrandi Templo Virginem magnopere contulit, vt facilius id exequerentur. *Diſſertat. 8. à num. 5.*
B. Anna non manifeſtavit viro ſuo S. Ioachimo, Virginem Mariam futuram Chriſti Matrem, & quouſque id ignoraverit S. Ioachimus. *Diſſert. vlt. à n. 5.*

C

Cœlum.

Hominibus ante Chriſti mortē clauſum, poſt apertum. *Diſſert. 12. per tot.* Quid hoc ſignificet? *Ibid. à num.* præcipuè 17.

An Virgini clauſum? *Ibid. per totam.* Quid de Virgine, ſi Chriſto fuiſſet præmortua? *Ibid. à nu. 7.* & expiicatiùs *a num. 10.*

Cenſura.

Cenſuræ, à quibuſdam Pariſienſibus latæ adverſus doctrinam Venerab. Abbatiſſæ, quæ & quales? *Per totū Opus.* Falſitas quando Cenſura Theologica? *Diſſertat. 10. num. 63.*

D

Deus.

Dialectica.

Dialecticæ Marianæ Regulæ quæ? Quomodo intelligendum, Deum contuliſſe Mariæ quidquid potuit? *Diſſert. 9. per totam.*

Ridenda cuiuſdam Hæretici calumnioſa Dialectica. *Diſſert. 10. num. 61.*

Eccleſia.

Quomodo ei demandata credēdarum veritatum propoſitio? *Diſſert 4. à nu. 8.* Quanta Virginis officia erga naſcentem Eccleſiam? *Diſſert. 10. à num. 32.*

Eva.

Corpore ſimillima Virgini. *Diſſertat. Poſtrem. nu. 2.*

F

Fides.

Veritates privatim revelatæ quomodo cadant ſub Fide Theologica? *Diſſert. 4. à num. 5.*

Illius infallibilitati non derogat, quod ipſius obiectum ex parte obiecti, & in eſſe rei, dependens ſit ab obiectivis veritatibus, tantum probabiliter cognitis. *Diſſertat. 10. per totam.*

Falſitas.

Vid. Cenſura.

G

Gratia.

Gratia Virginis quanta, & quouſque à Patribus extollatur? *Diſſert 9 per tot.* Gratia Virginis quo in ſenſu dicatur beneficium ab ipſa alicui collatum. *Diſſertat. 14. Artic. 17. à num. 1.*

I

Ioachimus.

Vid. Anna.

Illuminare.

Quomodo intelligendum, Mariam illuminare poſſe omnem hominem venientem in hunc mundum? *Diſſert. 14. Artic. 18. à num. 1.*

L

Lex.

Lex Purificationis an comprehenderit B. Annam? *Vid.* Anna.

M

Maria Concepta.

Ab ipſius Conceptione in gratia quouſque cæterarum dotum ſplendor dependeat? *Diſſert. 10. per totam.*

An dies Sabbati dicatus Virgini propter ipſius immaculatam Conceptionē? *Diſſert. 8. à num. 25.*

An potuerit cōcipi in peccato, ſuppoſito

ſito

Digitized by Google

ſito quòd futura eſſet Mater Dei? *Ibid. à num.4.*
Plura alia de ipſius Conceptione vid. *Diſſertat. Poſtrem.*

Maria nata.
Quomodò Angelis ſtipata, & ab ipſis iam tùm adorata? *Diſſert.6 à num.47.*
Quibus de titulis hæc officia eidem debita? *Ibidem.*

Maria Mater.
Dignitas Maternitatis quanta? *Diſſert. 9. præſertim. à num.25.*
Illi ſunt admetiendæ reliquæ Marianæ perfectiones. *Ibidem.*
Quomodo cohæreant, Conceptionem eſſe fundamentum reliquarum Virginis perfectionum, & Maternitatem etiam omnium earum eſſe fundamentum & radicem? *Diſſert. 10. num.9.*

Maria Magiſtra.
Vid. Eccleſia.

Mariæ meritum.
Somno non interruptum. *Diſſertat. Poſtrem. num.39.*

Maria Mediatrix.
Quo in ſenſu à Venerab. Abbatiſſa dicatur omnibus modis Mediatrix? *Diſſert.14. Artic.16. à num.1.*

Maria ornata.
Quouſque à Deo ornata? *Diſſert. 10. per totam.*

Alia de Virgine Maria.
Multa in primitiva Eccleſia non manifeſtavit Deus de Virgine, quæ pòſt ſenſim revelavit, revelat, & aperiet. Et quare? *Diſſert. 2. per totam.*
Maria à quo tempore iam conſtituta creaturarū Regina? *Diſſert.6.à nu.56.*
Vel ante Incarnationem aſſueta erat Viſionibus etiam corporeis Angelorum. *Diſſert. Poſtrem. à num. 9.*
Quæ cauſa turbationis Virginis in Annunciatione? *Ibidem.*
Quomodo Chriſtus Mariam adoraverit? *Diſſert. 5. à num. 24.*
Alia vid. *per totum Opus.*

Myſtica Civitas Dei.
An nova, quæ in ea de Virgine dicuntur, ſpectanda ſint ab hominibus tanquam opiniones, an tanquam certæ veritates? *Diſſert.4. per totam.*

O

Omnipotentia.
Quo in ſenſu Marianæ dotes Divinæ Omnipotentiæ admetiendæ ſint? *Diſſertat.9. à num.37.*

P

Præſes.
Virgo Maria an præſes Concilij Apoſtolici? *Diſſert.10. num.62.*

R

Revelatio.
Revelationes privatæ alicui factæ, nec contemnendæ, nec approbandæ ſtatim ab alijs, ſed diſcutiendæ. *Diſſert.2.n.3.*
Donum privatarum revelationum per omnia ſæcula viguit à naſcente Eccleſia, & ad finem vſque mundi vigebit. *Diſſert.3. num.22.*
Opiniones Scholaſticæ an ſub revelationem privatā cadere poſsint. *Diſſert. Poſtrem. à num.43.*
Quouſque alios ab his, quibus immediatè fiunt revelationes privatæ, ad aſſenſum premant? *Diſſert. 4. à num.*
præ-

Digitized by Google

præſertim 11.

S

Sedere.

Quid ſignificet, Chriſtum, tanquam Deum & tanquam hominem, ſedere ad dexteram Patris? *Differt.6. à nu.90.*

An Virgo Maria optimè dicatur Sedere, ad dexteram Filij ſui, nedum aſtare à dextris eius? *Ibid.n.89.& 94.*

Acuta S. Thomæ diſtinctio inter adſtare & ſedere. *Ibid. num.89.*

Silveſter.

Silveſter de Saavedra vindicatus à criminationibus PP. Salmanticenſium. *Diſſert.10. à num.52.*

Sacræ Scripturæ ſenſus.

Quid ſit literalis, & an eadem verba duplicem literalem ſenſum ſubire poſsint? *Diſſertat.11. à num.20.*

Verba Proverbiorum, *per me Reges regnant, &c.* in ſenſu literali dicuntur de Virgine. *Diſſertat. 11. per totam.*

An verba Chriſti: *Multa habeo vobis dicere, &c.* comprehendant etiam dotes Virginis Mariæ? *Diſſert.3.per totã.*

T

Sanctus Thomas Aquinas.

Ipſius doctrinam quoad omnem partem infuſſam plures exiſtimant. *Diſſertat. Poſtrem.num.44.*

Illius de Virgine præclariſsima verba. Vid. integrum Opus, & præſertim *Diſſertat.9. num.70.*

Thronus.

Thronus Altiſsimi quis, & quid ſignificet? *Diſſert.6. à num.78.*

Quo in ſenſu intelligendum, Deiparã Thronum Altiſsimi occupare? *Diſſert. 6. à num.68.*

V

Verbum Divinum.

Quo in ſenſu, ante exercitam Incarnationem, nomine Humanitatis pro hominibus interceſsiſſe, accipiendum ſit? *Diſſertat.7. à num.8.*

Singularis opinio Magiſtri Lumbetij obiter reijcitur. *Ibidem num.9.*

FINIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google